SUPPLEMENTORUM

AD

LEXICA HEBRAICA

PARS QUINTA

LITERAS כ, ל, מ, נ, ET ס COMPLEXA.

Proſtat in bibliopol. VANDENHOEKIANO.

1161. תִּכְלֹת Ezech. XXIII, 6.

Non jam hic ago de תִּכְלֹת Mosis aliorumque scriptorum, *hyacinthino colore*, qui sub ת quaerendus, sed de solo Ezechielis XXIII, 6. ubi לְבֻשֵׁי תכלת eodem modo ponitur, quo v. 12. לְבֻשֵׁי מִכְלוֹל ut plane videantur synonyma. Ergone, sic quidem suspicor, תכלת quoque *panoplia* vel *lorica* est, et ad radicem כלל referendum? Vix tamen expedio, quibus ita instruendum punctis sit, ut contra grammaticam non peccetur, תִּכְלַת locum non habet, quod status constructi esset, nec genitivi casus nomen sequitur. תִּכְלֹת pluraliter efferre possis, sed vel id mihi dubium. Indicavi vocem, quae si vera lectio, idem quod מִכְלוֹל significabit: sed de lectione dubito.

1162. כלם de *pudore* et *confusione* positum.

Notissimum, et in rei summa certissimum verbum, una cum derivatis inde nominibus, quae ex quovis mediocri lexico habebis. Unum tamen monitu opus, falli posse lexica consulentem, si de propria significatione ea interroget. Vide, ut illustris exempli caussa ponam, Coccejanum. Ignominia, pudor, unde nomen acceperint, nondum liquet; nec habent eadem significatione sive verbum, sive nomen reliquae linguae Orientales. Id quidem ex lexicographis viderunt meliores, plus esse, quam בּוֹשׁ, cum quo non solum componatur, sed et, ut fortius ab eo distinguatur, e. g. Jerem. XXXI, 19. בשתי וגם נִכְלַמְתִּי. Mihi quidem, cum בּוֹשׁ proprie sit, *obmutescere*, et كَلِمَةٌ *verbum*, كَلَّمَ *alloqui*, sic videtur, כְּלִמָּה, in deterius accepto vocabulo esse, *verba injuriosa*; et נכלם *verba injuriosa audire*, *nec contradicere:* sic in ipso Jeremiae loco proprietatem et diversitatem verborum hac forte versione expresseris, *obmutesco* (pudore), *atque etiam injuriam mutus audio admittoque.*

 Acce-

Acceptionem verborum mediorum in deteriorem partem, quis linguarum mediocriter peritus, ignorat? ut, Anglicum, *to call Names*, *convicia dicere*, Germanicum, *fameus*, male inclytus: hic tamen et accedit, quod كلم est, *vulnerare*, كَلْم *vulnus*, unde contingere facile potuit, ut alteri dialecto כלמה non nisi de *verbis vulnerantibus et injuriosis* poneretur. Ex hac vulnerandi notione etiam latius הכלים est, *damno adficere*, 1 Sam. XXV, 7. 15.

1163. כלמת Mich. II, 6.

Vix dum dixi, primam vocabuli significationem eandem videri, quae Arabici est, كلمة, *verbum*. Hac ipsa prima notione, modo vera sit lectio, et sumatur, quam prope omnes sumunt, enallage generis, accipiendum videtur Mich. II, 6. *si non vaticinantur*, לא יסג כלמות *non ideo recedit verbum*, i. e. fatum, verbum fatale et irrevocabile. Certe, *non recedit ignominia*, vix aures probaverint. Nec tamen hic quidquam definio, de lectione ambigens, de qua vide dubitata in bibliotheca Orient. T. XX. p. 172–174.

1164. כלמד Ezech. XXVII, 23.

Nomen proprium loci, ut videtur ex reliquorum nominum vicinia, in Arabia Felice, Jemen, ex qua merces Tyrum devehebantur. Absurde Chaldaeus, *Medos*, interpretatur, miser et ignarus ex solis arreptis literis מד conjector. — — Hieronymus, in etymis ludens, ubi res eum et geographiae notitia destituunt, (ignorationem enim profiteri, turpe tanto viro) *Chalmad, sive, ut in quibusdam exemplaribus continetur*, CHERMA, *transfertur in vineas*. Ergo aliqui codices habebant כרמה.

Hoc gradum facit ad lectionem Graecorum, καὶ χαρμαν, et Arabis, eos vertentis, خرمان. Sic *Caramaniam* Persiae haberemus. Hieronymus tamen in suo commentario Graecos citat, ac si, *Chalman*, haberent, inque Hexaplis Syriacis sub eorum nomine Chalmun, ܚܠܡܘܢ reperio.

In Jemena, australi Arabia, ob has, quibuscum componitur, urbes et hanc nostram quaesierim. Calmadam ibi non invenio: at, *Carman*, in ejus descriptione habet Assemanus, T. III. P. I. p. 562. bibliothecae Orien-

Orientalis, et vero in mediterraneis civitatibus. Haecne nostra? Est quidem Ptolemaeo p. 155. in mediterraneis Arabiae, *Acarman regia*, Ἀκαρμαν βασίλειον, notaturque in margine, *Carman* &c. In ipsa quoque tabula illo loco invenitur, *Carman regia*. Sed nihil me ejusmodi apud Arabum geographos, Nubiensem, Abulfedamque, legere memini, nec *Chalmad* et *Carman* eadem, nisi lectionem mutemus.

Ergo nihil adhuc nos sciamus, scire, his, quae alii habent, haud fidentes, inquiramus.

Varietatem lectionis consulti hucusque codices Hebraici habent nullam, nisi quod unus (158 Kennicotti) בלמד habere visus est: sed hoc aeque ut כלמד obscurum. Adpellative accipi voluisse patrem meum video; sed nec ita rem expediri sentio.

1165. כלנה et כלנו Genes. X, 10. Jes. X, 9. Amos VI, 2.

Ctesiphon, ad Tigrim ab Oriente, cui ab occidente opposita Seleucia: quae duae urbes postea in unam, communi nomine طيسفون, مدائن, *Madain*, *Modain* dictas, coaluerunt. Vide Spicilegium T. II. p. 228–231.

1166. כילפות Ps. LXXIV, 6. *bipennis acuta?* an, *durus labor?*

Ἅπαξ λεγόμενον, nulla alia lectionis varietate, quam hac, quod permulti codices sine Jod כלפות habent. Magna sententiarum divergia, partim et a veteribus tralatitia, inque lexica recepta, sed et multa recentiores addiderunt, in quibus maxime displicet, quod ex alienissimarum linguarum verbis Hebraicum כלפות explicare conati sunt, ut, Simonis ex κολάπτω, et Germanico, *klopfen*.

1) λαξευτήρια, *instrumenta quibus lapides caeduntur*, habent LXX. ex his Vulgata, *ascia*, et Arabs معول. Nempe hi *instrumentum aliquod lapicidarum* intellexerunt, quo lapides, sive secantur, sive sculpuntur: male ut puto, nec enim de exstruendo aedificio sermo, sed de diruendo vastandoque, sive templo, sive muro portisque obsessae urbis aut castelli.

Earundem partium sunt, licet aliis usi verbis multi: Hieronymus in sua versione, minus apto usus vocabulo, *dolatoria*, Chaldaeus, ut in Polyglottis expressus est, מפסלת דיוספר, Kimchi in lexico, *instru-*

mentum quo lapides frangunt et ſculpunt, exque illo Reuchlinus, ſed multa congerens alia, *bipennis*, *axina*, *ſecuris*, *inſtrumentum dolatorium*, *quo lapides franguntur.* Recentiores, qui talia nullo linguarum orientalium uſu firmata in lexica receperunt, non nomino, nec quisquam hic ſe anonymum eſſe aegre tulerit.

De ſolo dicendum Raſchio, quod uſum adferre linguae Arabicae videtur: *eſt vox*, inquit, *Arabica. Sic expoſuit Rabbi Dunes*, *eſtque ex inſtrumentis fabrorum murariorum* (והוא מכלי הבנאים). Hanc quidem vocem Arabicam nec lexica habent, nec uſpiam legi, nec, ut ſupra dictum, notio pſalmo apta, de diruendo, non de muniendo loquenti. Ergo, donec exemplum adferatur, cave Rabbi Dones fidem habeas.

2) Syrus ܟܘܠܒܐ vertit, et Chaldaeus ex Buxtorfii editione כולביא. Vocabulum prope harmonicum, quod poſſis ſuſpicari literarum ב et פ permutatione ex noſtro ortum. *Secures* ſeu bipennes ſignificare videtur, Jud. IX, 48. 1 Sam. XIII, 20. Ierem. XLVI, 22. pro קרדמות poſitum. Videtur et de Chaldaici Syriacique nominis derivatione dicendum. كلب eſt inter alia et *pungere*, unde et כלב, *canis*, a mordendo acutis dentibus, dictus videtur, itemque a pungendo, conſuere, (vide ſupra ſub כלוב ſcripta): jam potuerit et bipennis, non quidem illa ſecans, ſed acuta, a pungendo ܟܘܠܒܐ dici. Eſt et haec ſignificatio pſalmo 74 neutiquam inepta, acutis enim bipennibus, quae interſtitia lapidum penetrant et ſolvunt, muri dirui poſſunt. Haec ergo una ex omnibus interpretatio, quae, recte intellecta, locum tueri posſit. Ergo, ſi vera eſt, כילפות ad radicem כלב pertinebit, ב in פ mutato, linguaene uſu? an librariorum errore? de quo ב et פ ſaepe confundente alibi dicam.

Bipennes in lexicon recepiſſe, ſed aliis admiſcuiſſe, Reuchlinum, jam ſupra monui, nec pauci eum ſequuti: quo nomine quid intellexerint, acutam? an aliam? ignoro, forte et ipſi ignorarunt, de vocabulo ab aliis accepto, non de re cogitantes. Acutam ſi voluerunt, veri dixerunt non diſſimilia.

3) *Malleum* ſunt, qui habent, ut, Stockius, et Simonis. Mallei nomine quid intelligant, neminem docent: illo, quem plerumque hoc nomine vocamus, nemo templa, muros, turres, de quibus ſermo, diruat. Malleum acutum, quo lapides diruuntur, ſi intellexerunt, ad numerum

numerum 2 referendi. Ipsi quidem, quarum sint partium, si viverent, aegre dicerent; de vocabulo enim, non de re cogitarunt, seu, ut verius dixerim, cogitationis expertes, ut saepe vocabulorum interpretibus fato accidit, scripserunt.

Chaldaicum קלף *percussit*, derivationis loco addunt, et aliis literis scriptum, et denominativum a קולפא *fustis*, *baculus*, cui a קלף *decorticavit* nomen Chaldaei fecerunt. Hoc ergo carere malim.

4) Ab eadem radice Chaldaica Coccejo est, *cuneus*. Non placet conjectura: cuneis muros non diruimus, sed arietibus, quos vix crediderim cunei nomine Coccejum designare voluisse.

Ex his ergo si quod sumendum, secundo loco positum praetulerim, quamquam, qui mihi aliud scribenti vixdum excidit, arietem, mallem: sed usu linguarum Orientalium destitui me video.

Unum in mentem venit, possitne, *labor*, esse, totumque comma verti, *machinis obsidionalibus multoque labore, nutant, vel nutare faciunt*, diruunt. Nempe Arabibus كُلْف de duro ponitur labore, a nigredine dicto, est enim in XI اكلافّ *colorem ex nigro et fusco contraxit*. Praeferre tamen mihi videor, quod ex antiquis aliqui praeiverunt, maxime ob harmonicae versionis auctoritatem ac verisimilitudinem.

1167. תַּכְלִית , כלת Job. XXVIII, 3.

De תכלית, mensura, a radice כלה vel כול supra actum num. 1150. Haec tamen significatio non satis apta his, Job. XXVIII, 3. לכל תכלית הוא חוקר. Quid si hic ad radicem כלת referas, quae Arabibus est, *collegit*, unde كَلِيت *lapis*, *quo quid firmatur vel obstruitur*. Egregia sententia, ubi de ingenio humano, metalla imis in visceribus terrae investigante, sermo, *omnem lapidem*, *thesauros occultantem*, *scrutatur*, aliis verbis: *thesauros naturae omnes, immanibus obstructos lapidum molibus, scrutatur*. Favent sequentia. Nullum quidem ex veteribus praeivisse fateor, sed omnes in *finem* consentire, (LXX πέρας, Vulg. *finem*, Syr. ܣܘܦܐ, Chald. סופא) lectores ergo arbitros, illos inter et me, optare liceat. Philologia sane meam explicationem non destituit, res ipsa juvabit. Sed haec alii existiment.

1168. כומז *bulla aurea* Exod. XXXV, 22. Num. XXXI, 50.

Ornamentum et muliebre, et virile, Israelitarum in deserto, et Midianitarum, a rotunditate dictum, est enim Arabibus كمز *conglobare*, unde كُمْزَةٌ *conglobata manibus dactylorum massa*: non nisi bis occurrens, Num. 35. alii nomini ejusdem etymi adjunctum, עגיל וכומז, quin et Exod. 35. secundum codices Samaritanos, paucosque, quos Kennicottus dabit, Judaicos, unde et quaeri fas est, quomodo כומז *globus* ab עגיל *globo* differat. Minoris momenti est, nec ad interpretationem facit, lectionis varietas, codicibus non paucis sine Vau כמז habentibus. Quo de vocabulo primum lubet veram promere sententiam, antequam ad conjecturas, atque adeo ineptias deveniamus Thalmudicorum, quibus in lexicis, plerisque ne subridentibus quidem, indignante tamen turpiuscule dicta Coccejo, locus concessus.

Optimus, nisi fallor, interpres Diodorus Siculus, l. III. c. 45. qui, postquam magnitudinem praedicasset frustorum auri nativi, in Arabia repertorum, (*magnitudine minimum frustum nucleo fere par, majora non multum cedunt nuci regiae*) pergit: Φοροῦσι δ᾽ αὐτὸν περὶ τοὺς καρποὺς τῶν χειρῶν, καὶ περὶ τοὺς τραχήλους, τετρημμένον ἐναλλὰξ λίθοις διαφανέσι *gestant in carpo manus colloque, pellucidis lapillis distinctum*. Nec equidem credo, tantas auri massas naturam obtulisse ipsam; aurum apyrum cum alio haberetur melius, conflatores, quo carius venderent, mentiebantur, naturae donum esse. Tales ergo auri massae כומז. Quod si quaeras, quomodo ab עגיל differant, suspicor, כומז dici, quae in collo, manuque gestabantur dextera, עגיל, quae ex auribus pendebant. Sed de hoc sub עגיל.

Jam ad ineptias pergo Rabbinorum, seu, ut alio nomine dicam, Thalmudicorum: hi quidem in tractatu *Schabbath*, זה דפוס של בית הרחם, dubia significatione verborum, aliqui enim, *imaginem pudendi muliebris* intellexerunt, (quod indignatum dixi Coccejum) Buxtorfius p. 1050 lexici Thalmudici vertit, *typus, seu ornamentum uteri*. Haec quidem Thalmudica, nulla addita interpretatione, in lexicon iisdem verbis recepit Kimchius. Distinctius et turpiuscule Raschi ad locum Exodi: *fuit ornamentum aureum, quod ponebatur e regione pudendi muliebris, atque Rabbini nostri exponunt* nomen כמז (vides, hic sine Vau scribi) כאן מקום זמה *hic est locus sceleris*, seu, libidinis. Nempe, volebant stultissimi mortalium, pro artificio Judaico, ex tribus literis initialibus horum

verbo-

verborum, כָּ, מַ, et ז, compositum esse. Jam vide, quomodo haec in suo dicat lexico Reuchlinus: *ornamentum foemorale, foemini subligari solitum, quasi foeminum subligaculum auro et gemmis redimitum secundum magistros Hebraeorum. Translatio nostra vertit, murenulas.* Intelligis, unde sua habeant lexicographi recentiores plerique, valde creduli, seu potius in verum inquirere nolentes.

Forte et veteres quid hic habeant, scire cupias. LXX quidem in Exodo עגיל וכומז (sic enim cum Samaritano legerunt) *ἐμπλόκια καὶ περιδέξια* verterunt, *περιδεξίῳ* ad כומז referendo, sicque ibi et Vulgata *dextralia* habet; at in Numeris inverso iidem ordine, *περιδέξιον καὶ ἐμπλόκιον*, proque illo Vulgata, *dextralia et muraenulas*: sed suspicor errore librariorum verba transposita. Ergo his sunt, *dextrae ornamenta*, talia puto, qualia supra ex moribus Arabum descripsi. Tres Graeci, in Hexaplis utrobique praetermissi, idem habuisse videntur. Contra Syrus utrobique ܗܡܢܝܟܐ, quod de *colli ornamento, torque ex auro*, poni solet: et hoc dictis a me satis concinit, cum colli quoque ornamenta bullae auri *ἀπύρου* apud Arabes fuerint. Obscuriore usus vocabulo Chaldaeus, מחוך, quod *cingulum circa mammas* explicare solent: Saadias in Numeris, حقاب, *cingulum muliebre monilibus ornatum*, Judaeis, at in Exodo, mihi fere propior, تُرَيْكِيَّة *ornamentum ovale*, a تَرْكَة *ovum*; Arabs Erpenii latiore utrobique vocabulo, fassus ignorationem, زِينَة *ornamentum*. Caeterum vide et infra עגיל.

1169. כָּמַר *doluit, tristis fuit*, forte, a *nigro colore*, vel, *squalore*.

Quater occurrit, bis cum רחמים constructum, (נכמרו רחמיו) Genes. XLIII, 30. 1 Reg. III, 26. semel ejus loco cum נחומים Hos. XI, 8. ac denique in loco uno omnium obscurissimo Thren. V, 10. ex quo tamen lexicographi, clara scilicet ex obscuris illustraturi, *fervendi* et *aestuandi* notionem, aut, qui illis praeierat Reuchlinus, *calendi*, nullo linguarum Orientalium usu verbo dederunt. Haec quaeso quis legens, עורנו כתנור נכמרו מפני זלעפות רעב *cutis nostra ut fornax aestuant propter famem*, ne numero quidem verbi nominisque conveniente, mira imagine, non aut lectionem putet laborare; aut interpretationem? quis locum in philologia classicum censeat, ex quo alia expediri fas sit? Nec

vero

vero lexicographorum primo, Kimchio, res aeque certa, ut his, qui eum, multi ne inspectum quidem, sequuti sunt: Chaldaeum vertere ait, התגלגלו והמו, *convolvuntur*, vel, *tumultuantur* viscera, addit ex alia interpretatione, כתחממו *caluerunt*, denique Thren. V, 10. כשחרו *nigrae* fuerunt, quod ipsum certe loco aptius. Ei, quod sub Chaldaei nomine habet, videturque praeferre, non pauci ex veteribus accedunt, ut LXX in Genesi, *συνεστρέφετο τὰ ἔντερα αὐτοῦ*; inque Hosea *συνεταράχθη*; Syrus iisdem locis, ܐܬܚܠܨ, in regibus, ܐܬܚܡܨܘ, ut hac quidem parte vincat, sed Threnorum loco parum apta, notio.

Mihi quidem unica hic ad verum via videtur, consulere linguas cognatas. Arabica nos destituit, quae enim sub كمر habet, sunt, aut denominativa a كَمَّر *penis*, et كَمَرَة *glans*, aut a قمر literarum permutatione mutuata. At Syris notissimum verbum ܟܡܪ *doluit, tristis fuit*, cum pluribus inde derivatis nominibus, quae, ut nota, ex lexicis peti velim. Jam נכמרו רחמים erit, *dolent ei viscera*, de tenerrimo miserationis adfectu positum. Quam constructionem bis legens, suspicari possis, et Hos. XI, 8. נחומי *dolent poenitudines meae*, mutandum in, רחמי, sed id tentantes, codicum destituimur auctoritate; quorum multi adeo remotius ab hac conjectura ניחומי habent.

At unde ortum doloris, tristitiaeque nomen? et loco quid faciemus Threnorum? Utramque eadem quaestionem expedire Syria videtur. Bis in ipsis N. F. tabulis ܟܡܝܪܐ pro *σκυθρωπὸς* ponitur, et quidem Matth. VI, 17. de eo vultus squalore aut pallore, qui jejunantium esse solet: forte ergo prima vis in squalore sive adeo nigredine. Clara Threnorum verba, maxime si cum multis codicibus pluraliter עורינו legas: *cutis nostra ut furnus squalida deliquio ex fame.* Coloris quidem nomen proprie fuisse, ex hoc ipso loco manifestum, proximusque vero, qui *nigrum esse* vertebat Kimchius, nisi quod non tam ipsam veram nigredinem, quae non est vultus fame enectorum, sed squalorem esse putem. Syriaca lexica quod habent, *atratus*, ex Hebraicis translatum. In coloris quidem nomen hic consentiunt, LXX *τὸ δέρμα μου ὡς κλίβανος ἐπελιώθη*, *cutis mea livida est ut furnus*, (sed bis idem verbum vertentes, addunt, *συνεσπάσθησαν ἀπὸ προσώπου καταιγίδος λιμοῦ*, *convulsiones passi sunt a procella famis*, aut si malis, *contracti sunt*, *corrugati*, vel, *timuerunt.*) Chaldaeusque, אתקדרו *nigratae sunt.*

Urendi

Urendi notionem hic verbo dederunt, a quibusdam etiam recentiorum receptam, Vulg. *quasi clibanus exusta est a facie tempestatis famis*, et Arabs, شَيِّطَتْ. Dubius Syrus, ܡܟܡܟܡ ܐܝܟ ܕܡܢ ܬܢܘܪܐ ܐܬܟܡܪܘ. Hoc quid est? *cutes nostrae tanquam a fornace contractae sunt?* (fere ut LXX) an, *horridae, luridae sunt?* ut ego verti.

Huc quoque refero,

1170. מִכְמָר seu potius מְכַמָּר Jes. LI, 20. *squalidus tristis.*

Puncta כְּתוֹא מִכְמָר Jes. LI, 20. punctatique textus interpretatio consveta, *ut bubalus retis* i. e. reti captus, cur displiceant, copiosius dictum in *bibliotheca Orientali priore*, *T. XIV. adpend. pag.* 161-164. Nempe nec תוא bubalus, sed תאו, isque non bubalus ferus, sed gregalis, quem nemo reti capiat. Mutatis punctis effero, כְּתוֹא מְכַמָּר, *ut poenitens* (sensu manachali, *ein Büssender*) *tristis*, vel *squalidus*. — — Concinunt aliqua parte LXX et Syrus, nisi quod תוא *betam* interpretantur: illi quidem, *σευτλίον ἡμίεφθον beta semicocta*, id vero est, ut Arabs vertit, ذابل *marcida*, sole cocta; Syrus ܣܠܩܐ ܕܟܡܝܪܐ *beta*, sive quae adusta est, sive, ut equidem ex usu Syrorum malim, *quae tristis est*, i. e. *marcida*.

1171. כמרים *sacerdotes*. 2 Reg. XXIII, 5. Hos. X, 5. Sophon. I, 4.

Omnino adsentior lexicographis, sacerdotes intelligentibus, sed vocabulo in deteriorem partem posito, de sacerdotibus idolorum. Nempe ܟܘܡܪܐ *sacerdotis* nomen syriacum, Hebraeis de exterorum modo sacrorum ministris positum. Ipse novi foederis interpres pro Graeco ἱερεύς, ubi de sacerdote Judaico, vel Christo, sermo, ܟܗܢܐ vertit; solo epistolae ad Hebraeos interprete vernaculum suum ܟܘܡܪܐ etiam de his ponente. Vide lexicon Syriacum. De derivatione variae sententiae, ex notionibus verbo כמר datis: mihi videntur, sive a *squalore* dicti sacrificuli, sive a *tristitia*, quam vultu aliqui prae se ferunt superstitiosi orientis sacrificuli.

Doctissimam habemus hoc de nomine dissertationem *Conradi Ikenii*, duodecimam earum, quae anno 1749 Lugduni Bat. junctim prodierunt.

 Magos

Magos intelligit ignicolas, a zona, Persice کَسْتی, dictos. Elegans, Ikenioque digna conjectura: malim tamen vocabulum Hebraicum ex Syriaca repetere, quam ex Persica lingua, maxime cum jam in Hosea occurrat, cujus tempore ignicolarum religiones remotas ac peregrinas jam ab Israelitis receptas, aliunde non constat, licet serius Judaeos sui temporis Ezechiel hujus superstitionis reos agat. Tempora distinguenda videntur, et populi. Ignis cultus proprie non Persarum, sed Medorum, quorum et terra *Adorbigan* i. e. ignis regio dicitur. Medi decimo octavo Hiskiae anno, quem per temporis rationes vix vivendo attigerit Hoseas, regem nacti sunt Dejocem, ex hoc demum tempore celebres, Persae ipsi multo etiam serius sub Cyro inclaruerunt.

1172. כַּנֵּה nomen proprium, *Cana felicis Arabiae.* Ezech. XXVII, 23.

Eo, quem dixi, loco, inter alias felicis Arabiae urbes, cum Tyriis commercia exercentes, legitur et כַּנֵּה, hisne punctis, quae ei masorethae subdiderunt, instruendum nomen? an aliis? haud equidem dixerim. In literis nulla hucusque reperta varietas, silent codices Kennicottiani χαναα vel χανααν habent LXX (corruptiore jam lectione) *Chene* Vulgata, *Channe* in commentario Hieronymus, Syrus ܟܢܐ. Ergo res suas sibi habeant, qui כנה et כלנה eandem urbem putant: grammatice ל omitti non potest, nec in ullo aut legitur exemplo aut lectum est veteribus, quos consului, interpretibus.

Chaldaeus, qui de Carris Abrahami, praecedens חרן legens, male, cogitaverat, nostram urbem in Mesopotamia quaerens, נציבין *Nesibin*, interpretatur, ad quam etymo, fallaci in geographicis investigandis filo, pervenisse videtur: נציבין enim *stationes*, כַּנָּה *statio.* Male ille quidem, ut dixi, de hac enim si loqueretur Ezechiel, צובה scripturus videretur.

Verum, me quidem arbitro, vidit Assemanus, T. III. P. II. bibliothecae Orientalis, p. 562: *Canen* esse, emporium felicis Arabiae, de quo Ptolemaeus l. VI. c. 7. p. 153. sub Ἀδραμιτων, i. e. Hadramautae regione: *Κάνη, ἐμπόριον, καὶ ἄκρον.* Invenies in tabulis d'Anvillianis sub gradu latitudinis 14, ad mare Indicum, *Baye de Canim.*

כַּנָּה כנה Ps. LXXX, 16. quaere sub כַּן.

1173. כִּנָּה; *nominavit*, *cognominavit*, Jes. XLIV, 5. XLV, 4. Job. XXXII, 21. 22.

Verbum, in Hebraico codice non nisi quater obvium, sed reliquis dialectis usitatissimum, ex quibus *nominandi*, et *cognominandi* notio certa. Arabibus, de quibus Castellum hic quam Golium consuli malim, كنا pro كنو et simpliciter est, *nominare*, et *cognominare*, maxime a patre, unde et patronymica vocare solent; et figurate translata. Unum adscribo locum, qui usui forte possit esse, Hebr. V, 10. προσαγορευθεὶς ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀρχιερεὺς, وكناه الله رييس كهنة علي ترتيب ملشيصاداق *adpellavitque illum deus summum sacerdotem secundum ordinationem Melchisedeci.* Syris ܟܢܝ, Chaldaeis כַּנִּי *cognominavit*, unde et *collegas*, quasi, cognomines, ܟܢܘܬܐ plur. ܟܢܘܬܐ כְּנָוָתָא vocant. Jes. XLIV, 5. *cognominant se ab Israele*, qui Israelitis accedunt, eorumque deum et fidem recipiunt: c. XLV, 4. אכנך sive simpliciter est, *nominavi te*, nomen tuum jam ante in scriptis propheticis prodidi, idem quod praecedens, אקרא לך בשמך, sive, *denominavi te a me*, servum meum, unctum meum, (משיחי, עבדי), quod voluisse videntur LXX προσδέξομαί σε vertentes, perquam verisimiliter, cum ex illis ipsum Arabs verbum Hebraicum reddiderit, كنيتك. In Jobi loco, *cognominare se ab aliquo*, est, ejus partes sequi ac profiteri, in disputando, Jobaeum esse aut antagonistam Jobi, Bildadaeum, Eliphazaeum &c. Jam nec opus fuisset, in lexicis notae ac verae significationi fictitiam addere, *adulari*, atque adeo, *assimilari*.

Sed et de his dicendum, quas alii habent. Hieronymus, *assimilare*, vertebat, forte ex aliquo Judaei magistri etymo, quod כנותא *collegae*, i. e. *similes*, Chaldaeis essent: Jes. XLIV, 5. ad filum orationis non plane inepte, licet aspera constructione, *et in nomine Israel assimilabitur*, sed c. XLV, 4. perquam male, ac prope sine sententia, de Cyro, *assimilavi te, et non cognovisti me*, quod in commentario nimis theologice interpretatur Hieronymus, *assimilatum esse Cyrum Christo, sed non esse Christum.* In lexicon tamen, sed dubitans, ut videtur, recepit Reuchlinus, unde latius manavit, vel fonte ignorato. Eadem notione et Job. XXXII, 21. verbum accepit Hieronymus, *deum homini non aequabo*, verum in sequente

te versu 22 aliter, *nescio quam diu subsistam*, hic quidem ad כון referens, vel per transpositionem, quod, si series posceret orationis, nec melior ultro se offerret, defendi linguae Samaritanae usu possit, cui ex eadem transpositione כנה in Piel est, *stabilire*. Eodem et redit, quod Jes. 45. Chaldaeus habet, אתקנך *stabilio te*, aut, *praeparo te*. —— Jes. XLIV, 5. quod habet Chaldaeus, יתקרב ad Israelis nomen *accedet*, paraphrasticum, sed in rei summa verum, Graecum, ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰσραὴλ βοῶσει, inconcinne et obscure dictum. Forte putabant, primam vim verbi in, *vocando alta voce*, esse. Ita obscure positum, ut vel Arabs Graeca vertens, omitteret, non intelligens.

In dubitabilibus pono, sitne, mutatis punctis, ad hoc verbum referendum nomen obscurius, כנו Dan. XI, 7. *surget ex surculo radicis ejus cognominis ipsi*, i. e. *idem nomen gerens*, *Ptolemaeus*. Quod alii habent, *stabit super basi ejus*, aliam requirere constructionem videtur, עמד על כנו, non עמד כנו: dura particulae על omissio. Viderint alii.

1174. כנם, vel כִּנָּם *sciniphes* Exod. VIII. Ps. CV, 31.

Duplex potissimum vocabuli obscurioris interpretatio, altera, *sciniphes*, LXX debita interpretibus, *pediculi* altera, Judaeorum communis, quam praetulit, copiose de eo agens Bochartus in Hieroz. P. II. l. IV. c. 18. ex quo late dimanavit, magnum plerisque virum sequentibus. Mihi prior verisimilior.

Sed antequam ad rem ipsam accedamus, de forma nominis grammatica dicendum. Sumunt fere, כִּנִּים (sic enim scribere solent) plurale esse a singulari כֵּן, quod ipsum mihi perquam videtur dubitabile. Nuspiam hic singularis legitur, nisi, ut volunt, Jes. LI, 6. ubi nemine praeeunte veterum pediculos interpretari solent, parum decore ac filo orationis apte: ab his enim magnis, quae praecesserunt, et sublimibus, turpiter prope dissonat, auribusque displicet, *incolaeque ejus ut pediculus moriuntur*. Ex paucis locis *Chinnim* habentibus, tria sunt, in quibus sine Jod plurali scribitur, semel quidem כִּנָּם Exod. VIII, 12. bis adeo כִּנָּם, ne vocalium quidem indicio plurale futurum, v. 13. 14. Mirum, ter Jod omitti, si forma sit pluralis in qua raro id accidit, nisi alio Jod praecedente. Scribitur, fateor, et per Jod Exod. VIII, 13. adjecto tamen verbo singularis numeri, היה כנים, et v. 14. הכנים, sed gravi utrobique lectionis varietate, in versu enim 13. septem codices, in 14. octo, aque correctoris

ris manu nonus etiam כנם habet. Samaritanus ubique cum Jod, ſed ejus, ad grammaticas quas putabat leges corrigere ſoliti, in quaeſtionibus de plenis et defectivis vix ulla auctoritas. (Vide biblioth. Or. priorem T. XXI. p. 183 – 189.) In ſolo Pſalmo CV, 31. ſine varietate lectionis כנים reperitur, ſed et hoc ad radicales Caph Nun Mem referre poſſis. Eo ergo prope adigimur, ut ם pro parte radicis habeamus, maxime cum ter ſingulariter conſtruatur, Exod. VIII, 13. ותהי הכנם, ac paulo poſt, היה כנים, et v. 14. ותהי הכנם.

Nec magis aut certum aut veriſimile, quod alterum ſumi video, nomen eſſe Hebraicae ſtirpis. Linguae illud Orientales penitus ignorant, nec quisquam ex interpretibus harmonice, reddere auſus. De inſecto Aegyptio ubique ponitur. Nomen ergo forte Aegyptium, cui lucem ex Copticae linguae fragmentis cupiam, ſolas deprecans, quarum liberales eſſe ſolent huic ſtudiorum generi dediti, etymologias. His praemiſſis, de quibus, cum dubitare fas eſſet, non dubitavit Bochartus, nec dubitarunt alii, rem ipſam adgrediamur.

Pediculos ergo Judaei interpretari ſolent, praeeunte ex veteribus Joſepho Ant. l. II, 14, 3. Alii, quos pro pediculis citat Bochartus, Arabes, Syrus, Samaritanus, neutrarum videntur partium eſſe: ſed de illis infra. Auctoritatibus ſi ſtandum in vocabulo linguis ſororiis ignoto, quis Joſephum, et vero ubi de animalculo Aegyptum infeſtante quaeritur, praetulerit Alexandrinis interpretibus, in Aegypto viventibus, optimis Aegyptiarum rerum cognitoribus? Hac ergo parte facile vicerint ſciniphes: ſed ſunt et alia, quae mihi pediculos ſuſpectos reddunt.

1) Pediculi ſi ſunt כנם, mirum, notiſſimi animalculi nomen in ſola ſupereſſe lingua Hebraica, periiſſe Aramaeis, Samaritanis quoque, Arabibus, Aethiopibus, ac ne derivationem quidem ſatis expeditam has linguas impertiri. Alia ratio, ſi animalculum Aegypto frequens denotat.

2) Quod Exod. VIII, 14. 15. legimus, ἱερογραμματέας, ſeu, ut vulgo vocantur, magos Aegyptiorum, miraculum Moſis imitari nulla arte potuiſſe, ideoque divinitus editum agnoviſſe, plane a pediculis abhorret, quibus quemque non animadvertentem conſerere, illosque diſpergere, facillimum. Ad triremes damnati, ſi quis illis ſtipem aut nullam aut minus det largam, ſuos pennae inſertos pediculos clam in praetereuntem exſufflant, ut brevi pediculis ſcateat, idem et in aulis

quibusdam a pueris nobilibus fieri pro certo mihi narratum: coemunt a mendicis pediculos, inque invisos sibi ad aulam accedentes exsufflant. Ova etiam facilius clam dispergere. Nullum imitabilius miraculum humanae fraudi hoc unico.

Ad *sciniphes* accedamus, quod quidem nomen duo significat, primo vesparum genus aliquod minimum arboribus insidentium illasque pungentium, (*Schlupfwespe*, *Cynips* Linnei) quales et Hasselquistus Aegyptias in sycomori foliis has, in fructu illas nidulantes, descripsit, item Forskål *in Flora Cent.* VI. n. 100. p. 181. *descriptionibusque animalium* p. 83. n. 18. insectorum. Sic quidem verterunt, Aegypti naturam et animalia optime noscentes LXX, σκνῖπες, sequutusque est illos, non in Vulgata solum, sed et in sua versione Hieronymus. Magna auctoritas ac gravis, maxime in re Aegyptia. Vespas, an culices, intellexerint, ambigi ambigui vocabuli, duplex animalculum complexi, culpa possit: facit tamen contra vespas arborum, solos culices relinquit, quod cum illae nec hominibus graves esse soleant nec jumentis, σκνῖφες fuisse dicuntur, ἐν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἐν τοῖς τετραπόσιν. Exod. VIII, 16. 17. 18. (Hebr. v. 12. 13. 14.) Culices quidem, qui in Aegypto ipsa vixit, Philo, intellexit, sicque descripsit, ut ipsa verba commentarii instar sint, in libro de vita Mosis, T. II. editionis Mang. p. 97. *proventus* σκνιπῶν *erupit, inque nubis se modum pandens, totam longe lateque Aegyptum invasit. Est autem animalculum licet minutum, molestissimum tamen, nec enim solum externas partes* (ἐπιφάνειαν, i. e. cutem) *laedit, pruriginem adferens molestam et noxiam, sed et per nares et aures intima irrumpit, et oculorum pupillam involans, nisi caveas, infestat.* Similia et Origenes habet, ipse Aegypti incola, et qui nosse poterat, quodnam ibi animalculum *sciniphes* vocaretur, excerptus a Bocharto. His quidem adsentior. Graeca qui verterunt, Aethiops et Coptus, vocabulis utuntur, de quorum notione non satis constat. Coptus, de quo maxime quaeri posse video, *Lehlem* (latinis literis scribo, destitutus Copticis) reddidit, quod Wilkinsius, ignare ille quidem ex lexicis Hebraicis, *pediculum* vertit: σκνῖφες certe, quod solum graecum vocabulum Coptus legebat interpres, de pediculis accipere non poterat. Forte aliquid proficeremus, si quis nos in ipsa degens Aegypto edoceret, quod Copti animalculum sub *Lehlem* intelligant. Aethiops in Psalmis vertit, תנכבי, de quo Ludolphus p. 265. *est species muscae minimae, secundum Aethiopem meum:* (definitionem animalculi dare non potuit, historiae naturalis non artifex, sed forte illud intellexit minutissimum culicum genus

ac

ac paluſtre, quod nos, *Mosquite*, vocamus). Aliud nomen, ቀንጽ (varie ſcriptum,) habet Exodi interpres, de quo Ludolfus, p. 599. lex. "*formica. Generis nomen eſt, cujus plures ſpecies dantur in Aethiopia. Has procul dubio intellexerunt Aethiopes, Exod. VIII. pro Graeco σκνῖφες, quod non intellexiſſe videntur, ideoque inſectum poſuerunt hominibus et pecudibus in Africa infeſtiſſimum, ut vivas has devoret.* Haec niſi legerem, audaxque putarem, in Aethiopicis Ludolpho non credere, ſuſpicarer equidem, nomen eſſe ſciniphis proprie dicti, culicis minoris, ὀνοματοποιητικὸν, a ſono, quem edit, ductum, a quo et recentiores naturae hiſtorici *culicem pipientem* vocarunt.

De culicibus, ad noſtrum vocabulum illuſtrandum copioſius egit, *Samuel Oedmann, in vermiſchte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der Heil. Schrift, Heft I. Cap. 6.* Dividit illos in duas ſpecies, majores, (*maringouins*) et minores, locorum paluſtrium (*mosquites*): minores maxime ſciniphum nomine intelligens. De his ergo plura ex itinerariis collegit p. 81 – 88. lectu digna, ut de morſus dolore, graviore etiam, quam a morſu aliorum culicum, de eorum in Aegypto inſigni frequentia. Equidem neutrum genus excluſerim, addiderim etiam, quod *culici ſimilem* aliqui Graecorum dicentes ſciniphem, a culice vulgari diſtinguere videntur, ut, Svidas, Σκνὶψ. ζῶον κωνωπῶδες, Heſychius, κνὶψ, ζῶον πετεινὸν ὅμοιον κώνωπι, nec tamen auſim Hebraicum vocabulum explicans vulgares majoresque excludere.

Jam rationes exponam, quibus ductus ſciniphes praefero:

1) ipſa mihi Alexandrini interpretis, et vero utriusque, Pentateuchi ac Pſalmorum, in re Aegyptia magna auctoritas, major etiam, his accedentibus, quae Philo Judaeus et Origenes, ipſi in Aegypto degentes, narrant.

2) Culices, et vero maxime moleſtiſſimi illi paluſtrium locorum, peculiare Aegypti malum, nec inferioris modo, ubi bucolia, ſed totius, qua aratur, quibus enim menſibus ex Nilo innatante emergit, tota paluſtris. Herodotus l. II. c. 95. *ſunt autem adverſus culices, quorum ingens copia, haec ab Aegyptiis excogitata. Illos quidem qui* (in ſuperiore Aegypto) *ſupra paludes habitant, juvant turres, quas dormituri aſcendunt, nam ob ventos nequeunt culices in alto volare. At qui circa paludes habitant, alia turrium vice ſunt fabricati: ſinguli ſuum habent rete, quo per diem piſces capiunt, eodem noctu utuntur, ad quietem, circumdant lectum reti, deinde ſub illo ſomnum capiunt, qui ſi in veſte*

veste involuti aut sindone dormirent, per ista culices morderent, per retia vero omnino nec conantur. Ex recentioribus similia collecta, ut, in tectis sub dio dormire Aegyptios culicum metu, dabit Oedmannus, neutiquam a me compilandus.

Praevideo, quid hic mihi opponi possit: male me rem egisse, qui probem, peculiare Aegypti malum esse, quod hic ut poena Dei infligitur, et ad quod ipsi, ut ad portentum ἱερογραμματεῖς stupent. Sed et parata responsio: divinum erat, ac portentum, quod nullae artes contra sciniphes valebant, quodque insolito anni tempore, quo eos ciere ἱερογραμματεῖς non poterant, veniebant.

3) Jam et liquet, quod primus egregie adnotavit Oedmannus, cur hoc unum portentum nulla imitari arte potuerunt ἱερογραμματεῖς, naturae periti, divinumque agnoverint, Exod. VIII, 14. 15. Nempe non omni anni tempore culices, sunt menses, quibus plane emoriuntur: ejusmodi ergo mense, quo nulli erant, hoc omne accidisse videtur, nubes erupisse sciniphum, at ubi sciniphes non erant, ciere illos magi alieno mense non poterant.

Neutrarum quidem partium aliquos esse veterum interpretum, a Bocharto pro pediculis testes excitatos, jam supra monui, promisique, et de his me acturum. Sunt illi, sono adeo vocabulorum concinentes, licet literas transponant aut mutent,

1) Arabes, quos novi, omnes, ubique قُمَّل vertentes. Nomen Arabicum a Golio, *pediculus*, redditur, sed vel ex ipso intelligitur, non ad solos pertinere pediculos, patere latius. Ponitur enim et de insectis vegetabilia vastantibus, unde قَمِل *nigricans, et quasi pediculis obsessus adparuit carduus*, quin قُمَّل *species insecti, similis locustae.* Sed quod plus est, et Graecum ἐρυσίβη, et Hebraicum חסיל, quae nemo pediculos interpretari velit, قمل vertuntur, (pag. 864.) quod quidem ad eas Bochartum redegit angustias, ut caussae semel susceptae studio lectionem mutari juberet, ac قمص scribi. Id quidem manifestum, Psalmorum interpretem, Graeca vertentem, non de pediculis cogitare potuisse, ipsissimum enim σκνῖπες Ps. CV, 31. قمل reddidit. Forte ipsa vocabuli Arabici ambiguitas et latitudo, multa insectorum genera, sed et pediculos complexi, fecit, ut pediculos Judaei ab eo inde

de tempore, quo Arabica lingua ſub Saracenorum imperio uti didicerunt, intelligerent. Sed nihil definio. Nec negaverim, Saadiam, Judaeum, Arabice cum interpretaretur, قمل pro *pediculis* poſuiſſe. Sed certi nihil. Ita ſi nomen accepit, ex Judaeorum fecit opinione.

2) Syrus ubique, ܩܠܡܐ, Chaldaei omnes, jam קַלְמְתָא, jam, genere maſculino קַלְמֵי. Et hoc vertunt fere, *pediculum*, conſvetam nempe Judaeorum adſciſcentes vocabuli Hebraici interpretationem, ſed longe aliter Caſtellus in lexico Syriaco: *genus formicae, ſeu culicis, ſecundum veteres Hebraeos. Beſtiola eſt exigua, laedens cutem, penetrans per nares, aures, itemque oculos. Non igitur pediculus!* Cui ex his credemus? Bocharto? an Caſtello? Ego quidem adhuc neutri. Neutrarum ergo partium et hoc eſto vocabulum, donec aliquid lucis.

3) Samaritanum כרלמים, in Exodo lectum, idem eſſe videtur, Syriaco ܩܠܡܐ, ſed quid ſignificet, in dubiis numerandum.

Eſt et de Bocharti dicendum argumentis, quibus adſtruit, non ſciniphes intelligendos ſed pediculos eſſe: in quibus viri magni, ſed cauſſae, quam fato aliquo defendendam ſuscepit, defenſoris nimis cupidi, ſolum veri ſtudium atque amorem deſidero. Conquirebat argumenta vel ſibi contradicentia. Tanto tamen viro quod fidunt, qui facile ei primas in zoologia ſacra partes concedunt, accidit, ut et argumenta numerent, non expendant. Me quidem, contra dicentem, ſi quis intelligere cupiat, ipſum ad manus habere et evolvere hierozoicon neceſſe habebit, cujus et paginas citabo et lineas. Ergo dicit,

1) כנים *e pulvere terrae oriri Exod. VIII,* 16. 17. (12. 13) *at culices ex locis oriri aquoſis.* pag. 574. lin. 6. Rſp. Totius Aegypti malum culices, ut ſupra vidimus: nec hos, quos citat verſus, ita acceperim, ut vere ex pulvere nati ſint: ipſi quidem pediculi non ex pulvere oriuntur.

2) *Chinnim fuiſſe in hominibus et jumentis, quod pediculis aptum.* p. 574. l. 28. Rſp. Atqui nec ineptum culicibus, ingenti copia in homines ac jumenta irruentibus.

3) *non ſuppetere etymon pro* כנים *culicibus, at pediculos recte a ſtabilitate* (כון) *et baſi,* כן, *nomen accipere.* p. 574. l. 46. Rſp. Coactius etymon, ſeu, ut minus dicam, incertius, quam ut ex eo de vocabuli ſignificatione ſtatui poſſit. Quodſi nomen, reliquis linguis

 Orien-

Orientalibus ignotum, Aegyptium eſt, origo illi et derivatio ex Hebraica lingua non quaerenda.

4) *Thalmudicis* כנה *pediculum eſſe.* p. 574. l. 66. Rſp. Id inde, quod magiſtri Judaeorum *Chinnim* Moſis pediculos interpretabantur, non ex uſu vernaculo linguae, quam cum lacte ſuxerant.

5) *a* כון *et Graecum* κόνις *eſſe, lens ſeu ovum pediculi.* p. 575. l. 2. Rſp. Ex lingua Graeca, alieniſſima natalibus, Hebraica non explicanda. Quod ſi hac via, intuta maxime, incedere lubeat, eodem jure, ac ſoni vicinitate, Graecum κνίπες cum כנם contuleris, M, ut ſaepe alias, et P permutatis.

6) *Ex* כִּנָּם *cum M. non radicali quidem ſed Heemantico, orta Arabica, Aramaea, Samaritana,* قمل, ܩܠܡܐ, כלמים, *mutato N in L.* p. 575. l. 24. Rſp. Dura, nec veriſimilis mutatio: L et N non ſolent alias permutari, niſi apud Syros errore librariorum. (gramm. Syr. p. 6.) Adde et כ Hebraicum in ק Arabicum permutandum, et literas transponendas eſſe, nec niſi triplici mutatione in tribus literis ex כנם fieri قمل. Arabibus quidem et Syris M in his vocibus radicale, in כנם ex mente Bocharti ſervile.

1175. כֵּן Jeſ. LI, 6.

Singularem recentiorum multi faciunt, a quo praecedens plurale, ut putant, כנים ortum: quod quidem mihi ſuſpectum eſſe jam ſupra profeſſus ſum: ſed fac verum eſſe, vel huic loco aptiores culices quam pediculi erunt. Hos quidem, turpe animal, atque in magnifico carmine indecorum ac prope nefas nominatu, mortales quidem agnoſco, ſed mori non videmus, niſi vi necentur, ut vel, quam diu vivant, ignoremus; perennare et indies augeſcere ſentiunt, in quibus haerent: at culices annum vivendo non ſuperant, (ου διετίζουσι) ſed ſtato anni tempore emoriuntur et intereunt, multo melior brevitatis vitae humanae, nec turpis, imago. Caeterum nihil de hoc loco certi ſtatuo. Dubitata, vide in adpendice Tomi XIV. prioris biblioth. Orient, p. 157-159. Male tamen et ibi, et in verſione germanica, *veſpas minores,* (*Schlupfweſpen*) poſui, ubi melius culicibus locus fuiſſet.

1176. כָּבַן *texit.*

Non nego, quod alii asserunt, idem aliquando esse cum כּוּן, ab eoque significationem mutuam sumere, unde et כֵּן *basis* cum Nun Dagessato. Unum addo, Arabibus كَبَنَ esse, *texit*, quae notio duobus locis satis apta.

1) Job. XXXI, 15. si puncta masorethica וַיְכֻנֶנּוּ vel וַיְכֻנֶנּוּ sequaris, vertere possis, *texit nos*, me et illum, *in utero uno*, i. e. sive, inclusit nos utero, tectum utero ad maturitatem perduxit, sive, *tuitus est.* Fateor tamen, perquam verisimilem esse explicationem alteram, mutatis punctis, וַיְכֹנֵנוּ sive adeo, ut habet codex Kenn. ויכיננו *paravit nos in utero uno.*

2) Forte et dubio maxime loco וְכַנָּה אֲשֶׁר נָטְעָה יְמִינֶךָ Ps. LXXX, 16. lucem adfert. Ut nomen כנה acceperunt plerique, de quibus deinceps: Graecis verbum visum est, cui eandem cum כון notionem dederunt, καὶ κατάρτισαι αὐτὴν (וְכַנֵּה) ἣν ἐφύτευσεν ἡ δεξιά σου, indeque Vulg. *et perfice eam*, (vineam) *quam plantavit dextera tua.* Verbum si sit, mallem: *obtege (tuere) illam*, quod et construi possit cum sequente, ועל בן *et obtege filium.* Res dubia. Sed ne frustra dubitasse videar, est et de his dicendum, qui כנה pro nomine habuerunt: ergo

1177. כַּנָּה Ps. LXXX, 16.

nomen visum est plerisque, ita tamen illud interpretantibus, ut mihi quidem difficile sit, adsentiri.

1) Chaldaeus עוברא, *foetum* (pr. *embryonem*) vertit. Hoc unde habeat incertum. Putabatne a *tegendo in utero* foetui nomen ductum? relege quae vix dum de Job. XXXI, 15. scripsi.

2) Syrus, ܘܫܬܐ ܕܢܨܒܬ (*Sattho quod plantasti*) obscuro usus vocabulo, nec quidquam hic in Arabe Antiocheno praesidii, quippe qui ex LXX interpolatus, quos alia versio Arabica expresserat, habet تعاهدها *para illam.* Me quidem judice ܫܬܐ est, *stabile quid*, a ܫܬܐܣ *stabilivit*, retulitque interpres Hebraicum כַּנָּה, ad כון et כֵּן, *basin.* Vix placebit, de vite dictum.

 3) Sur-

3) *Surculum* plerique recentiorum, ſed non niſi ex conjectura, nullo linguarum Orientalium uſu. Si quid illis concinens apud veteres legere memini, eſt, quod Dan. XI, 7. Vulgata, כַּנּוֹ *plantatio*, vertit.

4) Ludovicus de Dieu: *reperio*, inquit, *in lingua Arabica — uſitatum eſſe* كَنَّة כַּנָּה *pro Hebraico* כַּלָּה *nurus*, *facile enim Nun et Lamed permutantur*, *qualia ſunt*, — — (exempla omitto, partim ludicra) *unde colligo* כַּלָּה *et* כַּנָּה *idem ſignificare*, *praeſertim in pſalmo in Chaldaea conſcripto. Addo quoque*, *ſponſam vel nurum ſic dici Arabibus a* كَنّ *tegere*, *unde nomen* كَنَّة *velum*, *tegmen*, *quia ſponſae et uxores tegebantur.* Jam vult, *filium*, Chriſtum eſſe, כנה pro כלה, *ſponſam*, *eccleſiam:* in haec deſinens, *ſi ludere videor non repugno ut ſpernar.* — *Incongrua fortaſſis metaphora videbitur*, *ſponſam plantari.* Refutatione vix opus, haec enim quis probaverit? Unum tamen adde, כ et ל non permutari, aliud ergo plane nomen eſſe كَنَّة et כַּלָּה, prius nunquam *ſponſam*, ſed ſolam *nurum* ſignificare. Nurum quis eccleſiam dixerit? Lege ipſum pſalmum, diſplicebit incongrua, ut ipſe faſſus eſt, figura, vitis, montes cooperiens, derepente in ſponſam mutata.

5) Bochartus in Phaleg., l. I. c. 15. pag. 59. lin. 6. Aegyptium arbitratur vocabulum, quia de vite ex Aegypto translata ſermo: additque hederam teſte Plutarcho, χενόσυρις, i. e. φυτὸν Ὀσίριδος Aegyptiis dici. Audax conjectura, cum Aſaphum linguae Aegyptiae peritum fuiſſe parum ſit veriſimile; nec Iſraelitae ei coaevi Aegyptium vocabulum intellecturi eſſent: alia ratio Aegyptiarum in Moſe vocum. Adde χ hic non ut Ch, ſed ut Germanicum Sch, (Schenoſyris) adpellandum, planta enim Aegyptiis, *Schini*, per *Schei*, Hebraico ש reſpondens. Vide lexicon Copt. Lacrozianum p. 139. Ergo ne ſono quidem Aegyptium nomen Hebraico כנה ſimile.

6) Magis etiam diſplicet, quod ex Maſſonio Simonis attulit, Sinenſibus *Kenn* radicem eſſe: ex alieniſſima lingua Sinenſi nolim Hebraica explicare.

Jam intelliges, cur, nominibus excluſus, ſub praecedente numero כַּנָּה ut verbum explicare adgreſſus ſim. Meliora ſi quis attulerit, gratus utar.

1178.

1178. כנס, התכנס Jes. XXVIII, 20.

והמסכה מהתכנס Symmachus vertit, καὶ ἡ σκηνὴ ἐγένετο εἰς τὸ μὴ εἰσελθεῖν, *et tentorium ita factum est ut intrare nequeas*, (*angustius quam ut intrare possis.*) Non jam, quae loci interpretatio verior, de tugurione (מְסֻכָּה) an de strato (מַסֵּכָה) sermo sit, disputo: id unum moneo, התכנס ex usu linguarum Orientalium omnino significare posse, *intravit.* كنس Arabibus est, *in latibulum se recepit*, et in quinta, تكنّس *tentorium ingressus fuit.* Rabbinis quoque vulgatissimum, כנס, *intravit*, qua notione et συνήχθησαν πρὸς πιλάτον, *ingressi sunt ad Pilatum*, Matth. XXVII, 62. accipiendum esse, forte ex literali versione evangelii Hebraici, monui in, *Erklärung der Auferstehungsgeschichte* p. 86. 87.

1179. כנע.

Humilitatis notio, intransitiva et transitiva, (*humilis fuit*, הכניע *humiliavit*) in lexica recepta, dubio caret, exque ea omnia loca, in quibus verbum occurrit, recte expediri posse arbitror. Ergo de reliquis verbi significationibus non eo fine ago, ut illas, aut emphases ex illis captatas, ulli loco obtrudam, ubi verbaliter occurrit, quod qui fecerunt, illis adsentiri nequeo, sed partim, ne ignorentur, quae aliqui etymologiarum aut emphaticae versionis cupidi in commentariis dederunt, deque illis existimari possit, partim autem et praecipue, quod illis in nomine, quod sequitur, difficili et obscuro, כנעה, carere non possumus.

Humiliandi ergo notionem Hebraica lingua sub his literis cum Chaldaica et Samaritana communem habet, at majores divitias, amplitudinem et origines, dat Arabia. Nec jam velim, quae ex lexicis manuscriptis aliqui descripserunt, iterum describendo, lectoribus vendere, quae jam habent, eadem enim et in Golii, Giggei, Castellique lexicis reperient, non additis, quod doleo, exemplis probantibus, sed ex Geuhar et Camus sumta: mihi suffecerit ea ordine aliquo, ut facilius percipiantur, digerere. Manifestum, كنع

1) primo et ex consveta significatione esse, *contrahere*, vel, *contrahi.* Vide modo, quem describere nolim, Golium. Huc et referendum, sed explicandum, quod ille habet, *contraxit alas aquila ad volandum deorsum;* nempe per sublimia volans, inque illis haerens, expandit alas. Huc et referendum, quod vitia membrorum, eorumque contractio-

 tractio-

tractionem morbosam notat, item quod senium, corpus in se ipsum contrahens, et vincula: كَنِعَ *aetate confectus*, كَانِعٌ *faciei cohaerens nasus*, *vinculis durius constrictus captivus*, أَكْنَعَ *in vinculis detentus fuit captivus.*

2) Hinc et constructum cum عَن est, *fugit*, proprie, *contractus fuit*, id est, timuit, idque iterum, *fugit* ab aliqua re. *Diffugit*, *timore percussus fuit*, habet Castellus. Utinam, ut alias solet, exemplum addidisset.

3) *Humilis fuit.* Haec quidem notio Hebraeis frequentissima, sed tamen et Arabibus nota, cum in prima conjugatione, tum in quarta, أَكْنَعَ *demissus et supplex fuit*, *rogavit.* Nempe a contrahendo ductum, *contrahere se*, i. e. *incurvare*, *humiliare.* Hinc et de stella, *inclinante se ad occasum*, كَنَعَ ponitur.

4) Jam et Chaldaeis est, ut Buxtorfii, exempla daturi, verbis utar, *erubescere*, *pudore dejici*, *turpitudine patrati sceleris deprimi.* Nempe, contracti in se ipsos vultum dejiciunt, quos turpis rei pudet, arguitque conscientia.

1180. כִּנְעָה Jerem. X, 17.

Ἀπὰξ λεγόμενον, quod varie vertitur:

I) Recentiorum plerique, *merces*, intelligunt, Chaldaeum sequuti, סחורתיך, (*collige mercaturam tuam*) vertentem. Nempe referunt ad כנעני *mercator*, quod in lexicis reperies, a gente, mercaturae dedita, mercatore dicto, fere ut Finnica lingua *Sachs* est, mercator primarius (*), (Marchand en Gros). Hoc quidem et in versione Germanica sequutus sum, sed obstare video defectum Nun finalis, a כנען enim, mercatura כנענה dicenda fuisset.

II) Ὑπόστασίν σου, *opes tuas*, habent LXX. utrum conjectura ex filo orationis ducta, an aliquo etymo philologico, non decerno.

III) *Humiliationem* habet Kimchius in commentario: tu, o Babylon, aufer humiliationem tuam, i. e. desine alios humiliare: filo orationis parum apte. Aliter ex eadem, aut contractionis notione, Menachem, a Raschio citatus: *Menachem explicat, quod significet humilitatem aut demissionem, atque* אספי *idem Menachem exposuit, quod significat incurvationem:*

(*) *Schlözers Briefwechsel*, 28 *und* 29*stes Heft* 1779. *p.* 239.

nem: abjice atque demitte magis, quam est humilitas terrae, demissionem tuam, o Hierosolyma, quae nunc habitas in munitione.

IV) Syrus ܟܢܝܥܘܬܟܝ *ignominiam tuam*, ex ea verbi significatione quam supra loco quarto posui. Ex eadem et Vulgata: *congrega de terra confusionem tuam.* Memineris, *confusionem* Vulgatae esse, *pudorem.* Parum lucida sententia.

V) Coacte, ut solet, Venema: *collige mihi de terra contractionis alarum tuarum*, i. e. *in terra sedens, humiliata ac poenitens alis contractis collige animum.*

VI) Everard Schiedius in thesibus philologicis *fascem, sarcinam* vertit, a contrahendo, id est, constringendo dictam.

Horum quidem nullum placet. Equidem adhuc inter duo ambigo, quae, ut mea, ultimo loco ponam:

VII) A contrahendo dici possint, *omnia quae contrahere potes, omnes opes.* Sic quidem, sed philologia duce, ad eam quodammodo significationem redierimus, quam secundo loco sub nomine LXX posui. *Collige omnia, quae contrahere potes, pecuniam, cibos tolerandae futurae obsidioni, et ex agris deporta in urbem.*

VIII) A secunda, *fugiendi*, notione, *collige fugientes*, ut כנעה sit nomen collectivum, *fuga*, pro, *fugientibus:* omnes, qui effugere possunt, collige in urbem.

1181. כְּנַעַן *Canaan.*

Nomen Hebraicum ejus gentis, quam Graeci, incertum adhuc qua de caussa, quam equidem disputationem non attingo, Phoenices vocant. Habitaverat olim ad sinum Arabicum, sed jam ante Abrahami tempus, maxima ejus pars in Palaestinam immigraverat. Vide haec disputata in spicilegio geographiae exterae T. I. p. 166–170. et copiosius, cum ab aliquo solo contradicendi studio negaretur, in secunda editione juris Mosaici, T. I. p. 193–204. Indubio argumento sunt, quae Genes. X, 15. legimus, quos enim ibi in Cananaeis numerat Moses, Sidonii et Aradii, Graecis, quis unquam negaverit? Phoenices sunt. Haec quidem commata, Cananaeorum a Mose memoratas colonias, quin et historiam, illustrata si legere cupias, partem Spicilegii secundam p. 1–63. evolve.

Nec soli Cananaeos hac nomine vocant Hebraei, sed ipsi sese in nummis, estque illis domesticum: Joannes Swinton in Gentlemans

lemans Magazin for Dec. 1760. p. 560. nummum delineari curavit, et interpretatione illustravit, Antiochi quarti tempore cusum, in quo haec literis Phoeniciis leguntur, ללאדכא אם בכנען, *Laodiceae, matris in Canaan*, i. e. metropolis et primariae urbis Phoenicum.

Ignominiosum plerisque nomen visum fuit, *humilitatem* indicans, a כנע, inditum progenitori gentis, ob maledictionem Noachi, progenitoris communis, Genes. IX, 22-25. Non negaverim equidem, multa enim Orientalium nomina cognomina sunt, ex fatis et factis indita; nec tamen pro certo adfirmaverim, vel enim solum Golii lexicon sub كنع evolventi et aliae hujus verbi notiones se offerent, a quibus honeste potuerit Canaan nomen sortiri. In dubiis ergo relinquamus: id unum certum, ita nomen invaluisse, ut ipsi se Cananitae eo vocarent, ut ex nummo Laodicenorum liquet.

Forma nominis, puncta si sequaris paulo insolentior, nec similem habens, כְּנַעַן, occasionem dedit Joanni Simonis, p. 441. onomastici, miram, ac vix placituram compositionem, ex כנע et ענה comminiscendi, ut *humiliationem maximam, matris scil. vel hostium*, denotet. Adnotaverat jam margini libri pater meus, non magis compositum esse, quam גֹּרֶן, צִפָּרֹן, Saegol autem, ob gutturalem in Patach mutari. Mihi ipsa puncta dubia: quid si כְּנָעַן aut melius etiam כְּנַעַן scribas? habebis Nun Heemanticum finale, jam *On* (וֹן) jam *An* (ן) adpellatum, Orientalibus frequentissimum, ut נַעֲמָן, *Naeman*. Arabes certe كنعان (*Chanaan* cum A longo) scribunt, ut disces ex Abulfedae Syria p. 5.

Mercatorem significare volunt Hos. XII, 7. non pauci. Vocabulum כנעני ita poni facile concedo, at כנען semper aut gentis nomen aut regionis est, hoc ipso maxime in loco, ubi cum Ephraimo, populo, componitur. En seriem orationis: v. 7. CANAAN *fraudulentis bilancibus utitur*, — v. 8. *et dicit* EPHRAIMUS, *certe ditatus sum, opportunam nactus sum occasionem, in omni labore meo culpam non invenient, quae sit gravius peccatum.* Sententia, Ephraimitae similiter ut Cananaei fraudibus utuntur, quas peccatum non existimant, quod minutae sunt.

1182. שְׂפַת כנען Jes. XIX, 18. *dialectus Cananitarum.*

Ex ipso quidem filo orationis non potuerunt non agnoscere interpretum plerique, linguam eam esse, quam nos Hebraicam vocamus, qua Israeli-

raelitae in Palaeſtina degentes uſi ſunt, et qua codex ſacer Hebraicus conſcriptus eſt.

Veriſſime quidem haec lingua, *Cananitarum*, dicitur, melius certe, quam Hebraea, quo nos nomine uti ſolemus. Progenitores Iſraelitarum, quo tempore ultra Euphratem paſcebant, lingua non poterant non uti Aramaea, ibi recepta, uſique ſunt ut ex Geneſ. XXXI, 47. conſtat, ubi eundem tumulum, Laban Transeuphratenſis, יגר שהדותא, Jacobus, natalibus jam Palaeſtinenſis, גל עד, ſua uterque lingua, vocant. At in Palaeſtina 215 per annos degentes, ac nati, Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, ejusque filii, non potuerunt non ejus dialectum, id vero eſt, Cananitarum adſciſcere. Duplex quidem vel ipſorum Cananitarum (Phoenicum) dialectus fuiſſe videtur, altera Hebraicae, Aramaeae altera propior, ſed haec hic diſputari nequeunt.

1183. [a]כנף (verbum) Jeſ. XXX, 20.

Verbum كنف Arabibus *tegendi*, *cingendi*, *circumdandi* notionem habet, unde et כָּנָף, *ala*, nomen accepit. In Hebraico codice non niſi ſemel occurrit, ſecundum puncta in Niphal, Jeſ. XXX, 20. לא יִכָּנֵף עוד מוריך, quod poſſis vertere: *non tegentur*, ita nempe ut illos non videas, oculis tuis eripientur, *doctores tui*, filo quidem orationis ſatis apte, cum ſequatur, *ſed oculi tui videntes erunt doctores tuos*. Poſſit vero et denominativum eſſe a כָּנָף, كَنَفٌ *latus*, unde Arabes faciunt, كنف *deflexit*, *ſeceſſit*, et كَنُوف *ſecedens a grege*. Sic alia via prope ad idem deventum, quod recentiorum haud pauci habent, *non avolabunt doctores tui*, Hieronymusque, ſed active יִכְנַף aut יַכְנִף efferens, non *faciet avolare a te doctorem tuum*: praetulerim tamen prius, quod, *deflectere*, uſu linguae Arabicae firmatur, *avolare*, non niſi conjecturae eſt. Citare et duos liceat antiquiores auctores, qui duabus quas propoſui explicationibus conſentiunt. *Tegere* praeivit Raſchius, ſed aliqua addens, quibus carere malim, לא יתכסה ממך בכנף בגדיו כלומר לא יסתיר פניו ממך, *non obteget ſe, ne eum videas, ala veſtium ſuarum*, i. e. *non abſcondet faciem ſuam a te*. Arabicae linguae peritus ſi fuiſſet, haec, quae de ala veſtium habet, omittere potuiſſet, etymologica illa quidem, ſed parum veriſimilia, doctorne enim, ne audiri poſſit aut interrogari, vultum veſte obtexerit? Ipſum adeo Deum, doctoris nomine intelligebat Raſchi: hic qui-

dem tegere ſe, ac conſpiciendum non praebere poſſit: at, vultum veſte involvere de Deo dictu vix decorum, exile nimis. — *Deflectere, abire,* praeivit Chaldaeus, לא יסלק *non aſcendet* ſc. in coelum Schechina.

Dicendum et de LXX ac Syro, quid in vertendo ſequuti videantur. Illi quidem, οὐ μὴ ἐγγίσουσί σοι. Forte volebant, *non ad latus tuum haerebunt*, a כנף (ܟܢܦ) *latus*. Hic, ܠܐ ܢܟܢܫ *non congregabit porro* (*deceptores tuos*, ſic enim ſequens מוריך vertit): nempe, verbo כנף ſignificationem dedit, quam in Syriaca, Chaldaica, immo et Thalmudica lingua habet, ortam niſi fallor, a *tegendo*, *contegendo alis pullitiem*, quod ubi facit mater, eam *congregat*, ἐπισυνάγει ὑπὸ τὰς πτέρυγας. (Matth. XXIII, 37.)

1184. כִּנּוֹר *cithara, quae plectro pulſatur.*

Nomen cum ipſa re, inſtrumento muſico Aſiatico, in Graecam linguam receptum: κινύρα. Sic et vertere LXX ſolent in libris Regum, ac Nehemiae, in aliis, Jobo, Pſalmis, Jeſaia, plerumque κιθάραν, quae ſynonyma ſunt: (licet ſemel, 1 Macc. IV, 54. diſtinguantur, ad quem locum vide notas noſtras). In Pentateucho etiam Geneſ XXXI, 27. κιθάρας verterunt, unde ſuſpicor, cum Geneſ. IV, 21. pro eo ψαλτήριον legitur, (תופש כנור ועגב καταδείξας ψαλτήριον καὶ κιθάραν) vocabula, ſive incuria interpretis, ſive librariorum culpa transpoſita eſſe. Pro chordis, ut copioſe docuit Spanhemius, fila olim ex lino fuerunt, hinc et nomen ductum arbitror, a Syriaco ܩܢܒܐ *cannabis:* cannabinis forte filis Aſia primum uſa.

A pſalterio, (עגב) quomodo differat cithara, optime diſces ex Spanhemii obſervationibus in Callimachum, a pagina inde 466: cithara plectro pulſatur, pſalterium digitis pſallitur. Sic et Joſephus, niſi quod et aliud diſcrimen addit, Antiqu. VII, 12, 3. ἡ μεν κινύρα, δέκα χορδαῖς ἐξημμένη, τύπτεται πλήκτρῳ· ἡ δὲ νάβλα (nablium et pſalterium plerumque idem) δώδεκα φθόγγους ἔχουσα, τοῖς δακτύλοις κρούεται. De chordarum numero diverſo quae habet, ſuſpecta: utrumque inſtrumentum jam plures habebat, jam pauciores, ut ex Spanhemio diſces: *nablium* certe *decachordum* Pſ. XXXIII, 2. CXLIV, 9. (בנבל עשור, ſecundum LXX ψαλτήριον δεκάχορδον) Joſephi aſſerto contrarium. Diſſentit et hac ab eo parte Theodoretus, quaeſt. 34. in librum III. Regum: Τίνα διαφορὴν ἡ ναῦλα πρὸς τὴν κινύραν ἔχει; Ἀνα δέκα μεν φθόγγους καὶ αὐτη κα-

κεινη

κεινη ἔχει, Φασὶ δὲ, τὴν μὲν ναῦλαν δακτύλοις, τὴν δὲ κινύραν ἀποκρούεσθαι πλήκτρῳ. — Caeterum cithara in ſacris literis memoratur, jam, *decem* chordarum, Pſ. XCII, 4. (ubi עשור, *decachordum*, a nablio, נבל diſtinguitur) jam *octo*, Pſ. VI, 1. XII, 1. 1 Paral. XV, 21. forte et trium, ex quorundam enim ſententia שלישים 1 Sam. XVIII, 6. citharae ſunt tres modo chordas habentes, qui minimus earum, ut ex Spanhemio diſces, numerus.

Imaginem citharae veterum ſi cupias, invenies, apud *Spanhemium in Callimachum*, p. 476. in *Muſaeo Capitolino* T. III. ſig. 13. (ubi maxime ad teſtudinem attendes, de qua plura Spanhemius) *picturis Herculanenſibus* T. II. ſig. 1. et 20, (ubi et plectrum expreſſum.) *Relandoque de nummis Samaritanis*, Tab. IX. (ad pag. 210.) quatuor hanc chordarum, ex nummo Judaico-Samaritano.

1185. כבש *ſcopis purgavit* Mich. VII, 19?

Quid de verbis Michae, ut nunc leguntur, יכבוש עונתינו, ſentiam, ſupra num. 1100. p. 1210. 1211. expoſitum. At hic aliter legiſſe videri poſſet, et vero perquam eleganter Syrus, יכנוש, reddit enim ܢܟܢܘܫ. Syris quidem, ut ex Caſtello diſces ܟܢܫ eſt, *ſcopis mundavit, purgavit, abſtulit.* Egregia ſententia: *ſcopis everret iniquitates noſtras.* Indico, ut expendi poſſit, non ſententiam dico, nec meum facio: primo quod ipſa quam ex Caſtello attuli, ſignificatio Syriaci ܟܢܫ, certis exemplis nondum probata; deinde quod, quantumvis illa vera ſit, Syrus interpres in ſuo codice Hebraico יכנוש fortaſſis non habuerit, ſed aut conjecerit, aut oculorum lapſu legerit, facile enim eſt in quibusdam exemplis, ב compreſſius ſcriptum, et נ, confundere.

1186. כֶּסֶא et כֶּסֶה Pſ. LXXXI, 4. Prov. VII, 20. *luna plena, ac decreſcens.*

In pſalmo per He כסה ſcribitur, ſed XVIII codicibus Kennicottianis כסא habentibus; in Proverbiis כסא per Aleph; duobus modo codicibus כסה habentibus. De ſignificatione magnopere diſſentiunt et Rabbini, et lexicographi, etymologias plerumque adferentes. Equidem malim uſu linguae Syriacae uti, etymologiis incertis, inque plures partes ductilibus,

Syris vocabulum vernaculum, quod et Syrus interpres in psalmo 81 retinuit, ܟܒܣܐ, sed ab Arabe Antiocheno, de quo referre vellem, omissum, forte, quod non intelligeret. Bis praeterea in versione Syriaca V. T. occurrit, utrobique de festo tabernaculorum, altero in loco pro die XV mensis, quo festum incipit, 1 Reg. XII, 32. בחמשה עשר יום לחדש, ܒܟܒܣܐ ܒܗ ܒܝܪܚܐ, altero, pro XXIII, qui dies post festum est, 2 Paral. VII, 10. ביום עשרים ושלשה לחדש, [illegible], ܕܟܒܣܐ ܒܗ ܒܝܪܚܐ ܕܬܫܪܝ ubi Arabs, Syriaca in chronicis vertere solitus, reddidit, في نِصفِ الشهر, *in medio mensis*. Ex hoc ergo Syrorum usu denotare videtur totum a plenilunio tempus, usque ad XXIII mensis lunaris diem, vel etiam ultra, quo luna decrescit, sed peculiariter et antonomastice festo tabernaculorum, quod a XV ad XXII celebrabatur, inditum fuisse. Jam in psalmo LXXXI, ubi novilunio opponitur, additurque, *die festi nostri*, novilunium quidem (חדש) intelligendum mensis septimi, anni Israelitici initium, festum tubarum, (Levit. XXIII, 23. 24.) et כסה יום חגנו, dies XV ejusdem mensis, initium festi tabernaculorum. Psalmus his solemnitatibus canendus. Caeterum meminerimus Hebraeos mensem a prima phasi lunae incepisse, est ergo illorum dies XV = XVI vel XVII, et XXIII = XXIV vel XXV.

Ex his quidem, quae diximus, certum non esse, ut plerique lexicographorum, Rabbinos sequuti, volunt, *interlunium*, *novilunium*.

De etymologia nihil certi habeo: potuerit tempus a plenilunio, quousque luna noctu coelum illustrat, mutatis punctis a כִּסֵּא *solio* dici, quod luna tanquam in solio sedet, noctis regina: sed nec decrescenti a XV (seu verius XVI vel XVII) die lunae nomen a tegendo (כָּסָה) ductum, indecorum, ab hoc enim die incipit tegi, et quavis nocte magis jam velatam faciem offerre.

Nec subticendum, quid his duobus locis veteres habeant:

1) Aut prorsus mei, aut proximi sunt, Aquila in Prov. εἰς ἡμέραν πανσελήνου, Hieronymus in Ps. *in medio mense*, inque Prov. (ubi et in Vulgatam receptum) *in die plenae lunae*.

2) Nec abludunt, qui diem festum interpretantur, LXX in Ps. ἐν εὐσήμῳ ἡμέρᾳ, indeque Vulg. *in insigni die*, aliqui in Prov. ἐν ἡμέρᾳ εὐσή-

εὐσήμῳ, ibidemque Chaldaeus (non hic, ut in Proverbiis alias, Graecorum et Syri ſequax) ליומא דעדא, *die coetus*, vel, *feſti.*

3.) Solus Chaldaeus in pſalmo habet, ירחה דמתכסה *luna quae ſe obtegit*, idque hoc auctore, et Rabbinis, in pleraque receptum lexica.

4) LXX in Prov. δι' ἡμερῶν πολλῶν, ſicque et ſequaces eorum Syrus et Arabs. Retuleruntne ad כסס numerare?

1187. כסות *mulcta.* Geneſ. XX, 16.

כְּסוּת עֵינַיִם Geneſ. XX, 16. τιμὴν τοῦ προσώπου σου, *pretium vultus tui*, LXX vertunt, quam explicationem, paululum mutatam, meam feci in biblioth. Or. priore T. IX. p. 188. 189. *mulctam* intelligens *oculorum*, i. e. mulctam pro oculorum audacia, liberius in Saram conjectorum. Vide et rationes ibi redditas, cur velum oculorum mihi diſpliceat. Nempe refero ad כסס, *numerare*, unde et מֶכֶס *tributum*, mutatisque punctis כֶּסוּת vel כְּסוּת effero. Ipſi מֶכֶס alia ſubſternere puncta malim legibus grammaticis magis analoga, ut מֹכֶס, vel מֶכֶס.

1188. כסה *texit* &c.

Notiſſimum verbum, de quo pauca tamen notanda reſtant. Conſtructum cum אל contrariam quodammodo notionem adſciſcere videri poſſit, *revelandi*, ſed facilem expeditu: Pſ. CXLIII, 9. אליך כסיתי *tibi texi*, i. e. *tibi clanculum et ſoli dixi.* Sic plane Arabes a سرّ, (*arcanum*) faciunt, أسرّ, *tanquam arcanum aliquid alicui credidit*, id vero eſt, revelavit, dixit, ſed ſub fide arcani.

ܟܣܐ Syris eſt, *caſtigare.* Hancne ſignificationem ad Hebraica tranſtulit Syrus interpres, וגוה מגבר יכסה Job. XXXIII, 17. vertens ܦܓܪܗ ܕܓܒܪܐ ܡܟܣܐ (ut mihi videtur) *corpus hominis caſtigat.* Sic idem interpres eodem verbo paulo poſt utitur, v. 19. ܢܟܣܝܗ ܒܟܐܒܐ ܥܠ ܡܫܟܒܗ *caſtigat eum doloribus in lecto ſuo.* Non probandi ſtudio enoto, ſed modo, ut intelligatur, quid forte Syrus ſpectarit. Arabs tamen et hic, Syrum interpretatus, ܡܟܣܐ tegendi ſignificatione accepit, ſed prava, ut meis auribus videtur, ſententia, وَيُغَطِّي جسد الرجل

الرجل *et obtegit corpus hominis.* Caeterum Syriacum ܟܒܫ castigandi significationem mutuam sumsisse videtur, a ܟܒܫ, in Aphel ܐܟܒܫ *arguit, reprehendit.*

1189. כסח *everrere, amputare, putare.* Jes. XXXIII, 12. Ps. LXXX, 17.

Duplicem vim verbum apud Arabes Aramaeosque habet:

1) Chaldaeis כסח est, *amputare*, Syris de *putatione vitium* ponitur, chrestom. p. 33. lin. ult. (Assem. Bibl. Or. T, I. p. 374.) ܐܝܟ ܓܦܬܐ ܕܡܬܟܣܚܐ ܘܡܦܩܐ ܦܐܪ̈ܐ ܣܓܝܐܐ *ut vitis, quae putatur, effertque multos fructus.* Hoc ex Chaldaismo in lexica receptum, satis loco Jesaiae aptum, *spinae succisae, quae igne comburuntur.* In psalmo displicet, quis enim de vite, inverso rei ordine, dixerit, *combusta igne, et amputata?* Igne postquam combusta, amputari non potest.

2) Arabibus كسح *verrit domum, et ventus pulvere detracto terram,* pro quo et per Schin, كشح dicere possunt. Hoc quidem me arbitro aptius psalmo LXXX, 17. שרפה באש כסוחה *igne comburitur et everritur,* a vento nempe, *cinerem combustae vitis everrit et absportat ventus, ut nihil ejus reliquum sit.*

1190. כְּסוּחָה Jes. V, 25. *purgamenta, sordes, stercus.*

Secundum puncta ad praecedentem radicem referendum, *purgamenta (Auskericht)* significabit, in plateas projecta. Sic et Arabibus كُسَاحَة *purgamentum, quod everrendo rejicitur.* Aliis כ praefixum visum est, eadem manente sententia, cum סחי enim (Thren. III, 45.) conferunt, quod ipsum *purgamenta* significat. Sic quidem ex veteribus LXX. Syr. Vulg. *quasi stercus.* Ad rem ergo nihil interest, mihi tamen punctorum meliores partes visae, atque כ radicale, a סחה enim, (quod suo loco vide) si esset, sine Vau כסחה fuisset scribendum: nulla autem lectionis varietate codices omnes Kennicotto collati Vau habent.

1191. כְּסִיל Prov. XIX, 1. *delicate vivens, beatus.*

Pauperi (רש) cum opponatur, non videtur hic *stultum*, sed *divitem* significare, inque versu plane parallelo XXVIII, 6. pro nostro, והוא כסיל,

כסיל, ponitur, והוא עשיר. Possit sane a mollitie, et segnitie, *beatius vivens* dici. Arabibus, كسل *segnis et ignavus fuit*, indeque, et vero ut monuit Geuhar, in laudem, كسول *puella molliter educata quae vix e consessu locoque se movet*, talis illa, qualem Moses delicatulam describit Deut. XXVIII, 56. Verteres ergo, etymon quodammodo exprimens: *beatior pauper ambulans integre, quam perversus labiis, delicatulus ac molliter vivens*. De industria Salomon ambiguo vocabulo usus videtur, quod et *mollem beatumque*, et *stultum* significare possit. In rei summa consentit Schultensius ad h. l. sed aliter etymon exprimens, *pingui lumbo fartus*. Vide eum.

1192. כסיל *Orion*, כסילים *sidera a gigantibus nomen habentia*.

Quater vocabulum ut sideris nomen occurrit, singulariter כסיל Amos. V, 8. Job. IX, 9. XXXVIII, 31. et semel pluraliter, Jes. XIII, 10. כסיליהם, *stellae coeli et Chesili ejus non lucent*, quod quidem ad nonnullas facit reprobandas et damnandas explicationes. Pluribus quidem sideribus commune, sed uni κατ᾽ ἐξοχὴν proprium fuisse videtur. Possit et quintus addi locus, ubi Syrus כסל, *Chesil* (כְּסִל) adpellatum, *Hyades*, vertit, (pag. 1268.) sed forte aliter legens. Pagina jam 1264. monitum, aliquoties cum כימה et עיש componi: de his, quae dicam, si quis judicare cupiat adcuratius, relegat ibi de כימה dicta.

Aliqui veterum in vertendo retinent, Chaldaeus in Amoso, in Jesaia Aquila et Theodotio, Graecis literis χεσιλεὶμ et ξιλεὲμ scribentes: quae quidem in Graecis sine dubio est ignorationis confessio, forte et in Chaldaeo, linguae enim Chaldaeae usitatum nomen haud fuisse videtur. Sed jam eos audiamus, qui interpretantur, eo quidem ordine, ut primo loco explicationem veterum ponam, quam veram arbitror, secundo alias veterum, tertio novas recentiorum, quibus, modo primam satis expendissent, opus haud fuisset.

I) Magno consensu veterum, reque ipsa, vincere *Orion* videtur. Sic verterunt LXX Job. 38. itemque in Jesaia: eodemque referendi, qui *gigantem* habent, Syrus et Chaldaeus. Ille quidem in utroque Jobi loco ܓܢܒܪܐ, exque eo Arabs جبّار (vide pag. 263): Chaldaeus in utroque Jobi loco et Jesaia, נפלא, quod neutiquam נְפִלָא efferendum, sed

נִפְלָא,

כְּפַלָּא, ut ex pleniore ſcriptione Jeſ. XIII, 10. כפילֵיהון liquet. כפילים *gigantes* eſſe, vel ex Hebraiſmo notum, nec audiendi, qui nullo aut uſu aut argumento Chaldaicum כפילין planetas verterunt (*).

Eſt autem gigas, גבור, الجبّار, ܓܢܒܪܐ, כְּפִילָא in coelo, Orion, magnus venator, nec vero Graecorum ille, ſed Nimrodus, ab Orientalibus in coelum evectus, ac Moſi jam גבור dictus, Geneſ. X, 8. quod γιγαντα LXX tranſtulerunt, idemque a venatione celebris. Obſervatum dudum a Kirchero, *Oedipi* P. II. 7. p. 202. inque *lingua Aegyptia reſtituta* p. 569. Caſtello, in lexico ſub כסיל, et aliis: ſed quia copioſius hoc de nomine egit Hydius, liceat ea, quae in notis ad tabulas Ulugh-Beighi inde a pagina 44 habet, integra deſcribere. Duo Orionis nomina, جبار (*Gabbar*, *gigas*) et جوزا (Gauza) Ulugh-Beigh poſuerat; ad haec Hydius: "גבור Gibbor, gigas. Propter duos canes, et „leporem, quae ſunt in vicinia, poëtae fabulati ſunt, Oriona fuiſſe φιλο-„κυνηγὸν, venationis ſtudioſum: isque in coelo exiſtens fuerit ſicut Nim-„rod, גבור ציד, *gigas*, ſeu *Potens venatione coram Domino* (**). Hoc „ipſum Arabibus dicitur, الجوزاء, eodem ſcilicet nomine cum Gemi-„nis, idque ob rationem ſupra allatam in notis ad Geminos, quod in me-„dio coelo ſitum ſit. — — At diſtinctionis gratia Arabes etiam alio no-„mine appellant, جبار i. e. *gigas*, *fortis*. Sic quoque Syris dicitur „ܓܢܒܪܐ et Chaldaeis כפלא, quae *gigantem* ac *ſtrenuum* ſignificant, et „in

(*) Sic Jeſ. XIII, 10. redditur in Polyglottis, eamque ſignificationem, ut certam in commentario ſumſit Vitringa, erymologiam adjiciens: planetas, errantes nempe in curſu ſtellas, Hebraeis כסילים, *ſtultas*, dici. Atqui ante omnia probare debuiſſet Chaldaici כַּפִּילִין ſignificationem, ſine argumentis, ſine conſenſu linguarum Orientalium ab interprete Polyglottorum Latino ſumtam. Quamquam illa non ſolo probationis defectu, et quod gratis ſumta eſt, concidit, ſed omnino inepta eſt utrique Jobi loco, כִּפִּלָא in ſingulari habenti: quis enim quaeſo, cum plures planetae ſint, dixerit, *faciens Urſam, et planetam, et Pleiades?* Nec כסיל ter de ſtella aliqua certa ſingulariter poſitum, commune poteſt et genericum planetarum nomen eſſe.

(**) Verius, fabula Graecorum de Orione venatore fluxit ex multo antiquiore Orientali, quae Nimrodum ex venatore praedonem, ex praedone tyrannum, coelo ſacravit. Nec mirum, venatori canem et leporem addi. Inventores figurarum, quibus aſtra ſignantur, non Graeci, ſed barbari, Babylonii maxime et Aegyptii.

„in antiquis bibliorum verſionibus reſpondent Hebraico כסיל, de quo „meam et Rabbinorum ſententiam videbis in notis ad *Navim*, hi enim di„cunt eſſe *Soheil*. Hanc ſequentem Orionis deſcriptionem adducit toties „laudatus Arabs: الجبار على صورة رجل شد على وسطه „المنطقة والسيف *Al Gjebbar eſt in forma hominis, medio cincti* „*baltheo et gladio*. Talem quoque deſcriptionem habet Tuſaeus in tra„ctatu de aſtrolabio: *poſt Aldebaran oritur figura Algjauza, quam vul*„*gus vocat Bahadar* (بهادر) i. e. *ſtrenuum: at aſtronomi vocant Gjeb*„*bar*, (جبار) &c.

Addo his inſignem locum Chronici Paſchalis, de Nimrodo in coelum relato p. 36. ἐγενήθη δὲ καὶ ἄλλος ἐκ τῆς φυλῆς τοῦ Σήμ, Χοὺς ὀνόματι, ὁ Αἰθίωψ, ὅστις ἐγέννησε τὸν Νεβρὼδ, γίγαντα, τὸν τὴν Βαβυλωνίαν κτίσαντα, ὃν λέγουσιν οἱ Πέρσαι ἀποθεωθέντα, καὶ γενόμενον ἐν τοῖς ἄστροις τοῦ οὐρανοῦ, ὃν τινα καλοῦσιν Ὠρίωνα. Οὗτος ὁ Νεβρὼδ πρῶτος κατέδειξε πᾶσι θηρία εἰς βρῶσιν: — itemque Cedreni p. 14. qui de Nimrodo, ἐν τοῖς ἄστροις τοῦ οὐρανοῦ ἔταξαν, καὶ καλοῦσιν Ὠρίωνα.

כסיל, *ſtultum*, i. e. impium ignominiae cauſſa vocaſſe videntur, quem Babylonii gigantem, tyrannum, ſacris jam literis Moſique inviſum, et quem ut hoſtem verae religionis traditionaria informat hiſtoria Aſiatica, multa quidem admiſcens, fateor, fabuloſa, ſed quibus hoc veri ſubeſſe videtur, quod idololatriae deditus, ipſeque inter numina relatus eſt. Adde, quod ejus auſpiciis turris condita, Deo inviſa, inſigni miraculo intercedente deo, ne coepta perficerentur: quem cum Moſes, ſeu potius antiquior illo traditio, carmenque quod citat, גבור vocet, quod inter alia et gigantem ſignificabat, in promtu erat, locum ei inter gigantes vel primarium adſignare, quos vetus fabula coelum oppugnare voluiſſe tradebat. Quin certum, Babylonis conditorem proprio etiam nomine Arabibus الضحّاك *irriſorem* dici. Abulfeda in Iracae deſcriptione, numero (Pariſienſis codicis) 280. ubi Babylonem deſcribit, *dicitur*, inquit, *Irriſorem fuiſſe, qui primus Babylonem condidit*. (ويقال ان الضحّاك اول من بنى بابل).

Quod in Jeſaia כסילים pluraliter leguntur, ejus ratio ex hac una interpretatione reddi expeditiſſima poteſt. Plures ſunt in coelo gigantes, Cepheus, Bootes, Hercules, Perſeus, Auriga, Serpentarius, qui aut

omnes, aut aliqui eorum, potuerunt ab Orientalibus in numerum gigantum θεομαχων referri, stultique seu impii vocari: infra adeo videbimus, Judaeum Hieronymi magistrum, כסיל etiam singulariter positum, Arcturum in Boote interpretatum esse. Jam ergo Jes. XIII, 10. verto: *stellae coeli, et gigantes* (impii, theomachi) *ejus non lucent.* Optime et ex Orione expediri poterit מושכות כסיל, *exsuviae Orionis*: sed hoc totum sub radice משך tractandum.

Jam ad eos pergo veteres, quorum interpretationem sequi nequeo, partimque manifestis erroribus adnumero.

II) *Hesperum* Job. IX, 9. habent LXX, per transpositionem cum עש quod c. XXXVIII, 32. Hesperum interpretantur. Ergo haec nulla auctoritas. In Amoso quidem, ubi עש nulla mentio, pro כסיל Ἕσπερον habet Theodotio, sed hic forte ex LXX Job. IX, 9. nihil de transpositione suspicans, ac de astrorum nominibus parum solicitus, sumsit. Posset quidem Hespero etymon aptari ex eo quod pag. 1319. attulimus, Arabico كَسُول, molliter educata femina: sed prorsus ei obstat plurale כסיליהם Jes. XIII, 10. unus enim modo Hesperus, non plures. Adde inter כימה et עש, stellarum fixarum nomina, stellam fixam melius locum habere quam Hesperum, planetam.

III) *Arcturum*, quae est insignior in Boote stella, parum sibi constans habet Vulgata in capite Jobi 38. Sumsit hanc interpretationem Hieronymus a magistro suo Judaeo, ut ex his intelligitur, quae ad Jes. XIII, 10. scripsit: *Hebraeus, quo ego praeceptore usus sum, Arcturum interpretatus est: nos, sequentes Symmachum, stellas diximus.* Nempe in Jesaia stellas praetulit Symmachi, quod illi loco ob pluralem numerum aptus non esset Arcturus. Est autem Bootes ex gigantum coelestium numero: cum ergo כסיל gigantem interpretari solerent veteres, ipsumque adeo Thargum, pluresque in coelo essent gigantes, ex his Hieronymi magister Booten praetulit. Praeivit, transpositione sumta de qua sub n. II. diximus, Arcturum, Job. IX, 9. septuagintaviralis versio, Πλειάδα, καὶ Ἕσπερον καὶ Ἀρκτοῦρον habens: quamquam hoc ipso in loco insignis et perantiqua varietas lectionis, Hexapla enim Syriaca, ut Norbergius me docuit, ܟܝܡܬܐ ܘܟܘܟܒܐ ܪܡܫܝܬܐ ܘܓܪܒܝܝܬܐ habent; i. e. *Pleiades, stellamque vespertinam et borealem*; hic ergo interpres in suo Graeco exemplo Ἄρκτον, *ursam*, legit, stellamque borealem, (polarem) interpretatus est. Id quidem redibit ad num. VI.

IV)

IV) Syrus, in Amoso, itemque, Jobi XV, 27. ubi כֶּסֶל Chesil extulit, vertit ܥܝܘܬܐ, parum quidem lucide, ipsis Syris de ܥܝܘܬܐ satis incertis, multasque inter stellas divisis, ut ad vocabulum עיש dicam copiosius, in lexico Syriaco facere oblitus. Mihi quidem verisimile, ܥܝܘܬܐ Hyadas esse: sententiam loco Jobi XV, 27. a Syro tributam p. 1268. exposui. Arabs Jobi pro ܥܝܘܬܐ, errore ut puto librariorum عيوق capellam habet. Quod si qua hic in Syro resideret auctoritas, non multum nos juvaret, ob vocabuli obscuritatem: verum nulla ejus habenda ratio, cum ipse sibi contradicat, idemque ܥܝܘܬܐ in eodem Jobi libro, jam pro עיש jam pro כסיל ponat, atque כסיל alias *gigantem* interpretetur. manifesto indicio, interpretem de Hebraicorum significatu non nisi conjecisse, aut aliud in Hebraicis legisse, aut vitiose descriptum esse. Ergo hoc ܥܝܘܬܐ sub כסיל plane abjiciendum.

V) Non ad explicationes, in quibus aliquid residet auctoritatis, sed ad conjecturas interpretum referendum, quod in Jesaia habet Symmachus et Hieronymi commentarius, *stellae*, Vulgata, *splendor*, Syrus, *exercitus eorum:* item, quod paraphrastice in Amoso ponunt LXX, ὁ ποιῶν πάντα καὶ μετασκευάζων, *faciens omnia et transformans.* Nempe, utrumque sidus כימה et כסיל ignorans ille, qui interpretari prophetas minores ausus est, substituit, quod primum, ad seriem orationis non ineptum, in mentem veniebat, sua posuit pro Hebraicis.

Ad conjecturas venio duas aut tres, recentiorum, non sane improbabiles, nisi et conjecturis praestaret omnibus, quod veteres, qui aliquid adhuc linguae Hebraicae aut usu superstite aut traditione nosse poterant, servarunt, et ipse adeo Orion his omnibus novis interpretationibus. Ergo

VI) non pauci fuerunt recentiorum, qui de alterutra ursa, minore aut majore, cogitarunt: nec etymologia eos destituit. Schultensius *frigida* putat haec duo sidera dici, quod polo propinqua: id quidem ex reliquis minus probaverim, frigoris enim notionem nullo certo linguarum usu, sed sola, a qua abstinere non poterat, conjectura etymologica verbo כסל dedit. *Tarditatem* et *segnitiem* sub كسل Arabes habent, fateor, sed eam a frigore dictam, inque hoc primam vim verbi esse, gratis sumtum. Multo verisimilius etymon ab Hillero proditum in Onomastico p. 56. ursam minorem a כֶּסֶל *fiducia* dici, quod sit *fiducia nautarum*,

ſecundum illud Arati, a Cicerone l. II. de nat. Deor. c. 41. repetitum,

Hac fidunt duce nocturna Phoenices in alto.

Poſſis et tertiam derivationem addere, ſi de urſa minore cogites, a كسل, *piger, tardus fuit*, quod eodem prope in coeli loco pigra et immobilis manet. — Verum haec ipſa etymologiarum copia, quid prodit, niſi certum quid ſola etymologia duce de nominibus aſtrorum inveniri non poſſe. Nulla omnino veterum auctoritate accedente, non auſim, tam incerto indicio de urſa ſive minore ſive majore cogitare, maxime cum nec Orion a veteribus proditus, ab etymologia deſtituatur. Vide tamen, quae ſub n. III. notavi de Syro Hexaplorum interprete, pro Arcturo Ἄρκτον habente, quae ſi lectio vera, aliquam ſane haberemus antiquam verſionem praeeuntem.

VII) Fuerunt, qui ſive Sirium ſive Canopum intelligerent. Praeiverunt chriſtianis non pauci ex Judaeis, כסיל *ſtultum* eandem ſtellam interpretati, quae ab Arabibus, سُهَيْل (*Sohail*) *ſtultulus* vocatur, nec obſtrepo conjecturae perquam veriſimili. Primi ita ſenſiſſe feruntur ex Rabbinis Jona, et Iſaac Israel: ſententiam ex illis excerptam, ſuam fecit, Hydius in notis ad Ulughbeighi tabulas fixarum p. 58. 59. Nec ab ea abhorret Schultenſius, (in comment. in Jobum) inter כימה tamen et כסיל dubius: alterum enim ex his aſtrum Pleiadas, alterum Canopum facere mallet, hoc quoque uſus argumento, quod Arabes ortus Pleiadum et Canopi, quos inter media aeſtas interjecta, ut oppoſita nominare ſoleant, etymi et ipſe potiſſimam rationem habuit.

Vereor autem, ut hi, qui graviſſimi auctores citantur, omnino de Canopo cogitarint. Verba eorum ſunt, Rabbi quidem Jonae, ex Kimchio allata, כסיל הוא כוכב הגדול בקרא בערבי סואל והכוכבים המחברים אליו נקראים על שמו כסילים *Cheſil eſt ſtella magna, Arabibus vocata* Saval, (pro Sohail, ut ipſe notat Hydius), *eique conjunctae pluraliter vocantur Cheſilim*: et Rabbi Iſaaci Israelis, כסיל סהיל והכוכבים הנלוים אליו נקראו על שמו, *Cheſil eſt Sohail, ſtellaeque ei conjunctae vocantur pluraliter Cheſilim.* His auctoribus cum crederet Hydius, eosque pro Canopo citaret, non retuliſſe in rationes videtur, duas Arabibus ſtellas eodem nomine *Sohail* vocari *Sirium*, et *Canopum*. Teſtis omni exceptione major Niebuhrius, in deſcriptione Arabiae p. 112. qui Arabes ipſos de nominibus ſtellarum interrogans, Sirium سهيل vocari audiit. Vide eundem p. 116. ubi copioſius contra Hydium adſtruit,

سهيل

سهيل proprie esse Sirium. Jam, cum soleat Canopus discriminis caussa ab aliis, idem nomen *Sohail* habentibus stellis, سهيل اليمن *Sohail Jemen* seu *Felicis Arabiae* vocari, quod in illa per magnam noctium partem oculis clare se offert, aliis versus septentrionem remotioribus Arabiae partibus vix supra horizontem emergens, equidem putarim, Jonam et Isaacum de Sirio potius cogitasse, et utrumque sidus, Orionis venatoris, canisque asseclae conjunxisse, ad idem prope reditura sententia, quod primo loco habuimus, nisi quod toti conjuncto sideri a stella omnium in coelo maxima nomen duxerunt, quae quia amentiam immittere mortalibus creditur, nomen Sohail, stulti, sortita apud Arabes est. Ipse adeo Hydius pluribus stellis nomen Sohail commune fuisse, p. 59. 60. fatetur: quod si ita est, cur hoc nomine a Judaeis audito statim de Canopo cogitavit, stella quae Damascenis, (meminerimus autem scenam fabulae Jobi, in qua bis nomen כסיל occurrit, in valle esse Damascena) et Palaestinensibus, vix exiguo anni noctisque tempore supra horizontem, ei propemodum incubans, emergit? Nempe Canopus ex insula Rhodo, quae Damasco paulo est septentrionalior, vix ac ne vix quidem conspiciendus, Alexandriae jam paulo altior et illustrior, in Arabia demum Felice omnibus notus, unde *Sohail Jemen* dicitur. Verba habe Plinii, l. II. §. 71. *Adeo manifesto assurgens fastigium curvatur, ut Canopus quartam fere partem signi unius* (gradus $7\frac{1}{2}$) *supra terram eminere Alexandriae intuentibus videatur, eadem a Rhodo terram quodammodo ipsam stringere: in Ponto omnino non cernatur.* Canant ergo Canopum Jemanenses, aut qui navigantes versus Austrum altius etiam et illustrius sidus conspiciunt, non Damascenae vallis incola, Jobus, forte ob montes vicinos nunquam conspicatus, ac potius, si aliunde de Canopo sciat, ad *penetralia Austri* (חדרי תימן) eodem in versu (Job. IX, 9.) relaturus: Judaei autem, si qui Chesilum Palaestinae et Damasco fulgentem Sohail interpretati sunt, de illustrissimo potius totius coeli sidere, Sirio, intelligantur.

1193. כִּסְלֵו mensis nonus, ad Decembrem nostrum proxime accedens.

Non occurrit nomen, nisi in libris post exsilium scriptis, Zach. VII, 1. Nehem. I, 1. 1 Macc. I, 54. formae, secundum puncta valde anomalae, maluisses enim כִּסְלָו, formae יִתְרוֹ, sed anomaliae suppetias ferunt literae Graecae quibus nomen in antiquissima versione expressum, χασε-

λεῦ, (i. e. כִּסְלֵו). Nonum mensem esse, certum, Zach. VII, 1. nec tamen nostro, ut communis facit error Novembri, sed Decembri, comparandum. Vide commentationem nostram de mensibus Hebraicis. Nomen unde mensi ductum sit, disputatur. Plerique volunt, a *frigore*, sed hanc *frigendi* notionem verbo כסל gratis dederunt, nullo certo exemplo. Castellus ad praecedens כסיל *Orionem* refert, quod Orion mense Novembri oriatur, sed ut non disputem, Novembrine Orion oriatur potius an occidat (*), in ipso mense erravit, Novembrem כסלו faciens. Adde כסילון per Jod scribendum nomen fuisse, si a כסיל descenderet, cujus Jod nec Hebraicae literae, nec Graecum χασελεῦ vestigium habent. Mihi quidem, si derivationem tentare ausim, December ab Arabico كسل *torpuit, segnis et ignavus fuit*, tanquam, *mensis ignavus* (**). Nempe hoc mense, medio certe, labores rustici in Palaestina finiti, per Octobrem, Novembrem, forte et initium Decembris arabatur, sed jam feriae, ille status rusticae gentis, quem Virgilius Georg. I, 300. describit,

Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se laeti convivia curant.
Invitat genialis hiems, curasque resolvit.

Novembri quidem, male sumto, quo mense maxime aratio in Palaestina fervet, hoc etymon non aptum, eumque excludit.

Sed ut ingenue fatear, omnibus etymis diffido, veritus, ne nomen et recens, post reditum demum ex Babylone lectum, et formae insolentissimae, barbarum sit.

De כסס et derivatis vide supra num. 1187. כסות.

1194. כָּסַף.

Desiderandi, valde expetendi, notionem verbo tribuere solent, praeeuntibus quidem veteribus, mihi tamen suspectam, quod reliquae eam ignorant linguae Orientales. Primam vim verbi in *pallore* esse statuit Schultensius; in Clave dialectorum p. 260. inde ductum existimans, *pallescere desiderio*. Et hoc mihi suspectum: *palloris* notio, quam in lingua Thalmudica habet, denominativa potius a כֶּסֶף argento, nec hujus lin-

guae

(*) Vide Pfaff de ortibus et occasibus siderum p. 83. 84. 85.

(**) Sic eundem mensem, Syris ܟܢܘܢ dictum, nomen accepisse putat pater meus a كنكن *segnis et deses fuit, resedit domi.*

guae, magistralis, non cum lacte matris acceptae, magna auctoritas; displicet et de leone dictum, *expallescit desiderio ad discerpendum*, Ps. XVII, 12. Mihi quidem, consulta Arabia, כסף esse videtur, proprie *nudare*, unde deinde aliae significationes hac serie fluxerunt:

1) كشف est *nudavit*. Hinc

2) de leone positum כסף, erit, *dentes vel ungues nudare ad praedam*. Sic quidem Arabes, alio tamen verbo, de leone, et figurate de malo atque infortunio, أبدى ناجذيه, *ostendit dentes*, chrestom. Arab. p. 38. quod in nota subjecta pag. 39 sic interpretatur Tebrizius: *quod autem ostendere dentes dicitur infortunium, saevitiam ejus et furorem figurate exprimit. Desumtum a leone, qui cum irascitur saevitque destringit labia a dentibus*. Sic ergo Ps. XVII, 12. acceperim, *ut leo, qui dentes unguesque nudat ad discerpendum*: forte et Job. XIV, 15. *operi manuum tuarum nudas dentes*, i. e. *irasceris*. Quamquam hoc quidem loco, maxime dubio,

3) si passive efferas, תִּכָּסֵף esse possit in bonam partem, *operi manuum tuarum nudaberis*, i. e. *revelaberis*, *ostendes vultum benevole*, *ab eo conspicieris*. Sic Eckermannum accepisse video.

4) A nudando faciunt Arabes semipassive انكشف *fugere*, forte quod abjecto clypeo fugimus, est enim أكشف *carens clypeo*. Id deinde ad omnem fugam translatum. Hinc explicem Genes. XXXI, 30. כי נכסף נכספת לבית אביך *fugiebas enim ad patris tui domum*, (vide v. 20. 21.) et Ps. LXXXIV, 3. נכספה וגם כלתה נפשי לחצרות יהוה *confugit anima mea, et magno anhelat desiderio, ad atria Jehovae*. Versus, qui sequitur, altare Jehovae ut aliquod, vel avium ibi nidulantium, asylum describit. Vide notas ad versionem germanicam, *Herodotum* libr. I. c. 159. *Niebuhrii* itinerarium T. II. p. 270. et *Driessenii* specimen observationum p. 42. seqq.

5) A nuditate et *puduit* כסף Chaldaeis significat, quod transtulerim ad Sophon. II, 1. גוי לא נכסף *gens non erubescens*, *gens impudentissime peccans*.

Timide haec scribo, magno me veterum consensu premi videns, plus tamen linguis Orientalibus omnibus, quam interpretibus de verbo mortuae jam linguae forte conjicientibus, aut ex conjicientium Rabbinorum

rum institutione habentibus, credo. Est et ubi a se, desiderandique notione, divertant veteres, ut Soph. II. LXX ἔθνος ἀπαίδευτον, eosque sequutus Syrus ܠܳܐ ܝܳܕܰܥ, Ps. 17. Graeci, ἕτοιμος εἰς θήραν, Job. 14. Graeci, μὴ ἀποποιοῦ, Syr. ܐܬܢܟܣ cogita, delibera, Vulg. porriges dextram, sed nec ante a me dictis, nec linguis Orientalibus consentientes.

1195. כֶּסֶף *argentum*.

Nomen forte accepit a denudando, quod a scoriis nudatur, seque exsuit. Argentum excoctum qui e scoria erumpere vidit, ei satis se probabit derivatio. Quamquam in etymologiis nominum metallorum timidus sum, possint enim exotica esse, cum ipso metallo ex ejus patria adventitia.

1196. כעל *ira*, Jes. LIX, 18. LXIII, 7.

Difficillimum esse, quod pro על cum praefixo כ haberi solet, כְּעַל, Jes. LIX, 18. et vix quae probari possit sententiam fundere, forte non pauci mecum sentient, Lowthus adeo lectionem mutabat, בעל, eleganter sane, sed codice nullo consentiente. Quid si כ radicale sit, literaeque mutatis modo vocalibus כַּעַל ut nomen adpellandae. Habent Arabes كعل quod in secunda conjugatione *turgere ira* est, indeque participium مُكَعِّل *ira turgens*. Vide Golium p. 2907. et Castelli lex. col. 1777. 1778. Hinc כַּעַל *ira* erit, sensusque ex verbis כַּעַל גמולות כַּעַל ישלם prodibit, *ira est retributio, iram rependet*. Quod si hic placuerit, etiam locum alterum LXIII, 7. expediet: *gratiam Jehovae memorabo, laudes Jehovae*, כַּעַל *iram, omnia quae nobis rependit*: aliis verbis, *beneficia Dei et poenas memorabo*, quod quidem sequentibus aptissimum, in quibus de utrisque sermo instituitur. Vide et biblioth. Or. prior. Suppl. T. XIV. p. 183. 184. sed ubi per errorem كُعِل pro مُكَعِّل posueram. Arabicum verbum utinam non ex solis lexicis, sed et usu linguae, exemplisque confirmatum haberemus!

1197. כפה Prov. XXI, 14.

Verbi ἅπαξ λεγομένου plures bonas offert et probabiles explicationes usus linguae Arabicae, ut copia potius quam inopia laboremus, nec opus

opus ſit, ad conjecturas confugere, aut כבה *exſtinxit*, conferre, quod quidem ex antiquis fecerunt Chaldaeus, (hic a LXX et Syro, quorum alias in Proverbiis ſequax, recedens) et Vulgata, *exſtinguit iram*, vertentes. Nempe,

1) ex analogia grammatica כפה erit Arabicum كفى *ſufficit*, quod non cum dandi modo caſu, ſed et adcuſandi conſtruitur, notante Schultenſio ad h. l. كفى الشرّ *ſufficit contra iram*. Aliud exemplum adſcribo ex Sur. XXXIII, 25. *Deus credentibus* كفى القتال *ſufficit pugnam*, i. e. ſufficit in pugna ad vincendum. Hinc optime verteres, *donum clam datum ſufficit contra iram*, i. e. eam ſedat et vincit.

2) Verum et idem verbum in conjugatione tertia, كافى, propriè, *ſuffecit alter alteri*, eſt, *penſavit*, unde, a Golio omiſſum, مكافأة *retributio*. Et hinc egregie vertas, *penſat iram*, i. e. *redimit iram*. Penſandi notionem praetulit Schultenſius, (*penſat naſum*) forte et Syrus, ſi liceat ܐܦܨ in Aphel eadem ſignificatione accipere, quam in Peal habet, ܦܨܐ ܪܘܓܙܐ *redimit iram*: ex conſveto tamen conjugationis Aphel uſu erit, *amovet iram*.

3) كفأ cum Eliph Hamzato, i. e. כפא Hebraeorum, eſt, *curvare*, *avertere*, *invertere*, unde مكفوء *vas inverſum*. Hoc quidem in linguam Thalmudicam receptum, eadem notione, unde, quod in lexico ſuo jam attulit Coccejus, כלי כפוי, *vas inverſum*, linguae Thalmudicae auctoritate contentus, cui majorem addere lubuit, Arabicae. Plura uſus Thalmudici exempla dabit Buxtorfius. Sic quidem verti poſſit, ſive a) *avertit iram* (forte ita, ut dixi, Syrus, *amovet*) ſive b) *invertit iram*, plane in contrarium mutat. LXX ἀνατρέπει ὀργάς.

Mihi quidem ex his aut primum praeplacet, aut ſecundum: ſed lectorum eſto arbitrium.

1198. כפי Jerem. XV, 19.

Vertunt omnes, *ut os meum*, i. e. *per te*, *tanquam os meum*, *loquar*. Sic jam LXX. Vulg. Syrus. Eſt quod in hac verſione diſplicet. Maluiſſem ſane פי, *os meum eris*, languide redundare viſo, et ſententiam

 pre-

premere, UT: nec praecedentibus, *si eduxeris pretiosum a vili*, i. e. metallum nobilius a vili, argentum a plumbo separaveris, satis aptum, *ut os meum eris*. Forte ergo et hoc, mutatis vocalibus, כְּפִי (formae בְּכִי) ad Arabicam rad. كفي *sufficit*, referendum, a qua faciunt كَفِيّ et كَافِي *sufficiens*. Sufficiens, de metallis positum, erit, probum: *si te ut bonum metallum in medio scoriarum praestiteris, sufficientis pretii et probi instar argenti mihi eris.*

1199. כפן Ezech. XVII, 7. *implicare*, *complicare*.

Obscurissimum verbum, ubi inter, *esurire* (pro *sitire* positum) *inflectere*, *circumvolvere se*, in varia abeunt lexicographi. Ego nihil adhucdum expediti habeo, has tamen adspergo notulas.

1) Quod LXX habent, περιπεπλεγμένη et Syr. ܐܟܪܟ *circumdedit*, *circumvolvit*, forte non ad כפנה pertinet, sed ad lectionem variam כנפה, quam nonnulli Kennicotti codices et de Rossii habent. Ejusdem lectionis vestigia et agnosces in כנפיה codicis Kenn. 149. i. e. Bernensis. كنف inter alia est, *circumdare*.

2) Parum aut nihil momenti facit, quod pro *involvendi* notione adfert, in lex. Hebr. Castellus, "*nec abludit Syr.* ܐܟܦܢ, *abscondit*: est enim sine exemplo positum, exque solo Ferrario, cui parum fidei, in lexicon Syriacum ab ipso receptum Castello.

3) Si cui Graecum περιπεπλεγμένη legenti, *implicatum*, et *perplexum* sufficeret, possem equidem ex Arabia opem ferre. Syris quidem ܟܦܢ est *esurivit*, at Arabibus كَفَنَ *nevit*: nere, et complicare, implicare sibi invicem, rei summam si spectes, eadem, ac, *nevit radices*, si ita nimis vertas ad lexicon Arabicum literaliter, nemo aliter intellexerit, quam, *perplexas implexasque sibi alte egit radices*. Nec, si prima vis verbi in *implicando*, *complicando*, Syriacum ܟܦܢ origine ab Arabico dissidebit, namque et alia *complicandi verba* Orientalibus ad *famem* transferuntur, ut Arabicum طوى, *complicuit*, *in se convolvit* (Hebraeis, *nevit*) *famem passus fuit*, nempe, ut alicubi Schultensius observavit, a convolutione viscerum in fame. — — Sed nec hoc, *complicari*, *implicari* contentum fore quemquam lectorum speraverim: expe-

expedita omnia, si propheta scripsisset, כִּפְּנָה שָׁרָשֶׁיהָ *implicat radices suas*, i. e. *alte agit perplexas radices:* sed quod sequitur עָלָיו *super illam* sc. *aquilam* omnia turbat.

Haec dubitaturus, atque ἅπαξ λεγόμενον ut desperatum, aut locum, ut adfectum, dimissurus, scribere incipiebam: inter scribendum venit mihi in mentem, quod lectoribus, deliberaturis forte, subtrahere nolim, duo praefatus, primo, quod ex omni bono lexico notum, גפן generis communis esse; deinde, de quo in grammatica copiosius egi, nomina generis communis in eadem orationis serie, immo eodem commate, alternatim jam masculine jam feminine construi posse. Ipse hic locus Ezechielis v. 6. 7. exemplo; גפן enim

feminine construitur in v. 6. סרחת, שִׁפְלַת, וַתְּהִי, וַתַּעַשׂ, וַתְּשַׁלַּח,

v. 7. הַזֹּאת, שָׁרָשֶׁיהָ, שִׁלְּחָה.

masculine, v. 6. דָּלִיּוֹתָיו, שָׁרָשָׁיו, v. 7. דָּלִיּוֹתָיו.

Jam ergo, quid si עָלָיו non, *super illam* (aquilam) interpretatus, sed *folia sua*, (ab עָלֶה) orationem ita dispescas:

וְהִנֵּה הַגֶּפֶן הַזֹּאת כָּפְנָה שָׁרָשֶׁיהָ, *et ecce vitis haec implicabat radices*, i. e. perplexas et implexas sibi invicem alte agebat radices.

עָלָיו וְדָלִיּוֹתָיו שִׁלְּחָה לוֹ *folia sua et palmites suos extendebat ad illam*, (aquilam alteram.) Addo versionem germanicam, ut eam in secunda editione 1789 institui: *der Weinstock trieb tiefe in einander geschlungene Wurtzeln, und streckte seine Blätter und Zweige an dem Geländer, daran er gepflantzt war, zu diesem Adler aus.*

1200. כפיס *vinculum trabium.* Habac. II, 11.

Copiose et de variis vocabuli interpretationibus egit, ad quem ablego, Bochartus in Hieroz. P. II. libr. IV. c. 24. Ego his plane accedo, qui σύνδεσμον i. e. *vinculum sive ferreum sive ligneum trabium* (*die Klammer*) intelligunt, *uncum* etiam dicere possis: nec praeeuntes indico, aut de illis disputo, quod alii occuparunt. Unum, indico etymon quod me certum reddit, σύνδεσμον trabium intelligendum esse. Verbum ipsum כָּפַס, licet in Hebraicis non occurrens, ex sororiarum linguarum usu est, *ligare.* ܟܦܣ Syris est, *connexuit*, teste Barbahlul, Arabibus كَفَسَ *cui pedes distorti sunt ad partem interiorem*, quasi diceres, *ligatus*, كِفَاس

fasciae, a ligando. Monuerat jam aliquid de verbo Syriaco Castellus, sed ita neglectus his, qui ex eo discere debuissent, ut Coccejus hos, qui ita vertunt, de קבע cogitasse existimet, Simonis, Syriacum כפס memorans, plane ad aliam interpretationem firmandam transferat.

1201. כפף Ps. LVII, 7. *prehendit*.

Loco, quem indicavi, non esse videtur, ut alias, *incurvavit*, quamvis ita verterint LXX, Vulg. Hieron. Chald. Arabs Pol. et Antiochenus, sed *prehendit*, *cepit*, denominativum a כף, manu. Sic a كَفَّ Arabes faciunt, تَكَفَّفَ *exporrecta manu rogavit*, استكفّ *manum extendit*, *manum imposuit*. Verto: *prehendit* (hostis meus) *manu*, vel, *prehendit constringitque reti* (de quo antea sermo) *memet*.

1202. כפר *abnegavit* Jes. XXVIII, 18.

Notissimae verbi significationes 1) *texit*, indeque 2) in Piel כִּפֵּר *expiavit*, q. d. texit delictum: sed his apud Arabes Syrosque accedit tertia, longe frequentissimi usus, ipsa quoque a tegendo ducta, abnegavit. Ex hac explicandum censeo, difficile aliis visum, illud Jes. XXVIII, 18. וְכֻפַּר בריתכם את מות *abnegabitur foedus vestrum cum morte*. Praeivit jam Syrus, eodem verbo exprimens, quod erat linguae beneficium, ܢܬܟܦܪ.

1203. כַּפֹּרֶת vel potius, כְּפֹרֶת *operculum*.

Primo profiteor, his me accedere, qui *operculum* (arcae foederis) verterunt, non propitiatorium: nuspiam enim huic operculo expiatio peccatorum sive a Mose, sive ab ullo alio scriptore sacri codicis tribuitur: sanguis sacrificii, illi inspersus expiabat peccata, non operculum, atque hic sanguis ne soli quidem operculo inspergebatur, sed et ante illud spargebatur (Levit. XVI, 14. על פני הכפרת קדמה ולפני הכפרת). Praeivit ex antiquis Exod. XXV, 17. alibique, Arabs uterque, غِشَاء, *tegumentum*, vertens. Addiderim, jam mutata significatione, et vocales mutandas videri, כְּפֹרֶת, ut sit ex Kal, non Piel.

1204. בית הכפרת 1 Paral. XXVIII, 11.

Nulla in vocabulo difficiliore, quam forte sperasses, varietas lectionis. Ad literam LXX τοῦ οἴκου τοῦ ἐξιλασμοῦ, Vulg. *domus propitiationis*, Chald. בית כפורי. Haec vero domus expiationis, in templo quae? nuspiam enim alibi nomen legitur. Inter *operculum arcae foederis*, et, *adytum*, ambigi video: quorum illud plane repudiandum, de aedificiis enim templi sermo, quorum delineationem Salomoni David reliquerat, non de vasis. Sed nec adytum placet, (sanctum sanctorum) cum nec sanctum memoretur, sed illa modo templi aedificia, in quibus nulla dabatur imitatio tabernaculi Mosaici: sanctum, et sanctum sanctorum, quale esse deberet, descriptu Davidis opus non habebat, cum ex Mose de ejus dimensionibus, hic modo duplicatis aut potius quadruplicatis, constaret.

Solus, non vertere ad literam, sed interpretari, Syrus ausus est, ܒܝܬ ܓܙܐ *gazophylacia*, a כפר *tegere*, thesauros, qui reconduntur, dici existimans. Forte aut verum habens, aut vero proximum.

Sed sejunctim ab illo, mihi quid videatur, exponam. Totum montem templi subtus excavatum non puto, sed ex Tacito scio, ambagesque subterraneas habuisse multas, unas post alteras puto, quibus et thesauri sacri crediti; ita quidem sentio, vel nulla hujus loci chronicorum habita ratione, caussasque ita sentiendi, auctores, facta, exposui, in diario Goettingensi. (*Goettingisches Magazin, dritter Jahrgang, sechstes Stück, n. 1.*) Jam putem בֵּית הַכַּפֹּרֶת (solas vocales muto) *domum tecti*, i. e. *tecta templi loca*, subterraneas esse aubages, alte sub templo ductas, in quibus aurum argentumque sacrum, ac multa alia, de quibus loco citato copiosius egi, reponebantur et adservabantur.

1205. כֹּפֶר Cant. I, 14. num *cyprus*? an, *flores palmae eorumque involucrum*?

Cyprum, ab Arabibus *Alhennam* dictam, plerumque intelligunt, praeeuntibus (sic quidem illis videtur) LXX, qui consone Hebraico, βότρυς τῆς κύπρου, verterunt. Vide in hanc sententiam, Celsium P. I. hierobot. p. 222–226. itemque, qui eam ornavit explicuitque copiosius, Oedmannum in *vermischten Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heil. Schrift*, fasciculi primi cap. VII. et Velthusenium in Cantici interpretatione. Est sane Alhenna illi loco satis apta: crescit in Palae-

 stina,

ſtina, pulchros habet ſvavi odore flores, qui pene in botri morem creſcunt, ut eorum faſciculi potuerint, judice Oedmanno, botri alhennae dici. Vide delineationem apud Proſperum Alpinum de plantis Aegypti tab. XIII. ad cap. XIII. Nec obſtat, quod creſcere dicuntur בכרמי *in vineis Engeddi*, כרם enim non vinea ſolum, ſed et hortus. At duo ſunt, quae mihi rem ſuſpectam reddunt:

1) Suſpecta vocabuli Hebraici ex diverſiſſima lingua, Graeca, explicatio, ac prope luſui ſimilis. Arborisne, quae Palaeſtinae domi eſt (*), nomen ex Graecia adſciverint Hebraei. — — Reponit Oedmannns, Graecos ab Hebraeis exoticae arboris nomen accepiſſe. Conjectura, nec quidquam ultra, ſed et ſunt quae huic conjecturae obſtant. Graeciae exoticam arborem eſſe, unde noverat, aut quo teſte confirmavit? Cypro certe eſt, ut Plinius docuit, domeſtica, prope ſub eodem cum Graeciae auſtrali climate ſitae. Deinde nomen ſine dubio Graecum, primo generatim *florem* deſignans, unde κυπρίζω floreo. Vide Bielii lexicon ſub κυπρίζω et κυπρισμὸς, Küſterique notam 8 ad Svidae T. II. p. 399. Adde novum hujus latioris ſignificationis teſtem, Arabem Cantici interpretem, qui Graecum κύπρος, florem intellexit, vertitque, عنقود الزهر *botrus* (vel faſciculus) *floris*.

2) Suſpectum, quod alhennam, Aſiae celebratiſſimam, nulla alia lingua Hebraicae cognata hoc nomine vocat. Oppoſueris forte Syriacam, ܟܘܦܪܐ *cyprus* Cant. I, 13. quod in lexico ſuo Caſtellus habet. Verum, ſumſit Caſtellus ex latina verſione Gabrielis Sionitae, Gabriel, pro ſuo more, Syriaco vocabulo aptavit interpretationem Hebraici ſuo tempore in Gallia receptam. ܟܘܦܪܐ quid ſignificet, de eo non minus conſtat, quam de Hebraico כפר: quaerenda, non gratis ſumenda ſignificatio eſt.

3) Ipſum illud dubium videtur, de cyprone arbore cogitarint LXX βότρυς τῆς κύπρου vertentes, an, ut Arabem eos intellexiſſe dixi, de *flore*, et vero vitis. Frequens interpreti Cantici, ac prope peculiare, κυπρίζω de vite florente poſitum: c. II, 13. αἱ ἄμπελοι κυπρίζουσιν v. 15. αἱ ἄμπελοι ἡμῶν κυπρίζουσιν VII, 12. ἤνθησεν ὁ κυπρισμὸς. Ergo

(*) Plinius h. n. l. XII. §. 51. de oleo cypri, *optimum habetur e Canopica, in ripis Nili nata, ſecundum Aſcalone Judaeae, tertium Cypro inſula, odoris ſvavitate.*

Ergo ne LXX quidem pro cypro arbore faciunt, ex hoc ſolo loco arrepta, reliqua totius cantici verſione Graeca non perlecta. Recte ergo, ut opinor Arabs, quem miror potuiſſe a S. V. Velthuſenio p. 198. pro ea, quam defendendam ſuſcepit ſententia, citari.

Nec ſolum ad hanc linguae Orientales nemini duces ſunt explicationem, ſed plane ad alias, loco Cantici egregie aptas, ut difficilis eas inter videri optio poſſit, nec aliena adſciſcere opus habeamus. كَافُور Arabibus,

1) teſte Geuhari, *flores palmae, aut involucrum eorum*, idemque nomen et كُفُرّي *ſpatha palmae.* Ejus loco Syri ܟܘܦܪܐ habent. Nomen accepit a tegendo, ſpadix enim florem primo tectum habet, qui deinde rumpitur, impraegnatur ſemine maſculino, dactylis tandem plane botri in modum enaſcentibus. Oculis haec uſurpanda, nec ex ſola libri lectione ſatis percipiuntur: adi ergo tabulam aeneam quam *Kämpferus amoenitatum exoticarum* paginae 697. adjecit, legens ſimul, quae §. II–V. ſcripſit. Sic אשכל כפר eſſe poſſit, ſive

a) *ſpadix palmae maris, quem ſpadici palmae feminae inſerunt, ut eam ſemine maſculino conſpergat ac foecundet.* Vide tabulam aeneam citatam, ſub n. 16. Plus dicens imago, quam ex ore puellae audire velimus; ſed talia multa, atque minus etiam placentia, in Cantico legimus: *ſpadix maſculus, inter ubera mea pernoctans!* reliqua ſine interprete intelliges.

b) ſive *botrus dactylorum*, qui *ex ſpadice natus eſt*, num. 11. 12. Haec inter ipſe eliges.

2) Teſte Ibn Maruph, *etiam involucrum florum vitis*, item a tegendo dictum. Sic quidem LXX accepiſſe videntur, κύπρον *florem vitis* vertentes, non quaeſita, ſed fortuita, Graeci Hebraicique nominis conſonantia.

Ex his mihi quidem prius praeplacet, hanc maxime ob cauſſam, quod Engedi palmarum hortos ſilvasque habuiſſe vel ex altero ejus nomine, חצצון תמר, (*canales aquatorii gregum ad palmas*) liquet. Vide pag. 888 et quae infra ſub עין גדי dicentur.

1206. כְּפִיר *leo adultus, Venerem ſentire incipiens.*

כְּפִיר *leonem juvenem eſſe catulo* (גור) *leonis* oppoſitum, jam a lacte matris depulſum, veriſſime ex Ezech. XIX, 2. 3. monuit Bochartus, Hie-

roz.

roz. P. I. libr. III. Cap. I, 714. cui hoc unum ex eodem Ezechielis loco, quod paulo plus est, addiderim, *leonem juvenem, jam adultum, quique stimulos Veneris sentire, atque leaenas amare incipit.* En verba Ezechielis, a Bocharto praetermissa, quae hoc satis clare indicant, versu ejusdem capitis 5. 6. *leaena — sumsit unum ex catulis suis* (מגוריה) *Chefir fecit illum,* (כפיר שמתהו) quod quid sit, statim explicatur, *ambulavitque inter leaenas, et* כפיר *evasit, didicitque discerpere, hominesque vorare.*

De derivatione cum Bocharto non consentio. Ille quidem, literarum mutatione, ad כבר *magnus fuit,* refert: atqui ne idem quidem sunt, *magnum esse* vel *fieri,* et, *adolescere.* Equidem, si mutatione literarum opus, malim conferre cum جفر cujus una vis (plura enim significat) est in *crescendo* et *adolescendo,* licet vario gradu. Ipsum verbum, *distentum fuit utrimque latus, amplus fuit, incrementum coepit puer foetusque:* vides jam hic, *augescendi, distendendi, crescendi* notionem. Multa et derivata, quae ex Golio non excerpo, amplitudinem et magnitudinem sonant. جُفْرٌ est 1) *agnus* vel *hoedus quadrimestris,* hic quidem adolescere incipiens, nec tamen ad Venerem aptus. 2) *camelus quinquennis,* hic jam adultior. Adultiorem aetatem significare vides, sed in aliis animalibus aliam.

1207. כַּפְתֹּר, nomen adpellativum, Exod. XXV, 31. 33. 34. 35. 36. XXXVII, 17. 18. 19. 20. 21. 22. Amos IX, 1. Sophon. II, 14. *ornamentum candelabri sacri, et capitibus columnarum impositum? sphaera? an calyx corollam floris continens?*

Inspectis his locis omnibus statim intelliges, non de fructu alicujus arboris ea agere, sed de *ornamentis ex lapide, ligno, ut, in candelabro sacro, aut capitibus columnarum.* Sic et in Exodo LXX vertunt, *σφαιρωτῆρας, sphaerulas* Vulgata, חזורין i. e. sphaeras, Syrus, Chaldaeus, Samaritanus, (hic quidem mutato, ut Samaritanis consvetum, Chet in Ain, עזורין). In Amoso et Sophonia in diversa abeunt, nemo tamen pomi aut mali nomen posuit. Pomorum quidem, quae in arboribus nascuntur, alia sunt Hebraeis nomina, Punicorum, רמונים, et commune malorum, תפוחים.

Fuerunt ex lexicographis, qui *malum Punicum* verterent, ex his quidem doctiores, non in arbore natum, sed artificiale intelligentes, ut Castel-

Castellus (*malogranatum artificiale, cujus generis inter pinnacula templorum et structurarum magnificarum ornatus caussa locari solent*). Id vero fraudi fuit, nec discentibus modo, sed et, ut in Spicilegio geogr. T. I. p. 294. 295. monere ausus sum, ipsi Bocharto, qui in explicando nomine proprio *Caphthor* sumit, appellative Hebraeis malum Punicum esse. Sphaerasne, (si modo sphaerae sunt, ornamenta) a similitudine mali Punici Hebraei dixerint, in incertissimis, cum nuspiam malum in arbore nascens ita dicant. Qui illis praeierat, Kimchius in libro radicum, nihil de malis Punicis habet, sed simpliciter de malis, תפוח במין תפוחים, *malum, specie malorum*, sicque et Saadias in Arabica Exodi versione, تفاحة latissime patente vocabulo usus. Pro malis Punicis solum citare Josephum possis, qui Ant. III, 6, 7. in descriptione ῥοΐσκους (mala Punica) habet: σφαιρία, καὶ κρίνα, καὶ ῥοΐσκους, καὶ κρατηρίδιους, pro Hebraicis גביעים משקדים כפתר ופרח, Graecisque Alexandrinorum, κρατῆρες (ἐκτετυπωμένοι καρυΐσκους) καὶ σφαιρωτῆρες, καὶ κρίνα, manifesto errore ex tribus quae in Hebraico sunt, 1) גביעים משקדים (substantivo cum adjectivo constructo), 2) כפתר et 3) פרח quatuor faciens, omnia confundens, κρίνα, quae LXX pro פרח *flore* posuerant, pro משקדים (*amygdaliformes*) ponens. Idem et Graecorum σφαιρωτῆρες, quod pro כפתר posuerant, paululum mutatum in σφαιρία retinuit, et tamen pro eodem כפתר ῥοΐσκους posuit. Huncne auctorem, tam hic confusum et negligentem, in quaestione de difficili vocabulo, et vero sine argumentis, sequemur?

Hactenus ita disputavi, ut sumerem ex veteribus, כפתר *ornamentum* esse *sphaericum, globulum, aureum, lapideum:* ea tamen relegenti, quae num. 323. de גביע dicta sunt, vel hoc ipsum videbitur dubium. Interpretabar ibi, *calicem sensu botanico, qui florem proprie sic dictum, corollam amplectitur.* Expende, describere enim iterum nolim. Id si verum visum fuerit, כפתר etiam in capite columnarum, Amos. IX, 1. Sophon. II, 14. non *globus* erit simpliciter, sed totum ei junctum *ornamentum* elegantius in capitulis columnarum. Ex hac interpretatione et de etymo conjecturas, (amplius enim non habeo,) adscribo.

Nomen est sine dubio quadriliterum, compositum sive,

1) ex כף, *spatha*, et כתרת *corona, corolla: spatha corollae, calix corollam amplexus:* sive

2) ex כתרת *corona* (corolla) et Syriaco ܟܦܬܐ, quod, in lexicis omissum, Exod. IX, 31. legitur, videturque *globulum* vegetabilem, (ut nodum in lini capite) denotare.

1208. כפתר nomen proprium regionis, et כפתרים gentis.

Regionis nomen, in quam colonia Aegyptiorum concessit, et ex qua egressi Philistaei, Genes. X, 14. Deut. II, 23. Jerem. XLVII, 4. Amos IX, 7. de quo copiosius actum in spicilegio geogr. T. I. p. 292-308. Illuc ablego, hic pauca excerpo, additurus, si qua postea adnotavi, aut mutavi sententiam. Illud primum, Genes. X, 14. legenti, non ex Chasthoraeis sed Casluchaeis egressi videbuntur Philistaei, sed pro Chaphthoraeis Philistaeorum progenitoribus faciunt, Deuter. II, 23. Jerem. XLVII, 4. Amos IX, 7. Videntur vocabula per errorem, sed valde antiquum, Genes. X. transposita. Vide Spicilegium p. 276-277.

At quae *Chapthor*, Philistaeorum patria? Missis nugis, de tribus modo primariis explicationibus sententiam dixi.

1) Plerique veterum, in Spicilegio indicati, tanto consensu *Cappadociam* nominant, ut difficile sit, illis non credere, tam unanimibus, et tamen ob situm locorum incredibile, Aegyptiorum coloniam in Cappadociam, non remotissimam solum, sed et plane mediterraneam, immigrasse, atque inde, qua via? in Philistaeam remeasse.

Haec disputans, suspicari incipiebam, eos, qui primi ita verterant, aliam intellexisse *Cappadociam*. Succurrebat, *Cappadocia*, urbs Phoenices, haud procul Beryto, nobilis fabuloso Georgii equitis facto, qui ibi regis filiam a dracone liberasse ab adcolis creditur. Sed abdicabam, quod recentius nomen videretur, a Georgio equite ipso, quem Cappadocem ferunt, urbi inditum. Dubitare tamen iterum, ac novo examine dignam habere conjecturam repudiatam coepi, cum in *Schultzii* itinerario (*Leitungen des Höchsten*) T. V. p. 466. hanc ipsam urbem, nunc vicum, *Caphtoram* vocari legerem; certe ipse nullum aliud ejus nomen ab incolis audivisse videtur, nec quidquam confinxit, nostri enim Hebraici כפתור ne in mentem quidem ei venit. Adscribo ipsa verba, hominis quidem perquam indocti et prope supra communem mortalium sortem stupidi, Judaeis convertendis emissi, quorum peragrata Europae, Asiae, Africae parte convertit ne unum quidem (Matth. XXIII, 15.) sed tamen sanas, ut puto, aures habentis, et audientis, ea recte audientis, de quibus nihil suspi-

ſuſpicabatur, quo pertinere poſſent. *Früh eilte der Conſul mit mir und Mr. Abbot nach Caphtora, einem Dorf in der angenehmſten Gegend, wo meiſtens Griechen wohnen, und wo er ein Haus hat, da er ſich zuweilen zu ſeinem Vergnügen aufhält. Das Dorf iſt ziemlich groſs, und es iſt ehedem auch ein anſehnliches Kloſter hier geweſen, welches aber nun völlig eingefallen.* — — Nihil ſane ſuſpecti vides, nihil quod finxiſſe teſtem, quantumvis indoctum, putes.

Jam ſententiam non dico, quod intra hos parietes, quibus concluſus ſum fieri non poteſt, nec ex libris dici, ſed ab his ſolis qui illa adeunt loca, et in nomen urbis, nunc pagi, ut ab incolis et accolis adpellatur inquirunt. Solis opus habent auribus. Si *Cappadocia*, ſeu potius *Capdoc*, et, *Caftor*, ei nomen eſt, res plana et expedita: nec veri diſſimilis erit, ſitu locorum ſpectato, migratio coloniae Aegyptiae in Phoenicen ad radices Libani, circa Berytum, maxime cum et aliae coloniae Aegyptiorum in vicinia, ut Baalbecae, fuerint, nec remeatio ex hoc ſeptentrionali litore ad magis auſtrale, in quo poſtea Philiſtaei habitarunt. Inquiſitu opus, cui materiam proſterno: ipſe, Goettingae inquirere non poſſum.

II) Cyprus כפתר viſa Swintono, in *inſcriptionibus Citieis, et diſſertatione de nummis Samaritanis et Phoeniciis* p. 78-85. cujus nominis et in nummo Phoeniciis literis inſcripto, et in Graecorum traditionibus, veſtigia ſibi reperiſſe viſus eſt. In illo quidem לבדץ כבדר legebat, interpretabaturque, *Lapetus Capdor* i. e. *Cypri*. Cypri nomen olim fuiſſe Κϱυπτος, et Stephanus de urbibus et ex Aſtyonymo Plinius refert; jam Swintonus conjicit, verum nomen ac barbarum fuiſſe Κυπτϱος, quod Graeci pro more ſuo, etymologiae graecae amore, in Κϱυπτος mutarint. Haec, in ſpicilegii parte I. p. 303-307. enarrata copioſius, ſatis veriſimilia, ſed tamen utrumque conjecturale: vereorque, ne ſpicilegium ſcribens plus paulo quam par eſt, veriſimili conjecturae tribuerim. Sed eblandiebatur pene ſuffragium, Cypri ipſe ſitus ac coloniam illuc ex Aegypto ductam, ex inſula deinde, aſpera olim et incolis diſplicente, in Philiſtaeam remeantem, commendabat. Unum addebam, *explicationi nihil ad certitudinem deeſſe, praeter veterum interpretum auctoritatem.* Hanc jam addere aliquam poſſim. Nullus quidem veterum כפתר *Cyprum* vertit, at supereſt apud veteres memoria coloniae Cypro in Palaeſtinam deductae, antiquioris vocabuli כפתר de Cypro intellecti, veſtigia prodens. Jerem. XLVII, 4. pro שדד יהוה את פלשתים שארית אי כפתור LXX, nomine quidem Cy-

 pri

pri non expresso, et nomine אי a כפתור divulso, aliqua parte ex Symmacho et Theodotione interpolati habeat, ἐξολοθρεύσει Κύριος τοὺς ἀλλοφύλους, τοὺς (vel τὰς) καταλοίπους τῶν νήσων, καὶ Καππαδοκίας. Ad haec verba Theodoretus: καὶ τοὺς ἄλλους προφήτας ἑρμηνεύσαντες, ἐδείξαμεν, ὡς ἄποικοι Κυπρίων καὶ Καππαδοκῶν ᾤκησαν πάλαι τὴν Παλαιστίνην, *alios prophetas interpretantes docuimus, Cappadocum et Cypriorum colonos in Palaestina habitasse.* Idem ad Jes. IX, 12. ubi pro *Philistaeis* (פלשתים) nescio quo errore, LXX Graecos (Ἕλληνας) posuerunt, hoc Graecum aut excusaturus aut interpretaturus: εἰκὸς δὲ ἦν, καὶ τινας τῶν Ἑλλήνων ἀποίκους μετὰ τῶν ἀλλοφύλων οἰκεῖν, ὡς καὶ Κυπρίους καὶ Καππαδόκας· τοῦτο γὰρ παρὰ τῶν ἄλλων ἐδιδάχθημεν προφητῶν, *verisimile erat, inter Philistaeos aliquos etiam colonos Graecorum habitasse, ut, quod ex reliquis prophetis discimus, coloni ibi Cyprii erant et Cappadoces.* Haec qui scribit, in Syrorum commentariis Theodori forte Mopsvesteni aliquid de Cypriis (כפתרים) legisse videtur, ex quibus Philistaei egressi. Nobis quidem illi commentarii perierunt, sed magna eorum auctoritas, cum ob insignem viri eruditionem, tum quod Syris malles, quam aliis credere Cypri nomen antiquum. Hinc donec aliquid novae lucis, Non Liquet.

III) *Cretam* intelligit Calmetus, quae ab eo dicta sententia late fluxit. Nempe כרתים pro nomine habens proprio Philistaeorum, praeeuntibus quibusdam veterum, *Cretenses*, interpretatus est, contra grammaticam quidem, *Cretenses* enim Hebraice כרטים scribendi. Non est hic hac de re dicendi locus, sed tota quaestio ad כרתים pertinet. Paginas modo spicilegii cito, ubi de ea anquisivi, Cretamque nolui, T. I. p. 281-292. et 307. 308.

Jam his omnibus deliberatis, nondum liquet. Creta plane abdicanda: Cyprus commoda situ et verisimilis, sed, donec novi quid, forte in Theod. Mopsvesteni commentariis latentis, eruatur, prope conjecturalis: Cappadocia Asiae minoris minime verisimilis ob situm: Cappadocia prope Berytum, modo antiquum nomen urbis est, et Caphtor, quod Schultzius auditum refert, usitatum, nec error, aurium an manus, omnes prope habitura esset numeros veritatis.

1209. כר הגמל Genes. XXXI, 34. *lectica dorso cameli imponi solita.*

Ex omnibus ἅπαξ λεγομένου vocabuli explicationibus unice mihi videtur vera, quam *Schultensius* in *animadversionibus ad varia loca veteris*

Testa-

Testamenti, attulit, neglecta quod miror, ab his qui post eum scripserunt, ut, Simonis (*). Idem censet כר Arabico كُور, quod ex Damirio sic describit: (*camelus*) *dorso suo gestat domum* (بيت) *in qua sedet homo cum cibo, et potu, et vestibus, et vasis, et pulvinaribus suis, et supra domum tectum.* Damirius quidem nomen non addit, sed habet et nomen, et concisius dictam rem, Golius, sub كُور *sella camelina cum adparatu suo.* Delineationem ejusmodi lecticae reperies in *Joannis Helfrich kurtzem und wahrhaften Bericht von der Reis nach Hierusalem* (1580) sub die XI. Octobris, statim ante eam plagulam, quae litera M subscripta notatur: paginas enim, quas citare possim, numeris notatas, liber non habet. Est illa digna inspectu.

Sententiam praeivisse Schultensio videtur, non citatus ab ipso, sed de quo sibi gratularetur, Chaldaeus et Syrus, uno eodemque uterque nomine utens, עֲבִיטָא, ܥܒܝܛܐ sed cujus significatio hucusque dubia fuit. Vide Buxtorfii lexicon: Thalmudicos, Rabbinosque habebis de eo dissentientes. Mihi idem esse videtur, quod Arabicum غبيط, a Golio explicatum, *clitellae muliebres, seu sagma, in quo firmatur pilentum camelinum.*

Solus vocabulum Hebraicum linguae beneficio retinuit Samaritanus: forte ergo aliquid ex versionibus Samaritano-Arabicis lucis sperandum. Nostrae quidem habent, Saadiae, قتّب, i. e. *sella camelina minor*, ab Erpenio edita, بُردة, *clitellae vel iis substratus pannus.*

1210. כרכרות Jes. LXVI, 20. *lecticae* (a duobus mulis gestatae).

Dromedarios plerique interpretantur. Vide Bochartum Hieroz. I. II. c. 4. p. 89. 90. qui et veterum collegit explicationes. Incerta omnia et conje-

(*) Solus aliquid habet, quod huc referendum putem S. R. Schultzius, sed obscuriuscule dictum, et cum citato, quod reperire non datur: *est Arabum* كُر *domus cameli, cujus descriptionem vide apud Golium sub hac voce.* Adi Golium, nec quidquam de domo cameli reperies, nec forte intelliges, quae *domus sit cameli.* Forte haec cum scriberet Golium non evolvit vir doctissimus, sed vetus notatum, in quo aliquid vitii commissum, sequutus est. كُور quidem ex Golio citari rectius potuisset, quod ille, sed paulo obscurius, vertit, *sella camelina cum apparatu suo.*

conjecturalia in vocabulo ἅπαξ λεγομένῳ: ausimne et meam promere conjecturam. Mihi quidem idem videtur, quod praecedens כר, *lectica dorso cameli vel alius animalis imposita, aut, ab eo gestata* ejusque quadriliterum. Occupasse jam dixeris, ac praeivisse sententiam LXX qui junctum praecedenti פרדים, verterunt, ἐν λαμπήνοις ἡμιόνων μετὰ σκιαδίων, *in lecticis mulorum cum umbraculis.* Arabs illos interpretatus reddidit, في هوادج البغال بظلالات *in Havadig mulorum cum umbraculis:* quod هوادج (Havadig) Golius interpretatur: *pilentum camelinum, ex asseribus vel textili opere factum, sive coopertum, sive apertum, in quo consident, quae camelo vehuntur mulieres.* Sic erit, *lectica a duobus mulis gestata*, mollissimum ac frequentissimum Italiae vehiculum. Eodem referendi, aut proximi, qui *carrucam* vertunt, Hieronymus, Symmachus (ἐν καρούχαις) atque jam diu ante utrumque, Syrus, ܒܩܪܘܟܐ, quo de nomine vide lexicon Syriacum p. 829.

1211. כָּרִים, כָּרִי 2 Reg. XI, 4. 19.

De hoc quidem vocabulo vide Ikenium, §. XI. dissertationis de Crethi et Plethi, (p. 127. P. I. dissertat. philologico-theologicarum) aliosque, quos Simonis in lexico citavit. Ad hos ablegans, meam jam de vocabulo in obscuris habito, sententiam dico.

1) *Centuriones* qui vertunt, sine dubio falluntur, ab his enim in utroque versu ut genus militiae, cui centuriones praepositi כרים et רצים distinguuntur.

2) Eosdem, qui sub Davide כרתי et פלתי dicuntur, hic כרים ורצים vocari, verisimillimum, quod et copiosius disputavit Ikenius, et Vulgata quodammodo praeivit, versu 19. *Cerethi et Phelethi* habens.

3) Nec duo mihi genera militum esse כרים et רצים videntur, sed utrumque nomen junctum, *milites*, designare, prius ductum a كَرَّ *insilere, impetum facere:* proprie, *impetum-facientes*, et *cursores.* Ab acri in hostem incursu, cui adsveti erant, nomen acceperunt. Praeivit Vulgata, v. 4. habens, *centuriones et milites*, ubi quis non videt, *centuriones* pro Hebraico שרי המאות poni, pro utroque vocabulo, לכרי ולרצים, unicum, *milites.*

4) De כרי versu 4. sine ם scripto quaeri video, et a quibusdam responderi incredibilia, ut, esse pluralem sed per apocopen ם finalis.

De

De lectionis quidem integritate fuit, cum dubitarem, suspicarerque לכרים rescribendum esse, ut versu 19 habetur: verum non nisi unus codex Kennicotti, 250, (Taurinensis sextus, anno Chr. 1335 exaratus) conjecturam firmavit, forte et alter 115 *לכרי quidem habens, sed ultima rasa, ut olim לכרים fuisse videatur. LXX jam sine ם legerunt, itemque Theodotion, χοῤῥὶ et Ῥασὶμ habentes. Mihi quidem כרי singularis numeri esse videtur, cum Jod formativo, quale in רַגְלִי aliisque multis habemus, inque ipso adeo eorundem militum nomine Davidis tempore, כרתי ופלתי. Expedita omnia, nec erat, cur turbarent grammatici indocti.

Forte et veterum versiones hic legere velint alii. LXX, Theodot. Vulgatam omitto, de quibus jam dixi. Arabs, الجبابرة والاجناد *fortes et exercitus*, (inversa v. 19. vocabulorum serie) Syrus, ܪ̈ܗܛܐ ܘܡܫܬܠܚܐ *cursores et tabellarios*, Chald. גבריא ורהטיא *strenuos et cursores*.

1212. כרובים *animalia sphingica tonanti currui-Dei juncta.*

Copiosius de hoc argumento egi in commentatione, *de Cherubis equis tonantibus*, anno 1751. societati scientiarum Goettingensi praelecta, inque ejus *commentationum Tomo I. 1752.* typis descripta. Illuc ablego, hic modo dictu maxime necessaria excerpo, ibique non dicta addo.

Classicus de Cherubis locus est, Ezechielis caput I. et X., ubi quatuor animalia sphingica, ex alite, homine, et quadrupede composita, currui tonanti Dei, in medio nimborum, juncta sunt: haec quidem c. X, 15. 20. expressis verbis כרוב dicuntur.

Fragor tonitruum, currus acerrime agitati sonum referre auribus nostris videtur. Hinc factum ut poetae graeci et latini Jovi *tonantem currum equosque tonantes* tribuerent, nec poetae solum, sed et poeticus Plato, cui Juppiter est, *ὁ μέγας ἡγεμὼν ὁ τὸ πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων.* In Svecia audio a rusticis idem vulgari sermone fieri, eosque pro *tonuit*, dicere, *bonus senex curru vehitur (God Gubben åker)* atque, majore cum crepitu fulminat tonatque simul, *rota boni senis fracta est.* Huic currui equos jungunt Graeci et Latini, Hebraei aliquod fictum animal, ales, sed humani non parum habens atque intelligens, caput vero, jam hominis, bovis, leonis, aquilae, jam aliorum forte animalium, qua de compositione copiosius loco citato disputatum. Sphinges ab Aegyptiis mutuas sumsisse,

ſiſſe, ſuaeque intuliſſe mythologiae poeticae Hebraei videntur: Porphyrio περὶ ἀποχῆς libr. IV. c. 9. p. 154. ſphinges Aegyptium inventum.

Hac currus tonantis notione ſumta omnia, ubi Cheruborum mentio fit, loca ſacri codicis lucent. Primus ſtatim, Geneſ. III, 24. non jam angelum aliquem, ut finxerunt, perpetuas egiſſe ac triſtes excubias, ſed ex antiquo carmine deſumtus, poetice dicet, *hic currum tonantem, et flammam gladii vibrati collocavit*, id vero eſt, tonitru et fulminum jactu mortales, quoties propius ad illa loca accederent, terruit et repreſſit. Pſ. XVIII, 11. in deſcriptione gravis tempeſtatis, Deique in illa adventantis, *vectus eſt Cherubo*, (equo vel curru tonante,) *et volavit*, quod ſtatim vates interpretatur, non de angelis cogitans, ſed de ventis, *volavitque in alis venti*. Pſ. IC, 1. *Jehova — — ſedet in curru tonante, mutat terra.* Intelligis jam, quid ſit, cur 1 Paral. XXVIII, 18. Cherubi הַמֶּרְכָּבָה *currus* vel *vectura*, *bigae*, dicantur, quamquam plus etiam illi loco lucis, ſi pro פָּרָשִׁים mutatis vocalibus legas, פְּרָשִׁים vel פָּרָשִׁים quod non equites ſolum ſed et equos ſignificare poſſe infra dicemus: תַּבְנִית הַמֶּרְכָּבָה הַכְּרוּבִים זָהָב לְפֹּרְשִׂים (fecit) *imaginem currus* (tonantis) *Cherubos ex auro, qui pro equis erant.* Simili phraſi uſus Siracides, c. XLIX, 8. *Ezechiel vidit viſionem gloriae*, ἣν ὑπέδειξεν αὐτῷ ἐπὶ ἅρματος χερουβεἰμ. Jam et Moſes, cum Cherubos in adyto, ſedem et thronum Dei fieri juberet, (*vacuam*, ut vocat Tacitus (*), *ſedem*, *et inania arcana*) quid prodere aliud hac imagine voluit, quam coli ibi et adorari *ſummum Deum, cujus regale et proprium fulmen currusque tonans habebantur* (τὸν μέγαν ἡγεμόνα, τὸν τὸ πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνοντα, verbis Platonis diceres) *ſed inviſibilem.* Solus conſpici currus poterat, non ſeſſor. Parietibus quoque templi, et tapetibus tabernaculi, illuſi artificis manu Cherubi, praeſentiam ſummi Dei, curru tonante vecti, ſimulabant. Exod. XXVI, 1. 1 Reg. VI, 29. Ezech. XLI, 18. 19. Apud prophetas cum toties inter Dei nomina et hoc legis, יוֹשֵׁב הַכְּרוּבִים, *curru tonante vectum, ſummum* cogita *Deum.*

Nec defuerunt ex veteribus, qui ſententiam praeiverunt. Similitudinem quidem Cheruborum et currus tonantis vidit Juſtinus Martyr, Platonem adeo ex Moſe currum, quem Jovi tribuit, volucrem, ſumſiſſe exiſtimans, caeterum de ipſis Cherubis ſententiam non promens, in cohorta-

(*) Hiſtor. l. V. c. 9.

hortatione ad Graecos, p. 30 (editionis Colonienfis 1686) Πόθεν ἄλλοθεν μεμαθηκὼς ὁ Πλάτων πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνειν τὸν Δία ἐν οὐρανῷ λέγει, εἰ μὴ ταῖς τῶν προφητῶν ἐντυχὼν ἱστορίαις; Ἔγνω γὰρ ἀπὸ τῶν τοῦ προφήτου (Ezechielis) ῥητῶν περὶ τῶν χερουβὶμ οὕτως εἰρημένον, καὶ ἐξῆλθε δόξα Κυρίου ἀπὸ τοῦ οἴκου, καὶ ἐπέβη ἐπὶ χερουβίμ· καὶ ἀνέλαβε τὰ χερουβὶμ τὰς πτέρυγας αὐτῶν, καὶ οἱ τροχοὶ ἐχόμενοι αὐτῶν, καὶ δόξα Κυρίου Ἰσραὴλ ἦν ἐπ᾽ αὐτοῖς ὑπεράνωθεν. Ἔνθεν ὁρμώμενος ὁ μεγαλόφωνος Πλάτων μετὰ πολλῆς παῤῥησίας βοᾷ λέγων· ὁ μὲν γὰρ μέγας ἐν οὐρανῷ Ζεὺς, πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων. Nec tamen plane eadem mecum fenfiffe Juftinum juraverim; forte enim aliquid arcani ac myfterii Cherubis fubeffe putabat, certe non ad mythum, qui pluribus communis effe gentibus potuerit, referebat, fed Platonem, nec ab Aegyptiis fed ab Ezechiele putabat fumfiffe: Ifidorus Pelufiota, libr. IV. epift. 73. τὰ δὲ χερουβὶμ θρόνος ὄντα καὶ ἅρμα τοῦ θεοῦ. Ephraem Syrus, T. II. p. 17. infima, licet obiter, memorat ܡܪܟܒܬܐ ܕܟܪܘܒܐ *currum, feu vecturam, Cheruborum.*

Nomen unde ductum fi quaeras, multa multi obtulerunt, tam obfcura veteres, ut difficile fit expedire, unde has nugas habeant: Philo l. III. de Mofe, T. II. p. 150. editionis Mangeyanae, ἐπίγνωσιν καὶ ἐπιστήμην πολλὴν interpretatur, quem qui fequuti fint, patrum, etiam doctiffimi, Clemens Alexandrinus, Origenes, Hieronymus, difces ex nota a Mangeyo fubjecta. Mira interpretatio: multitudinem quidem, fed malus grammaticus, ex literis vocabuli mediis רב exfculpere poffit, at cognitionis et fcientiae veftigium in eo nullum. Sufpicari poffis, eum de בין cogitaffe, χερουβὶν audientem: verum non ita nomen fcripfit, fed χερουβίμ. Aliorum conjecturas omitto, meam dico. كرب Arabibus eft, *arctius adftringere lorum naribus cameli trajecti, illumque angere.* Sic eo utitur Tebrizius in nota ad carmen Taabbata-Schatrae, p. 56. chreftomathiae, *quod dicit, cum altera naris obftruitur,* مثل للمكروب المضيق *imago ejus eft, quem angit oppreffio, anguftatio,* i. e. adverfa fortuna. Vide et Golii lexicon, fignificationesque verbi hac ferie difpone, ut prima fit, *adftringere arctius,* inde a conftringendis naribus, *angere.* Reliquae jam nihil ad nos. Eft ne ergo כרוב proprie, *camelus* aliudve jumentum, nobilius atque animofius, cui domando lorum per nares transmiffum arctius adftringitur? Equos tonantes fi Deo velis dare, tales effe oportet, in quibus, ut verbis Ovidii utar, *parcendum ftimulis, fortiusque utendum loris.* Quin poffis etiam ab

ab adſtringendo omne jumentum currui junctum et alligatum dicere. — Pſeudojonathani כרובה Levit. XI, 22. nomen locuſtae eſt, ejus, quae Hebraeis חגב dicitur: hocne ipſum nomen ab equo ligato, i. e. ſtrato, et fraenato ductum? Solent Arabes locuſtas equis comparare, ut copioſe docuit Bochartus. Zach. XIV, 20. Chaldaeus habet, כְּרוּבַת סוּסְיָא ſuntne et haec *fraena* equorum? Reliqui certe interpretes, LXX. Vulg. Syr. fraena hic habent pro Hebraico מְצִלּוֹת.

Aliorum me derivationes omittere, vixdum dixi; reperies enim in lexicis: unicam, quam in illis fruſtra quaeſieris, utpote recentiorem, vix mihi, ſupplementa ſcribenti, omittere licitum. Forſtero, p. 126. *libri de byſſo antiquorum*, vocabulum eſt Aegyptium, ex (Latinis utor literis, Copticis deſtitutus) *Ich-charabai*, *ſpiritus tonans*. Mihi quidem ſi Aegyptia derivatio admittenda in mythologia, ortu, ut videtur, Aegyptia, exque Aegypto et in Hebraeorum libros, et in Graecorum maxime Platonis, recepta, vel ſine Ich ſolum ſufficeret, *Charabai*, *tonitru*, quod vide in la Crozii lexico Coptico, p. 144. Placet ſane ſententia, ſed dubitemus, donec altius exploraverimus.

Sphinges, quales Aegyptii habent, id eſt, animalia ex pluribus compoſita, Cherubos eſſe, jam ſupra monui, nec tamen omnes ſunt ejusdem formae. Ex alite, homine et quadrupede compoſitos diſputat Spencerus libr. III. de legibus Hebraicis, diſſ. 5. quem ipſum adiri velim, non compilaturus. In deſcriptione Ezechielis c. I. quam totam lege, aliquid majus etiam humano accedit, ipſis rotis currus tonantis plures oculos habentibus. Decori id forte cauſſa, quod dei currui animal ſupra mortalem ſortem evectum jungere fas eſt. Ezechieli Cherubi ſinguli quaternas facies habent, *hominis*, *leonis*, *bovis* et *aquilae*. Moſen legens, qui nihil de pluribus habet, uno capite et uno vultu contentus eris, nec tamen uno omnium. Duo enim Cherubi cum operculo arcae foederis inſiderent, aliique plures illuſi acupictura tapetibus eſſent, Exod. XXVI, 1. veriſimiliter et facie diverſi erant, ipſa hac diverſitate aliquid ſignificante, quod ore myſtagogarum prodebatur. Sed nec de faciebus diverſis, nec de myſtica interpretatione, quidquam novimus, tacente Moſe.

Ipſi quidem Cherubi non per ſe angeli, nec certus, ut imperiti finxerunt, ordo angelorum, in ignoto nomine ludentes: ſed mythologica fictio, ut equi tonantes Graecorum. Solis auribus ducibus ejusmodi mythum condere et vulgus poteſt, et poetae, ſonum agitati currus audire ſibi, ubi tonat, viſi, nulla, nec currui, nec equis, nec rotis ſubjecta peculitari

liari ſententia. Sed poteſt et mythologiae adcommodari aliqua interpretatio. Proximum, quaerenti, et maxime obvium, ventos intelligere, qui nubes agunt; ſic interpretari Davides videtur Pſ. XVIII, 11. Peritior aliquis noſtri temporis philoſophus hanc imaginem ſi confinxiſſet, de electrica materia, repellente, attrahente, cogitare potuiſſet, ſed haec naturae myſteria quis illi tempori, humanique generis infantiae, aut conceſſerit, aut obtruſerit. Ad homines transferri mythum, Deo ſacros, forte et potentes atque currum tonantem rapere viſos, ex Ezech. XXVIII, 14. certum. Potuerit ſane et ad angelos, maxime cum Ezechielem auguſtius etiam humana natura informare animans, curruique dei jungere, videamus: nullibi tamen in ſacris literis angelos Cherubos vocari video, ne in Novo quidem Teſtamento, et Apocalypſi, cujus capite V, 9. quatuor animantia, Ezechielicis ſimilia, *redemtis Chriſti ſanguine, ex omnibus tribubus, et linguis, et populis et gentibus* adnumerantur. Moſen cum adyto duos Cherubos, pluresque tapetibus ſanctuarii daret, de angelis cogitaſſe, aut cogitari voluiſſe, mihi parum veriſimile: nec quidem hanc ob cauſſam, quod acerrimi polytheismi adverſario periculi plenum videri poſſet, imagines angelorum, a ſuperſtitioſis pro Diis cultorum, ſacrario inferre, ipſa enim humilis ac proſtrata figura, adoranti ſimilis, indicio, inviſibiles Dei miniſtros, adoratores, currum eſſe, non Deos, ſed quod in Moſe adparuiſſe quidem angelos, at nuspiam angelorum nomina, aut de illis theologiam vel philoſophiam lego, cujus usque ad reditum ab exſilio Babylonio nullum in literis Hebraicis veſtigium. Peculiarem habemus de Cherubis librum Philonis, (Edit. Mang. T. I. p. 138 ſeqq.) loquacem, ut ſolent eſſe Philoniana philoſophemata, et parum ſolidi, ſive adeo, quo delectari lector poſſit, habentem. Mirum, ſcriptorem, quantus quantus eſt, Platonicum, ne hic quidem de curru tonante Platonis cogitaſſe: verum mera captabat myſteria. Id tamen ex eo diſcimus, fuiſſe (Judaeos forte Aegyptios), qui aſtronomice Cherubos interpretarentur. Fuſius haec ille pro ſuo more taedium legentibus facturus, ſed brevius contraham. Ergo aliis erant duo Cherubi, *planetae ac ſtellae fixae, quae contrario motu volvuntur*, aliis, *utrumque coeli hemisphaerium*. Abſurda ſententia, ſi de Geneſ. III, 24. quaeras, in quo interpretando pro more ſuo myſtice ſomniat, at minime ſpernenda, ſi de duobus Cherubis, arcae foederis impoſitis, inviſibilis Dei throno ac ſede. Potuerit ſane, ut Deos habet mythologia Aegyptia eodem ſub nomine coeleſtes ac terreſtres, ex Aegypto egreſſus Moſes, ab omni ſuperſtitione purus ſed tamen ejus mo-

rem in adumbranda per mythos philosophia et theologia sequutus, duplicem conjungere currum Dei, primo tonantem, hac in atmosphaera, humilem quidem illum, si sublimiori comparetur, sed tamen terrentem mortalia pectora, deinde illum multo sublimiorem, coeli sidera: nec jam decernere ausim inter stellas utriusque hemisphaerii fixas, et, fixas omnes planetasque. Omnes illae pro Diis cultae aliis a gentibus, vero deo pronae, humiles, adoratrices, ejusque solium. Magna imago, atque digno sane adyto. Sic et in sanctuario exteriore, hunc, ut mihi videtur mundum solarem simulante, candelabri lucebant septem lampades, septem imago planetarum. Haec si ita sint, potuerint et illusi tapetibus sanctuarii Cherubi, forma quidem, vultus maxime et capitis varii ac diversi, signa zodiaci et alia astra referre. Sed de his certi quid aut verisimilis edicere cauto ac prudenti haud licet, cum ne facies quidem ac capita cheruborum Moses scripto prodiderit: ignoranda nobis illa theologia arcana, nobis quidem adultis haud necessaria, quae infantiam generis humani, has imagines videntis, eas explicando erudiebat.

Haec quidem postquam saniora, certe non plane improbabilia, praemisisset Philo, ad sua pergit, quae ipsi, mirum exordium, mens divinitus acta indiderat. *Audivi*, inquit, *et melius quid a mea anima, quae solet nonnunquam a deo agitari, atque de his quae non novit oracula fundere, quod si potero, dicam et commemorabo.* Post has ampullas, et enthusiastici somnii deliria, prodit, utrumque Cherubum, et vero paradisi, esse, Dei ἀγαθότητα καὶ ἐξουσίαν, in quibus metaphysico acumine exponendis, cum res sint, cuivis notae, diutius ludit, quam me describendo ludere lectores patienter laturos reor.

1213. כִּרְבֵּל *succinxit, arctius adstrinxit.*

Ἅπαξ λεγόμενον 1 Paral. XV, 27. de Davide ante arcam foederis saltante, וְדָוִיד מְכֻרְבָּל בִּמְעִיל בּוּץ, in quo interpretando licet nos prima fronte destituere videantur linguae Orientales, satis unanimes sunt veteres, cogente fortassis filo orationis: LXX, qui mihi hic verissimi videntur, περιεζωσμένος ἐν στολῇ *accinctus stola*, Vulg. *indutus stola byssina*, sic et Syrus, ܡܬܥܛܦ, Arabsque لابس, Chaldaeus denique, in rei summa non dissentiens, sed verbo minus commodo, ubi de saltante sermo, usus מִתְעַטֵּף *obtectus pallio byssino.*

Hoc

Hoc quidem ultimum ex lingua Chaldaica ſumtum, cui כרבל eſt, *tegere:* ſed ejus auctoritati, ubi ſola incedit, magnopere diffido. Ipſum non dubium Chaldaicum et Syriacum nomen, כַּרְבַּלְתָּא et ܟܪܒܠܬܐ *criſta galli* eſt, non tegumentum, non involucrum, quamquam nec diffitear, potuiſſe a *tegendo capite* duci.

Licetne promere, quid de verbo quadrilitero ſuſpicer? Compoſitumne ex כָּרַב, كرب, *adſtrinxit*, *arctius adſtrinxit* (vide pag. 1345.) et כבל, كبل *conſtrinxit*, ſpec. compedibus conſtrinxit, unde et compedes Hebraei כֶּבֶל dicunt.

Putem ergo, מְכֻרְבָּל בִּמְעִיל eſſe, *qui pallium ſibi arctius et altius adſtrinxit*, ne in pedes propendeat, ſitque ſaltanti impedimento.

Liceat et hic mentionem injicere, ſed dubitabundo, de Chaldaico nomine כַּרְבְּלָן, Dan. III, 21. ubi veſtitus, aut ornatus nomen eſt. Id quidem veterum aliqui, *ocreas* vel *tibialia* interpretati ſunt, Theodot. ἐν περικνημίσιν, indeque Arabs وأخفافهم pauloque Vulgata liberius, *in calceamentis.* A ſuccingendo et adſtringendo potuerint et ocreae dici, maxime Perſicae, lumbos etiam tegentes, atque ad femur ſuccinctae: tibialia braccis juncta. Sic מכרבל 1 Paral. 15. foret, *ejusmodi ocreis ſub pallio accinctus.* Conjecturam modo, ex hypotheſi aliorum, promere videri velim: mihi enim adhuc veriſimilius, כרבלן plumas eſſe tiaris impoſitas, apices, ex Syriaco ܟܪܒܠܬܐ *criſta galli.*

1214. כרה

Fodiendi ſignificationem cum Guſſetius verbo negaſſet, ex ſola conjectura latiorem *parandi*, dediſſet, ex qua et dici poſſit, *parare foveam*, copioſius de verbo egi in collegio critico in Pſalmum XI., p. 330–350, quo ablegans pauca excerpo, additurus, ſi quid poſtea mihi adnotavi.

Vicies cum verbum occurrat, Geneſ. XXVI, 25. L, 5. Exod. XXI, 33. Num. XXI, 18. Deut. II, 6. 2 Reg. VI, 23. Jerem. XVIII, 20. 22. Hoſ. III, 2. Sophon. II, 6. Pſ. VII, 16. XL, 7. LVII, 7. XCIV, 13. CXIX, 85. Prov. XVI, 27. XXVI, 27. Job. VI, 27. XL, 25. 2 Paral. XVI, 14. duodecies quidem cum nomine rei, quae foditur, fontis, foveae, ſepulcri conſtruitur, Gen. XXVI, 25. L, 5. Exod. XXI, 33. Num. XXI, 18. Jerem. XVIII, 20. 22. Pſ. VII, 16. LVII, 7. XCIV, 13. CXIX, 85. Prov.

 XXVI,

XXVI, 27. 2 Paral. XVI, 14. Idne verisimile in verbo, quod non est, *fodere*, sed generatim *parare*? Quid erat, cur non et toties, כרה בית *paravit* pro aedificavit domum, ac similia, inveniamus?

In lingua Arabica كرى pro كرو sine dubio est, *fodere*.

Unanimiter *fodere* multoties verterunt; (loca in coll. critico indicavi) LXX, Arabes, cum Graeca interpretati, tum textum Hebraicum, et vero saepe eodem verbo كرى utentes, Vulgata, Hieronymus, Chaldaei, Syrus, Aquila, Symmachus. Adde his Philonem, in vocabulo quidem Hebraico male intellecto, et Hebraicae linguae perquam imperitum, sed id tamen ex eo discimus, Judaeis in Aegypto degentibus כרה eo tempore intellectum fuisse, *fodere*. Urbis χαῤῥὰν nomen, cujus scriptionem Hebraicam per Cheth, (חרן) ignorabat, ad כרה refert, deque eo *in libro quod a Deo mittantur somnia*, T. I. p. 626. ἑρμηνεύεται γὰρ, τότε μὲν ὀρυκτὴ, τότε δὲ τρῶγλαι, δι' ἀμφοτέρων τῶν ὀνομάτων ἑνὸς δηλουμένου πράγματος. Nempe ὀρυκτὴ *effossa*, est a כרה, alterum τρῶγλαι a חור.

Haec fodiendi notio non solum locum habet, ubi aliquod rei effossae nomen sequitur, sed et Prov. XVI, 27. Job. VI, 27. ubi a fossione foveae imago desumta ad eum transfertur, qui aliis insidias et mala parat, itemque Sophon. II, 6. כרות רעים *fossiones pastorum*. Nec vero hic, ut vulgo faciunt, de *cavernis subterraneis*, in quibus habitent, sermo, Nomades enim, nullam certam sedem habentes, semper vagi, non in specubus habitant, sed in tentoriis: sunt potius cisternae, quas effodiunt, aut fontes, gregibus per deserta adaquandis. Vide ejusmodi Nomadum Arabicorum cisternas descriptas a Diodoro Siculo l. XIX. c. 94. et confer 2 Paral. XXVI, 10. — — Job. XL, 30. יכרו עליו *fodiunt circa illum*, (crocodilum) est, *fossas ei parant*, quibus capiatur, quod quomodo fiat, disces ex *Mailleti descriptione Aegypti epistola nona p. 32*. (In notis Germanicis ad hunc locum breviter ex eo exposui.) — Ps. XL, 7. אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִּי non est, *aures perforasti mihi, ut servis fieri solebat*, Exod. XXI, 6. hoc enim et alio verbo dici solet, רצע, nec duae aures (אזנים) perforabantur: sed *effodisti vel efforasti mihi aures*, i. e. aurium meatum mihi effodisti, aures dedisti ad audiendum. Bene Arabs Pol. فتحت لي *aures aperuisti mihi*. Vide collegium criticum in psalmum XL: hic modo habe simillimas Hebraicae Latinorum Graecorumque phrases. Cicero, Quaest. Tusc. I, c. 20. *viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad*

nares

nares a sede animae perforatae. — — *Facile intelligi potest, animum videre et audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sunt animi.* — *Foramina illa, quae patent ad animum a corpore callidissimo artificio natura fabricata est.* Idem de Natura Deor. l. III. c. 4. *natura duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluit.* Philo, eodem quem supra citavi loco, T. I. p. 626. *Charran* unde Abraham exiit, foramina, i. e. quinque sensus, mystice interpretaturus: Τὰ γὰρ σώματα ἡμῶν εἰς τὰ τῶν αἰσθήσεων ὄργανα τρόπον τινα ἐξορώρυκται, καὶ γέγονεν ἕκαστον τῶν ὀργάνων ἑκάστης ὀπὴ τις αἰσθήσεως, ἐν ᾗ πέφυκε φωλεύειν: *corpora nostra ad sensuum organa efficienda quodammodo perfossa sunt, et unumquodque organum est tanquam foramen, in quo sensus latibulum habet.*

Habet praeterea verbum et alias, aut habere creditur, significationes, quas cum hac notissima et usitatissima paulo est difficilius conferre.

1) *Emere.* Sic omnino poni videtur Deut. II, 6. de aquae emtione, ut שׁבר de cibi: אכל תשׁברו מאתם בכסף ואכלתם וגם מים תכרו מאתם בכסף, atque, sed deleto Dagesch forti in Caph, Hos. III, 2. וָאֶכְּרֶהָ *emi illam mihi.* Hunc *emendo* significatum nulla alia habet lingua Orientalis, cognatus tamen ei, *conducendi*, frequens Arabiae, nec in verbo modo كرى, sed et in ejus derivatis, ut ex Golio disci potest: quod ipsum, conducere, LXX ad Hos. III, 2. transtulerunt, καὶ ἐμισθωσάμην ἐμαυτῷ, male quidem, ut puto, sed id disputandi non est hic locus. Nota quidem *emendi* significatio veteribus, quam Syrus Genes. L, 5. Deuteron. II, 6. Hos. III, 2. Chaldaeus, Vulg. Hieron. et uterque Arabs Deut. II, 6. Chald. Hos. III, 2. habent. — — Quomodo sint, *emere*, et *conducere*, cum *fodere* cognata, difficile dictu. Estne כרה non *fodere* solum, sed et, *secare?* Vulgata quidem Job. XL, 25. *concidere* vertit, (*concident eum amici*) Syrisque ܟܪܐ dicitur esse, *decurtare.* A concidendo dici potuerit venditio, quod in plures partes massa conciditur: sic Latini suum *secare*, et *sectio* ponunt. Sed haec etymologica nimis conjecturalia, quam ut vel mihi ipsi placeant.

2) 2 Reg. VI, 23. de adparatu convivii ponitur, ויכרה להם כרה גדלה. Estne ergo et, *comedere*, ut Job. XL. 25. verterunt, LXX ἐνσιτοῦνται ἐν αὐτῷ ἔθνη, et Chald. יעבדון עלוי שׁירותא *facient ex eo convivium?* Estne convivium a secando, aut frangendo pane dictum? ut in Jobo ad etymon verterit Vulgata, *concident eum amici?* — —

Equi-

Equidem nihil adfirmo. Jobi locum aliter explico, ut ſupra jam dictum: in regum libro non poteſt niſi de convivio ſermo eſſe; ſed ſuſpicio aliquando mihi ſuborta, per ב legendum וַיִּבְרֶה לָהֶם בְּרוֹדֵי, quam tamen non niſi unicus codex, Kennicotti 112, isque recens, anno 1428 Bononiae ſcriptus (*), aliqua parte firmavit, ויברה habens. Quidquid eſt, nulla alia lingua Orientalis hac verbum notione habet.

Eos veterum, qui Guſſetio ſuppetias ferre videri poſſunt, quod, liberius illi paulo, כָּרָה *parare*, vel *praeparare* verterunt, in collegio critico p. 346. 349. indicavi: hic eorum nomina non excerpo, ne diutius lectorem teneam. In eodem collegio critico et aliarum interpretationum, quas apud veteres reperias, ut, triſtitiae, ſaliendi, ratio ex cognatis linguis reddita.

1215. כַּרְכְּמִישׁ *Cercuſium* Jeſ. X, 9. Jerem. XLVI, 2. 2 Paral. XXXV, 20.

Charchemiſch ad Euphratem ſitam fuiſſe, ex Jerem. 46. et Paral. 35. manifeſtum. Perquam ergo veriſimile, ac mihi prope certum, quod a plerisque probari video, *Cercuſium* eſſe, (קרקסיא היא כרכמיש על שׂפת נְהַר פרת verba ſunt itinerarii p. 62.) *Cercuſium*, *Circeſium*, *Circeſſum*, Arab. قَرْقِيسِيَة, *Kerkiſie*, ad Euphratem invenies ubi Chaboras in illum influit, in delineationibus d'Anvillianis paulo poſt gradum latitudinis 35: apto ſane ad hiſtoriam, magnumque praelium ibi inter Aegyptios et Nabachodonoſarem commiſſum, ſitu. Nomen unde acceperit, non conſtat. Simonis conjecturas, quibus omnium delector minime, ut mittam, ad Camoſum poſſis deum referre (כְּמוֹשׁ) cujus nomen Jerem. XLVIII, 7. in ipſo textu כְּמִישׁ ſcribitur, ut ſit, ſive, כַּר כְּמוֹשׁ *regio Camoſi*, ſive כְּרַךְ כְּמוֹשׁ *caſtellum Camoſi*. Sed hoc in incertis relinquamus, monere tamen opus duximus ob ea, quae infra de Syro dicenda. Circeſium ſi eſt, lapſu temporis una ex literis nominis, M, perierit, nec id mirum, maxime apud Orientales, qui quinquelitera una truncare litera, brevitatis nominum ſtudioſi, ſolent.

Mirum, ſententiam tam veriſimilem ex antiquis praeiviſſe neminem. Aliqui nomen ſuis exprimunt literis: ܟܪ ܟܡܘܫ (ſic enim Polyglottorum

(*) Vide Kennicotti diſſ. generalem ex Brunſii editione p. 384.

rum ܟܪܟܡܝܫ ܚܢ, manifeſte vitioſum, ex Ephraemi commentario corrigendum) in Jeſaia, *Charcamis* ibidem Vulgata, inque Jeremia LXX Χαρμεὶς, exque illis Arabs حرميس -- LXX in Jeſaia τὴν χώραν ἐπάνω Βαβυλῶνος, *regionem ſupra Babylonem*, interpretantur, כַּר כְּמוּשׁ, ut videtur, efferentes. Sic regionis ipſum nomen illis viſum כְּמוּשׁ. Non ergo urbem, quae forte olim ignobilis, ſed totam regionem intellexerunt. *Supra*, ſi hic ſit, *ad ſeptentrionem*, aut ſi ad fluvii Euphratis curſum referatur, ſatis concinet conſvetae explicationi, ſupra Babylonem enim Cercuſium eique circumjecta regio.

At, parum ſane veriſimiliter, in chronicis Syrus ܡܒܘܓ, ex eoque Arabs منبج. Eſt illa, *Hierapolis* Graeco, *Mabog* et *Bambice* barbaro nomine, quam in tabulis d'Anvillianis circa gradum longitudinis 56. latitud. 36. invenies, paulo borealior, quam ut putem, ibi praelium Aegyptios inter et Chaldaeos commiſſum fuiſſe, nec ad ipſum Euphratem. Suſpicor, etymon nominis a Deo aliquo Camoſo ducti, eum ſpectaſſe, urbemque quaeſiviſſe aliquo magno idolo celebrem, incidiſſe in Hierapolim, ſanctam ideo dictam, quod ibi prodigioſa colebatur Atargatis. His indiciis ſi ad Hierapolim pervenit, magnopere ſane a via aberravit: Camoſus Deus, Atargatis Dea, de qua vide, ut lubet, dicta in bibliotheca Orientali T. VI. p. 96. aut in lexico Syriaco ſub ܐܬܪܥܬܐ, hoc enim Deae nomen Syriacum, quae exteris jam Atargatis eſt, jam Derceto.

1216. כֶּרֶם, *vinea, olivetum, palmetum, hortus.*

De notiſſima vocabuli ſignificatione, *vinea*, dicere non opus: verum et latius illud patet. Manifeſtum et de olivetis poni, Jud. XV, 5. כֶּרֶם זָיִת, eademque latitudine accipio, ſeu potius et hortos complecti putem Jerem. XXXIX, 10. collato c. XL, 10. כְּרָמִים enim c. 39. dari pauperculae plebi vides, ex quibus c. 40. colligunt, יַיִן וְקַיִץ וְשֶׁמֶן, *vinum, et fructus aeſtivos, et oleum.* Cant. I, 14. palmeta etiam hoc vocantur nomine, vide enim ſupra ſub כֹּפֶר dicta. Job. XXIV, 18. ubi navigium mortuos ex mythologia veterum ad inſulas, beatorum vel damnatorum devehens, non ſe vertit, אֶל דֶּרֶךְ כְּרָמִים, *ad viam* כְּרָמִים, non vineas, ſed genera-

generatim *hortos*, *hortos beatorum*, البستان Arabibus dictos, *paradisum* nobis, intellexerim. Vinearum viam vix unquam navis adpetit, solent enim esse magis mediterraneae.

Mihi quidem haec series esse notionum et origo videtur. كرم Arabibus, *nobilis fuit*, كريم *nobilis*. Hebraei suas in quatuor genera dispescunt terras, 1) יער *silvam*, dumeta quoque complexam 2) שדה *agrum*, in quo frumentum seritur 3) מדבר *terram pascualem*, 4) כֶּרֶם *nobilem*, i. e. *in horti modum cultam*, quam et alio nomine, quod infra vide, נֶגֶב, vocant. Proprie ergo כֶּרֶם terra nobilior, in horti modum culta: sed deinde ad vineas maxime, in Palaestina frequentissimas et nobilissimas transiit, licet et de olivetis et de palmetis poni non desineret.

Nomen plerumque masculinum est, sed Jes. XXVII, 2. 3. et feminine construitur. Sic et Chaldaeis aliquando femininum, ut Deut. XX, 6.

1217. כְּרִים Ps. XXXVII, 20.

In bibliotheca Or. priore T. XII. p. 147. suspicatus sum, כרם hujus nominis radicale, et כרים (proprie, nobilem, كريم) synonymum praecedentis, *vineam*, esse: conjiciebam et, יקד כרים (per Daleth) *incendium vineae*, legendum esse. Suppetias conjecturae tulit cod. Kennicotti 145 (Argentoratensis 1) in Keri כיקר habens. Displicet tamen jam, ac verisimiliora videntur, num. 1122. sub כר dicta.

1218. כַּרְמֶל nomen proprium.

Nomen proprium est, primo montis et promontorii pulcherrimi, de quo nihil dico, quod omnia occupavit Relandus: deinde urbis in montano tractu tribus Judae, Jos. XV, 55. 1 Sam. XXV, 5. de qua non ille solum aliqua scitu necessaria intacta reliquit, sed et ex ignorato ejus situ errores attexuit Bachienus.

Ergo primo hoc scire lectores velim, ab Oriente eam maris mortui sitam fuisse, in vicinia urbis מעון ut ex utroque loco certum. Maon ultimam Syriae versus Orientem urbem esse, bidui a Soara itinere, infra ex Abulfeda discemus. Jam ergo non laborandum in his quae Eusebius Hieronymusque in *libro de situ locorum Hebr.* (T. II. Operum Hieronymi p. 426. referunt, Κάρμηλος, ἔνθα ἦν Ναβὰλ, κώμη ἐστι εἰς ἔτι νῦν χει-

μαλλα

μαλὰ (vitium scriptionis pro Χερμαλα) ὀνομαζομένη, ἀπὸ δεκάτου σημείου χεβρῶν, πρὸς ἀνατολὰς, ἔνθα φρούριον ἐγκάθηται: *Carmelus, ubi Nabal quondam, — nunc villa est Chermela nomine, in decimo lapide oppidi Chebron, vergens ad Orientalem plagam, ubi et Romanum praesidium positum est.* Laboravit autem, non haec X milliaria de recto itinere intelligi posse arbitratus, *Bachiene* P. II. suae Palaestinae §. 327. Non erat, quod laboraret, remotior adeo versus Orientem vicina ei Maon.

Deinde nec hoc ignorandum, tempore adhuc belli sacri superfuisse. Describo totum Guilielmi Tyrii locum, l. XX. de bello sacro, c. 30. quod loci habet indicia illustria, ut, piscinam, ex quibus si quis unquam illuc penetraverit, certi quid de termino Orientali Palaestinae, situque loci in historia Davidis nobilitati, statui possit: *rex Saladino usque in solitudinem occurrit, ubi cum nuntiatum esset, quod Saladinus in Syriam Sobal declinasset, timens eum illuc sequi, — — ascendit in montes, et locum sibi eligens ad stationem congruam, secessit in Carmelum. Est autem hic Carmelus non ille mons, qui in maritimis situs est, Heliae familiaris: sed viculus quidam, ubi olim stulti Nabal domicilium legitur fuisse. Hunc ergo locum prudenter sibi elegit propter aquarum commoditatem. Erat enim ibi vetus, et ingentis magnitudinis piscina, quae ad usum universi exercitus aquarum ministrabat copias.*

Possis non improbabiliter et de hac Judaeae olim, postea, ut pluribus accidit, in vaticinio eodem memoratis, Moabitarum urbe cogitare, Jerem. XLVIII, 33. *auferetur gaudium et laetitia* מכרמל ומארץ מואב *ex Carmela* (urbe) *ac terra Moabitica.* Quod si placuerit, forte et eodem modo locum parallelum accipies, Jes. XVI, 10. *auferetur gaudium et laetitia* מן הכרמל, nisi quod ibi et ob praecedens He demonstrativum adpellative accipere malles, et ob sequens כרמים, *vineae.* In Jesaia quidem si appellativum, et in Jeremiae simillimo loco adpellativam significationem praetuleris. Inspice quoque, et dubita, Jes. XXIX, 17. (ubi adpellativum praetulerim,) et Jerem. IV, 26.

De etymo, unde utrique Carmelo nomen duci potuerit, infra sub adpellativo dicemus.

1219. כרמל Levit. II, 14. XXIII, 14. 2 Reg. IV, 42. non, *spica*, sed, *grana contusa.*

De adpellativo כרמל dividenda quaestio, ac primo de his tribus locis agendum, ubi magno consensu, Rabbinos sequuti, et lexicographi et

commentatores, *ſpicam, ſpicam viridem* vertunt. Audacior videri poſſim, de illis dubitans, quae omnibus certa viſa ſunt atque explorata: ſed libere dicam, non dubito ſolum, ſed plane falſam interpretationem habeo, has quidem ob cauſſas.

1) Nullo ex uſu linguarum Orientalium haec notio petita, aut ſumta, ſed ex ſola Thalmudicorum interpretatione tralatitia, atque in lexica et commentarios recepta. Nec id modo hic exiſtimari velim, ipſum quadriliterum כרמל hac ſignificatione non habere linguas Orientales, plane enim illud non habent, nec quidquam ei ſono quodammodo propinquum invenire potui, praeter جُرْمُل *zygophyllum portulacoides* (*), ſed et

2) ne etymon quidem illas probabile praebere. Quod enim habent Thalmudici a כר *pulvinar* (pilentum camelorum dorſo impoſitum, quod vide num. 1209) et מָלֵא *plenum*, quod ſit ſpica granis plena, quid monſtri offert etymologiae! Vide tamen, ſi lubuerit, Buxtorfii lex. Thalmud.

3) Thalmudicis credita ſignificatio, a Chriſtianis etiam, valde obſequioſis: ſed vix ulla ejus his locis certa apud veteres auctoritas. En ut verterint.

Pro ſpicis primi citari ſolent LXX, qui Lev. II, 14. pro גרש כרמל habeant χίδρα ἐρικτὰ: ubi tamen primo manifeſtum כרמל non per χίδρα reddi, quod *ſpicas* vertere ſolent, ſed per ἐρικτὰ *comminuta*; deinde ipſa χίδρα in Judaici interpretamenti gratiam ſpica vertitur, cum potius, *contuſum, granum in graſſiores particulas contuſum*, aut *farinam craſſiorem* notet. Hoc et transferendum ad alterum locum XXIII, 14. ubi LXX χίδρα νέα habent.

Vulgata eodem fere redit Levit. II. *confringes in modum farinae*: in capite XXIII. *pultes* habet, nullibi ſpicas.

Theodotion c. II. πίονα ἄλφιτα *pinguem farinam*, quo nomine quid intellexerit (forte craſſiorem farinam) inquirere non vacat. Id certum de ſpicis viridibus eum nec ſomniaſſe.

Aquila et Symmachus, ἁπαλὰ λάχανα ὀσπριώδη, *mollia olera. leguminoſa.* Quid ſpectarint, non inquiro, proximum quidem illis, quod

(*) Forskålii Icones tab. XII.

quod ſupra attuli, Arabicum جرمل. Id tamen quilibet dederit, neminem mentis compotem ſpicas virides hoc nomine expreſſurum.

In comminuendi ſigniificationem et conſentiunt, qui verbo פרך *fricare*, ſive ſolo, ſive in priore loco addita et alia voce, pro גרש poſita, utuntur, ut, Chaldaeus, c. XXIII. פרוכין *contuſa*, ibidemque Syrus, ܦܪܘܟܐ, et uterque Arabs, فريكا, c. II. Saadias جريشا من الهدف *contuſum de arena*, (in arenae modum contuſum) et Maurus فريكا مهشم *fractum confricatum*. 2 Reg. IV, 44. uterque, et Syrus et Chaldaeus, ܦܪܘܟܐ, פֵּירוּכָן habet.

C. II. Chaldaeus habet רכיכין (confricata) *mollia*, quod de mollibus adhuc et virentibus ſpicis accipere ſolent. Hoc quidem pro conſveta adferri verſione poſſit, licet *ſpicarum* ipſum nomen non legatur, ſed interpretatione ſuppleatur. De lectione forte dubitares, ſuſpicareriſque דכיכין (*comminuta*) legendum, niſi et *mollis* ſignificationem a Judaeis accepiſſet Hieronymus. Sic ille de nominibus propriis Hebr. T. II. p. 28. *Chermel, molle, vel tenerum, ſive, cognitio circumciſionis. Melius autem ſi interpretetur, agnus tener.* Comminiſcuntur et Rabbini compoſitum eſſe ex רך *mollis* et מלא *plenus*, ut in lexico monuit Kimchius.

Syrus ibidem ܡܕܟܝܐ habet, *purificata*, ut volunt, ſed putem, aut *comminuta* vertendum ex Hebraico דכא, aut ܡܕܩܩܐ *comminuta*, reſcribendum. In bibliis quidem Polyglottis, *ſpicae frictae* redditur, ſed id a Gabriele Sionita, pro more ejus, ſumtum ex recepta Hebraici nominis interpretatione.

קליף *decorticatum*, vertit Samaritanus.

LXX 4 Reg IV, 42. παλάθας, *maſſas ficuum* vertunt, neſcio qua ratione ducti, Vulgata ibidem, *frumentum novum;* ſolus tandem aliquando, ſed recentior ac Rabbinos ſequutus, Arabs, سنبل بلباسة *ſpicas in tegumento ſuo*.

Id quidem manifeſtum, pleroſque, ſive in farinam groſſiorem, ſive in grana contuſa conſentire, quod quomodo כרמל ſignificare poſſit, infra ſub רמל quaere.

4) Ipſi primario loco, ex quo ſpicae viridis notio et ſumi ſolet et probari, Levit. II, 14. parum ea apta, ſpicae enim viridis grana ob ipſam

ſam mollitiem contundi nequeunt: contunduntur, more veterum, ubi jam ſiccata maturitate ſunt.

5) Multo magis alter obſtat locus Levit. XXIII, 14. Crudelis ſane lex, et a reliquarum Moſaicarum ingenio plane abhorrens, quae eſu ſpicarum viridium ante ſacratum oblatione initium meſſis interdicit. Isne, qui expreſſa lege praetereuntibus permiſit, alieno ex agro ſpicas decerpere et comedere, Deut. XXIII, 26. inque cujus morum disciplina legumque condendarum ſapientia eſt, indulgere quodammodo palato cibos viſos adpetenti (*), omni ſpicarum eſu eum usque ad diem interdixerit, a quo meſſis incipiebat? Meſſe incipiente jam ſiccatae ſunt, ſic ergo virides ne pueris quidem decerpere licuiſſet.

1220. כרמל, adpellativum, 2 Reg. XIX, 23. Jeſ. X, 18. XVI, 10. XXIX, 17. XXXII, 15. XXXVII, 24. Jerem. II, 7. IV, 26. XLVIII, 33. *in horti morem culta regio, paradiſus.*

Quaeſtio de hujus nominis ſignificatione quodammodo ex ſuperiore pendet, valde et hic interpretibus diſſidentibus.

I) Vix dignum prope relatu, quod Hieronymus ad Jerem. II, 7. habet, Chermel eſſe *cognitionem circumciſionis.* Sic et Tom. II. p. 217. 218. in lexico graeco-nominum Hebr. cum ipſe, tum quem ſequutus eſt, Origenes, *ἐπίγνωσις περιτομῆς*, indeque Barali in lexico Syriaco, ܟܪܡܠܐ ܒܠܫܢܐ ܕܥܒܪܝܐ ܝܕܥܬܐ ܕܓܙܘܪܬܐ. Injuriam facerem lectoribus, ſi refellerem: cui enim probabitur? Id quidem video, Origenem Hieronymumque duas ultimas vocabuli literas ad מול *circumciſionem* retuliſſe: qua arte *cognitionem* ex כר exſculpſerint, non divino.

II) Ex lexicographis non pauci, ſumentes ut certum Levit. II. et XXIII. כרמל ſpicam viridem eſſe, jam *ſegetem* interpretati ſunt, jam *agrum cultum*, aut *virentem.* Id totum concidit cum credule a Rabbinis accepta *ſpicae* notione: nec eſt, niſi recentiorum aut *εὕρημα* aut commentum. Ergo hic jam et lexicis recentioribus et commentariis fides illa ſervilis et implicita abroganda. Plusculum etiam dicere licuerit: ne apta quidem noviter efficta ſignificatio verbis יער כרמלו, 2 Reg. XIX, 23. Jeſ. XXXVII, 24. hoc enim quid eſt, *ſilva agri ejus* (Libani)?

III)

(*) vide jus Moſ. §. 130.

III) Mirum, quam ab his diversus in agro tamen manens, primus lexicographorum christianorum Reuchlinus: *campum silvestrem* vertebat, quo nomine quid intellexerit non jam operae pretium censeo inquirere, et paulo deinde *humilia*, Jes. XXXII, enim, *convertetur Libanus in Carmel*, interpretatur, *sublimia mutabuntur in humilia*. En quam discordes, quibus fidunt lexicographi! nec eorum, quae edicunt, id vero est, conjiciunt, ullum adferentes argumentum. *Silvestres hic campos* habet, idem *humilia*, recentiores, *cultos campos*: atque haec, nulla publici verecundia, sine argumentis ponunt: Reuchlino initium facienti, id facile condonandum, non Coccejo, non conjecturarum ejus asseclis.

IV) Multo his meliores, qui *Carmel*, nomen proprium montis amoenissimi ac pulcherrimi, de omni monte amoeno, silvis laetissimo poni putarunt. Sic fere ad Jes. X, 13. Clericus. Vide de hoc monte geographos et itineraria, Hieronymumque, qui ad Jerem. IV, 26. *ipse*, inquit, *Carmelus*, *qui mari imminet magno*, *oleis consitus et arbustis*, *vineisque condensus*. Lege et de hoc promontorio, densissimis silvis amoeno, *Schultzii Leitungen des Höchsten* T. V. p. 186.

Ergo hoc sufficeret, nisi forte ipsi huic monti a cultu et amoenitate, *paradisi et horti cultissimi* nomen ductum fuerit.

5) Et sic quidem mihi omnino videtur. כרמל idem, quod כרם; unde ortum quadriliterum, *terra nobilis*, *in horti modum culta*, *olivetum*, *vinea*, *paradisus*. Hinc et Carmelus, mari mediterraneo imminens, olivetis condensus, nomen accepit, et Carmel, felicior in arenis Judaeae desertisque insula, de qua supra actum. Proximus adeo meae sententiae primus cujus lexicon Hebraicum impressum habemus, sed rarius, et prope neglectum, Kimchius: *Carmel*, *mons notissimus in terra Israelis*, *qui ita vocatur*, *quod est locus agrorum et arborum*, כרמל *enim adpellative nomen est omnis loci arborum frugiferarum*, *et agrorum fertilium*. In uno erravit, quod agros fertiles addidit, qui in Carmelo promontorio nulli. Praeiverunt mihi ex veteribus sententiam Syrus Jerem. II, 5. כרמל, ܟܪܡܐ, et LXX. Jes. XVI, 10. ἀμπελῶνας vertentes.

Jam ex hac significatione lucebit, 2 Reg. XIX, 23. Jes. XXXVII, 24. de Libano positum, יער כרמלו, *silva horti vel paradisi ejus*, i. e. ubi silvae Libani (cedrorum, abietum) *in hortos felicium arborum desinunt*. *paradisos condensos*, — — Jes. XVI, 10. *auferetur gaudium et laetitia* מן הכרמל ex

ex paradiso, statim sequente vinearum nomine, ובכרמים *et in vineis nulli laeti clamores*. — — XXIX, 17. *Libanus in hortum mutabitur, et horti* (qui nunc sunt,) *pro silva habebuntur*, (hortorum et paradisorum nomine vix amplius videbuntur digni) — — XXXII, 15. *desertum mutabitur in hortum, et horti pro silva habebuntur*. — — Jerem. II, 27. *deduxi vos* אל ארץ הכרמל *in regionem horti cultissimi, ut comedatis fructum ejus*. — — IV, 26. *vidi* והנה הכרמל המדבר *et ecce hortus cultissimus jam desertum erat*: — — XLVIII, 33. *auferetur gaudium et laetitia* מכרמל *ex hortis vineisque* (aut si malis, ex Carmelo Judaeae, vide p. 1355) *et ex terra Moabitica*.

De uno adhuc quaeri possit ל in fine quadriliteri addito. Est quidem nomen formae, ברזל et ערפל, sed dubium, utrum Resch repetitum in fine vocis in Lamed mutatum, an nomen ex duobus triliteris compositum sit? Possit quidem esse ex כֶּרֶם *hortus*, et רָמַל (رمل) quod infra vide, *arena*, *colles arenarum*, ut sit, *paradisus in mediis arenis*, felicior, ut Graeci Arabesque eam vocare solent, insula, in desertis arenosis, paradisi in morem culta. Masorethis placuit, Lamed in incremento vocis geminare, כַּרְמִלּוֹ: sic possit ad מלל *coquere, urere*, referri, *hortus solis aestu coctus*, ubi,

Mitis in apricis coquitur vindemia saxis:

prius tamen praeplaceret.

1221. כרמיל *color coccineus* 2 Paral. II, 6. 13. III, 14.

Nomen ea orationis serie in solis occurrens chronicis, ubi Moses, auctorque libri regum primi, תולעת *vermem*, i. e. *coccineum*, ponere solent: exterum, ut videtur, et a Persis, sub quorum imperio scriptor chronicorum vixit, acceptum. De significatione vix ullum dubium, concinuntque non lexicographi solum fere omnes, sed et veteres, LXX. Vulg. Chald. De solo dubitari possit Syro, cujus ܣܡܩܘܢܐ *subnigrum* vertit Castellus, sed infidum ducem sequutus, Gabrielem Sionitam, qui prout primum in mentem veniebat vertere Syriaca vocabula ipsi ignota solebat. De ܣܡܩܘܢܐ hic quidem non disputandi locus, consulant de eo, qui volunt, lexicon Syriacum p. 572. Solus et a nobis et ab omnibus fere, dissidet Bochartus, ex male arrepto per conjecturam etymo *purpuram* vertens, quod conchae aliquod purpureae genus ad Carmelum

capia-

capiatur: Hieroz. P. II. libr. V. cap. IX. p. 725. lin. 10-18. Perquam ille quidem male, cum ubique ab ארגמן *purpura* diſtinguatur, nominique, quod Perſicum illi videri debuiſſet, derivationem Hebraicam quaerens.

De uno et quaeri et ambigi poſſe video etymo: nec quidem ejusmodi conquiram veriſſimilia, quale eſt illud Simonis, a כרם et מול *ſecare* et *amputare* ortum eſſe, quod acumen rubro colori tribuatur: ſed veriſimilia. In his quidem principem locum obtinet illud Caſtelli, قرمز (Kirmiz) *vermiculus*, *cujus ſanguine tincta fiunt coccinea.* De ق pro כ poſito non laboro, eſt enim in exoticis orthographia Orientalium perquam libera: at quomodo ز transire in ל potuerit, vix adſequor: כרמיז ſcribendum fuiſſet, ſed nullus ita codex hucusque conſultus.

Ergo malim potius, quod huic ipſi Caſtello (p. 449 lexici Perſici) debeo, كرم (*Kerm*) *vermis* conferre, quod omnibus reptilibus commune eſſe monet. Forte illuc et ipſum Kirmiz, unde noſtrum, *Carmoiſin*, referendum: unde autem terminatio, huic IZ, alteri, IL, acceſſerit, forte a nomine proprio geographico, aut adpellativo arboris, aliis exquirendum relinquere, quam ipſe disputare, malim.

Judaeorum non pauci, ipſeque adeo in libro radicum Kimchius, כַּרְמֶּל ſine Jod ſcriptum, Cant, VII, 5. ad noſtrum nomen retulerunt, *caput tuum eſt coccineum* (rubro colore tincti ſunt crines tui) vertentes: Bochartum adeo nacti aſſeclam, niſi quod ſententiam paulo immutat, *caput tuum eſt purpureum.* Exterum ſi eſt vocabulum hac coccinei ſignificatione, ſi Perſicum, non poteſt in Salomonis Cantico, male quidem caſto, ſed tamen antiquo, occurrere.

1222. כִּרְסֵם Pſ. LXXX, 14.

Verbi ſignificatus ex ipſa orationis ſerie clarus, ponitur enim de apro vitem, ſeu vineam vaſtante. Optime quidem ex veteribus LXX, *ἐλυμήνατο αὐτήν*, Hieron. *vaſtavit*, Chald. יכורכבה *ſuffodit.* Mediocriter qui verterunt, omitto: unum miror, Syrum, naturae et moribus apri parum convenienter vertiſſe ܐܟܠܗ̇ *comedit illam*, atque adeo ſuſpicor, errorem eſſe librariorum: Arabs certe Antiochenus, Syriaca in-

terpre-

terpretatus, افسد habet, i. e. *perdidit*, vastavit. — — De sola derivatione et compositione quadriliteri ambigi posse video. Non excerpo, quae alii habent, fecit id aliqua parte Simonis: meam modo dico sententiam. Compositum mihi videtur ex כֶּרֶם *vinea*, et رسم *vestigia imprimere*, unde رُسُوم *vestigia sua in terra relinquens*. Erit proprie, cum aper effodiens seque volutans vestigia sua in vinea relinquit. Arabibus verbum utroque modo رسم et رشم scribitur, plerumque de signando et scribendo poni solitum.

1223. הכרע Ps. XVII, 13. *confodere:* item, *incurvare se in bibendo* Jud. VII, 5. 6.

Incurvandi significatio notissima, sed quid est Ps. XVII, 13. הכריעהו *incurva illum?* Arabibus quidem plura incurvandi verba sunt, *hasta vel gladio transfodere*, quod is, qui lethali vulnere adficitur, incurvat sese. Hoc quidem in versione germanica sequutus sum: *lass ihn sich vor deinen Wunden krümmen.* Eodemne sensu et sumendum verbum Jud. XI, 35?

Alii quidem aliter, LXX ὑποσκέλισον αὐτοὺς, exque illis Vulgata, *supplanta eos.* Non placet, nec enim aptum praecedenti קדמה פניו: quem a facie adgredimur, eum non supplantamus.

Alii, meliores me judice, quosque inter et meam explicationem optio dubia, *prosterne illum*, incurvatum humique prostratum pedibus tuis subjice.

Ad Jud. VII, 5. 6. ubi כרע de bibentibus ponitur, adnoto quae ex Geuhar Golius habet p. 2022. كرع *os admovit* vel *immisit aquae*, *eamque sorpsit seu potavit, non hauriens manu aut vase*: additur, construi cum في, nempe ita, كرع في الماء *genua posuit*, *incurvavit se in aqua.* Hinc et كَرَع *aqua*, *quae in stagno colligitur*, *peculiariter ex qua ita bibitur*: confer quae supra de בְּרֵכָה p. 224. diximus. Hinc jam Jud. VII, 5. אשר יכרע על ברכיו לשתות est, *qui in ipso stagno* (ad stagnum enim deduxisse milites Gideon videtur), *in genua procumbit, atque sic immisso in aquam ore bibit*, ut facere et aliqua animalia solent. ברכיו ibi sive *genua* esse possint, sive adaquationes, ita ut vel stans ingressus in stagnum incurvansque se, atque ita bibens, *incurvare se ad adaquationem dicatur.* Video, utriusque incurvandi verbi, ברך et כרע in adaquatione usum esse.

1224. כְּרָעַיִם Levit. XI, 21. *pedes saltatorii majores locustae.*

Non nego כרעים et latiore sensu esse posse, atque esse Hebraeis generatim, *crura, tibias*: verum illa notio loco quem citavi parum apta, cruribus enim et tibiis nullum, quod pedibus incedit, animal caret. Ipsa rei natura, ipse Moses docet, esse pedes saltatorios locustae, posticos illos, et quaternis, quibus incedit altiores. Ipse Moses, *cui sunt* כרעים, additque 1) ממעל לרגליו *supra pedes ejus*, nempe longe supra et reliquos pedes et totum animalculum, eminent saltatorii locustae pedes 2) לנתר בהם בארץ *ad saliendum illis in terra.*

Habebat Golius in lexico praeter reliquas nominis كراع significationes et hanc, *pes locustae*, de qua aliquid adcuratius rescire cupiebam, suspicans proprium pedum saltatoriorum nomen esse. Verum Forskålius in Jemen de pedibus saltatoriis usurpari non audivit. Vide Niebuhrii praefationem descriptioni Arabiae praemissam, p. XLIV. Ergo hucusque ex Arabica lingua Hebraicum illustrari nomen nequit.

Norrelius quod in libro de avibus esu licitis, ὑποθέσεως caussa, sumsit, *ungues* esse *laceratorios*, omni usu caret praesidioque linguarum Orientalium, ut reliqua viri somnia universa.

1225. כרת *secuit, resecuit, exscidit, a gente, patria, juribus resecuit, relegavit, dissecto sacrificio foedus percussit,* generatim, *foedus percussit.*

Verbum Hebraeis frequentissimum, his, quas dixi notionibus, non Arabes habent, nec illorum colonia Aethiopes, non Syri, non Samaritani, ac ne literarum quidem aliqua mutatione, non גרת, non קרת: est ergo Hebraeis proprium, nisi quod Judaei, Chaldaica lingua utentes, in illam quoque transtulerunt, non vernaculum sine dubio, cum nulla illud alia dialectus Aramaea agnoscat. Ergo aut reliquis cognatis linguis, nescio quo fato, periit universis, aut exoticum est, jam diu ante Mosen linguae Abrahamidarum admixtum.

In Josuae III, 16. laborari nonnunquam a lectoribus video et interpretibus: ibi vero prima adeo notio optime locum tueri videtur: *aqua Jordanis secta, resecta, abscissa est.* Sic jam Syrus ܐܬܦܣܩܘ *divisae sunt,* et Arabs, انقطع *abscissa, abrupta est.* Video alios vertere, *excisae sunt,*

sunt, idque esse deficere: nempe quod in Vulgata legebant, *usque quo omnino deficerent*, ex LXX, ἕως εἰς τὸ τέλος ἐξέλιπε.

De poenis ubi ponitur in legibus Mosaicis, aliquando sine dubio ultimum denotat supplicium, excisionem: suspicari tamen possis, et *resectionem a populo*, i. e. *exsilium* aut *amissionem civitatis* alibi significare, ut Ezr. VII, 26. X, 8. sumitur. Vide hac de quaestione scripta et dubitata in jure Mosaico §. 237. Equidem tunc, maxime ob Hebr. X, 28. illorum timidus haesitansque partibus accedebam, qui in Mose ubique ultimum interpretantur supplicium: jam malim mitiori accedere interpretationi, ex qua amissionem jurium civitatis et exsilium complectitur. Sic certe, ספר כריתות Deut. XXIV, 1. *libellus repudii*, כריתות non de excidio, sed *resectione*, a matrimonio domoque mariti ponitur.

Eandem *exsilii* vim et in stilo poetico habere videtur Ps. XXXVII, 22. priori enim membro, *haereditare terram*, opponitur, *sed maledicti ejus* יִכָּרֵתוּ. Malachiae quoque II, 12. de excisione civili, seu resectione a jure sacerdotum acceperim, ob ea quae adduntur, abscindet, מאהלי יעקב a *familiis Jacobi*, מגיש מנחה *offerentem sacrificia*.

כרת ברית *foedus sancire*, notissima phrasis, nempe quod per hostiam dissectam transire jurantes et paciscentes solebant, (Jerem. XXXIV, 18. 19. Genes. XV, 9-18.) satis notum. Hujus כרת ברית in antiquo Hebraismo diversa constructio et significatio, 1) cum עִם ubi aequales foedus ineunt, 2) cum ל, ubi superior, ut Deus Israelitis, aut victor victo leges foederis imponit. At sequior hoc discrimen non ubique sequitur Hebraismus, ut 2 Paral. XXIX, 10. כרות ברית ליהוה *percutere foedus Deo*, i. e. cum Deo. Talia plura habet liber chronicorum, quae Judaeo ante exsilium vitiosa fuissent visa.

Est et licentia, sed rarior, constructionis, quod bis cum כרת *secuit*, non nomen ברית, sed aliud componitur, ut nulla primae significationis ratione habita simpliciter sit, promittere, pacisci. Ps. CV, 9. אשר כרת את אברהם non ad solum ברית, sed et ad דבר versus praecedentis pertinet; idque si excusare velis, quod alteri tamen nominum aptum verbum, licentiosius etiam, sed post exsilium vivens, Haggai, c. II, 5. הדבר אשר כרתי אתכם.

1226. כְּרֻתוֹת 1 Reg. VI, 36. VII, 2. 12.

Vocabulum in lexicis non paucis, ipsoque adeo Coccejano, omissum, quod ad participium relatum verbo כרת contineri statuerent eorum conditores.

Non

Non tam *tabulas* (*Bretter*) quam *trabes* (*viereckigte dicke Balken*) significare videtur, tabularum enim alia in descriptione templi Salomonaei nomina praecesserant. A כרת, *resecare*, dictae videntur. Syrus vertit ܩܘܪ̈ܬܐ, plane etymologice, *amputationes*, a ܩܪܐ *amputavit*, pro quo Syriaco vocabulo 1 Reg. VII, 2. Arabs substituit, عَرِقٌ *denudata*, ab عَرَقَ *rasit*, *denudavit*. Chaldaeus, כְּרִישׁ, quod *trabes magnas* vertunt Judaei, indeque ét officinam, in qua trabes serra secantur (*Sägemühle*) מרשה vocant. — Adfero quae habeo: sed ex architecturae vocabulis multa obscura esse fateor. Nec id mirum in lingua mortua, cum vel in vivis multa architectorum vocabula ignoret et eruditus et sua lingua in scribendo commode utens.

1227. כְּרֵתִי pluraliter כרתים nomen Philistaeorum.

כרתי et כרתים 1 Sam. XXX, 14. Ezech. XXV, 16. forte et Sophon. II, 5. ut nomen proprium Philistaeorum poni, notum. Volunt non pauci, ita dici, quod ortu Cretenses sint, eorumque antiqua patria, Caphthor (num. 1207.) Creta: nec solum ita recentiores, sed et praeivisse aliquos ex veteribus video. In Sophoniae loco LXX πάροικοι habent Κρητῶν, exque illis Arabs أَقْرِيطِشِيين et Syrus ܕܩܪܝܛܝܐ ܕܟܪܬܐ, ac versu sequente iterum, pro נוה כרת LXX καὶ ἔσται Κρήτη νομὴ ποιμένων. Repugnant vero rationes grammaticae, Cretensium enim nomen per Teth כרטים, sive adeo קרטים, scribendum fuisset, sicque ab Arabibus Syrisque scribitur, ut vel ex his ipsis locis liquet, aut si alium velis, ex Tit. I, 5. ܩܪܝܛܐ, أَقْرِيطِش, itemque Act. XXVII, 7. Putem potius, Philistaeos, primo ex Aegypto Caphthoram, indeque in Palaestinam migrantes, tanquam nomine proprio *Exsules* dici, quod et ipsum nomen פלשתים ex Aethiopica lingua explicatum significat.

Caeterum et hoc sciri velim: primo 1 Sam. XXX, 14. non sine lectionis esse varietate, omittentibus nomen Syro et Arabe, LXX ex Romana editione χελεθι habentibus: deinde Sophon. II, 5. non de solis poni Philistaeis, sed de his Chananaeisque junctim, unde ibi malim adpellative vertere, *gens exsulum* i. e. *gens exsilio destinatorum*.

1228. כרתי ופלתי *milites praetoriani, corporis regii custodes.* 2 Sam. VIII, 18. XV, 18. XX, 7, 23.

Non nisi sub Davide occurrunt. Corporis regii custodes fuisse fere omnes consentiunt, praeivitque Josephus, *σωματοφύλακας* vocans, Ant. VII, 5, 4. Ergo iidem, qui sub aliis regibus כרים ורצים, inque Aegypto et Babylone טבחים, quod nomen vide. Copiosius nemo de illis egit doctiusve *Ikenio*, aliorum quoque colligente sententias et expendente, in dissertatione *philologico theologicarum* nona, *de Crethi et Plethi*, quam non excerpo, totam perlegendam ab his censens, qui non verbum solum, sed et historiam Davidis intelligere cupiunt. Hic modo pauca.

Fuerunt, qui Philistaeos interpretabantur, credebantque, Davidem corporis sibi praesidium ex Philistaeis legisse. Improbat Ikenius, nec ego probaverim. Nimis invisi Israelitis Philistaei, quam ut verisimile sit, regem suo populo non plane displiciturum, ex illis solis corporis legere custodiam ausum esse: tyrannorum hoc est, civibus suis non fidentium, quodsi etiam tyrannum facias Davidem, gratus certe civibus militibusque erat, atque jam exsul atque a Saulo profugus habebat, qui vitam pro vita ejus effundere parati erant, sexcentos secum profugos Israelitas. Accedit, quod hoc si sumas, vix expediri potest, unde sequens פלתי ortum, quidque significet.

Hoc etymon repudians; aliud nomini qaaerit Ikenius, quo in negotio parum mihi feliciter versatus fuisse videtur, adliterationibus usus: radices enim كري, وكر, كير conferens, *Celeres*, vertit, (§. 10.) Syrusque et Arabs cum *sagittarios* vel *jaculatores* habeant, et hoc ex lingua Arabica expedit, cui كرظ sit, *ad scopum collimavit, eumque fregit stridente sagitta.* (§. 8. 9.) Atqui كرظ Hebraice foret, כרט, non כרת: Syrus quidem forte non ex etymo aliquo ita vertit, sed quod putaret, praetorianos milites arcu atque hastis instructos fuisse, unde et *spiculatores* dicuntur, (vide supra p. 996.) et Graecis *δορυφόροι*.

Mihi quidem, memori, praetorianorum militum fuisse, supplicia capitalia a sontibus sumere (*), ipsumque Crethaeorum et Plethaeorum praefectum Benajam hoc officio strenue functum, mortisque reis a Salomone immissum, (1 Reg. II, 25. 34. 46.) derivatio facilis esse videtur, a כרת

(*) Vide pag. 997. et jus Mosaicum §. 232.

כרת *exscindere*, vel *amputare*. Malim tamen mutatis punctis כֹּרְתִים efferre, *exscindentes*, vel, *caput amputantes*, i. e. carnifices.

Est et de versione Syri 2 Sam. VIII, 18. dicendum, Ikenio praetermissa, et quae impedire legentem possit. Nempe cum alias כְּרֵתִי וּפְלֵתִי ei sint, *sagittarii et funditores*, hic pro illis substituit, ܡܪ̈ܘܢܐ ܘܦܠܚ̈ܐ *nobiles et milites*, eodemque modo Arabs, Syriaca interpretatus, الاكابر والاجناد *nobiles et exercitus* habet. Vix putem, antiqui esse interpretis, isne enim a se ipso ita dissideat, sed interpolationem ex alia recentiore versione Syriaca, aut ex glossa, Hebraica melius sibi intelligere visi. Hic, nisi fallor, כרתים cum ܡܪ̈ܘܢܐ contulit, ficta literarum כ et ה permutatione. Suspicor adeo, sequens nomen aliis vocalibus ܦܠܚ̈ܐ scribendum, *rustici:* sic erunt, *nobiles et rustici*. Meminerimus, Arabibus فلّاح ignominiose adeo de rustico usurpari, nobilibus opposito. Forte, qui talia reponebat, פלחים pro פלתים aut legendum conjiciebat, aut legebat. Ex Ephraemo nulla huic commati lux, nec enim interpretatus est.

1229. כשדים *Chaldaei*.

Chaldaeis cum aliam, quam plerique ante me, patriam, alias origines, linguam denique barbaram, dare ausus sim, ante omnia indicandum, ubi de illis egerim copiosius, et a quibus postea lectis, qui mea expoliebant ac perficiebant, locupletior recesserim. Anno ergo 1780 primo sententiam, saepe in praelectionibus ore dictam, scriptam promebam in *Spicilegio geographiae Hebraeorum exterae T. II. p. 77-104:* septentrionalem esse populum, qui serius in Chaldaea postea sic dicta, circa Babylonem, consederit, lingua barbarum, sed qui deinde Babylone Aramaeam adsciverit, (fere ut Germani in reliquam erumpentes Europam Latinam): quae illi lingua patria fuerit, de eo nihil certi habebam, praeter unum, permulta nomina propria in *Tsar* (צַּר) desiisse. Interrogabam ergo alios: ex quibus Büttnerus, quem consulebam primum omnium, Slavonicam pronuntiabat, qua ex lingua et verisimillime propositum ipsi Nabochodonosaris (נבוכדנאצר) nomen interpretabatur. Audebam consulere Serenissimum Principem Adamum Czartorinsky, ipse Slavicae linguae imperitus: vera esse, quae de Slavicis vocabulis, ex quibus hoc nomen com-

composuerat Büttnerus, dicebat, sed reliqua dubitabat, fuitque et mihi auctor dubitandi, ut de reliquis litibus felicius referre, quam in partes ire, liceat. Forsterus, orbis circumnavigator, cum ex meis literis aliquid harum rerum rescivisset, totus pro Slavis erat, copiose mihi rescribens, quam ejus epistolam totam, nulla adjecta sententia, (plerumque enim vix sequi audebam virum tot regionum linguarumque peritum) typis descriptam spicilegio intexui. Jam anno 1781. Schloezerus in octava *repertorii Eichhorniani* parte, de Chaldaeis agebat, meus et amicus, et ante multos annos auditor: in rei summa mihi consentiens, mea confirmans, insignemque, quem omiseram, Xenophontis locum addens, etiam alia lectu dignissima; acerrime autem negans, unquam illis in regionibus Slavos habitasse, linguamque Chaldaeorum Slavicam aut esse, aut esse posse, omnes alias linguas mallet concedere, hac sola excepta. De hoc libro retuli in bibliotheca (priore) Orientali T. XVII. num. 264. et quid jam sentiam professus sum. Haec igitur scripta non hic compilo, sed ad illa lectorem judicare cupientem remitto, summa modo sententiarum capita excerpens, additis alicubi per compendium scriptionis citatis, Spicilegii, Schloezeri et bibliothecae Orientalis.

1) Chaldaei olim non circa Babylonem habitarunt, sed aliquam, Palaestinae a septentrione sitam patriam pererrarunt partim, partim et habitarunt, Jerem. I, 14. IV, 6. VI, 1. X, 22. XIII, 20. Ezech. XXVI, 7. et vero, ut videtur, ferri optimi proventu nobilem. Jerem. XV, 12.

2) Jam Chaldaei Straboni iidem qui Chalybes, libr. XII. pag. 825. 826. Chaldiam regionem Armeniae septentrionalis in Tibarenorum vicinia, ejusque incolas Chaldos Stephanus habet, de urbibus p. 710. 711. ipseque Moses Chorenensis in historia Armeniae p. 87. 198. 285. 357. *Chalodastiam* Armeniae borealis partem ejusque incolas Chaldaeos. Gradus longitudinis non adjicio, ac ne latitudinis quidem, partim enim non memorantur, partim, ubi quis tabulis geographicis adjecit, sunt illo in tractu plane incerti, nemo enim mensus est. — Suspecta haec quidem Schloezero, qui legendus et expendendus.

3) De Chaldaeis, raptu viventibus, Armeniaeque montes incolentibus, et vero adhuc sub Persis, fide dignissima, oculisque adeo et acie explorata, retulit Xenophon, (cujus cito editionem Ernestianam) in Cyropaedia l. III. c. 2. §. 2. 12. et de Expeditione Cyri l. IV. c. 3. §. 4. l. V. c. 5. §. 9. l. VII. c. 8. §. 14. (Schloez. et bibl. Or. p. 73-75.) In horum vicinia Arrapachitis Assyriae, Mosi ארפכשד i. e. *vicinia Chaldaeorum* dicta,

cta, et *Ura Chaldaeorum* (אור כשדים) ex qua Abrahamus egressus, quod utrumque nomen in his lexicorum supplementis evolve.

4) Haec quidem, quantum video, non secum pugnant. Regio, populi maxime erratici, non est una aliqua linea, non unus limes, sed alius australis, alius borealis. Potuerunt Chaldaei inde ab hac Chaldaeorum Ura, primisque Armeniae montibus, ad septentrionalem usque Armeniam, Chalodostiam, ipsamque, quae Pontum Euxinum attingit, Chalybum regionem, vagari, colere, ibi etiam metalla effodere.

5) Barbaram populo linguam fuisse, ab omni Hebraicae cognatione sejunctam, nomina propria argumento sunt, licet deinde Babylone consideus Aramaeam adsciverit: ipse, Aramaeos et Chaldaeos *distinguit* Jeremias, c. XXXV, 11. Ea etiam Aramaea dialectus, qua Daniel usus, quamque nos Chaldaicam vocare solemus, maxime in ipsis Danielis scriptis, vocabula adpellativa admixta habet, plane barbara, eique Aramaeae linguae, quam Syriacam vocare solemus, ignota. Spic. p. 86–93.

6) Haec autem quae lingua fuerit plane non constat. Aliqui, quos linguarum barbararum peritos consulebam, Büttnerus *maxime*, Slavicam existimabant: Schloezerus eam solam excludit.

Nominis נבוכדנאצר ex lingua Slavica derivationem dedit Büttnerus, veri non dissimilem: nec ei opposuerim, aliam omnino nominis significationem prodere Abulfaragium, qui in hoc genere literarum vix audiendus videtur. At sunt alia nomina propria plurima, quorum ratio expediri ex lingua Slavica non potest: nec etiam his, quae Forsterus in literis ad me datis de etymologiis concentuque verborum scripsit, calculum adjicere ausus sum, sed lectoribus modo judicandi facturus facultatem illas, ut promiseram, spicilegio inserui.

Hoc nomen, et multa alia Chaldaica, barbarum sonantia, המלצר, ששבצר, נרגל שראצר, בלשאצר, diversumque ab hoc, בלטשאצר, in *Tsar* desinunt, quod nomen Slavis usitatum, *dominum* significat. Verum nec hoc sufficit, nec enim Tsar Slavis ut terminatio poni solet.

Nomina aliqua adpellativa barbara, in Daniele obvia, eadem prope significatione Hungaris sunt Slavisque usitata. Verum nec hoc rem perficit, primo enim aliqua et Persica sunt et Armenica: deinde, quae Hungaris sunt Slavisque communia, possint esse Hungarica, aut per Hungaros advectitia. Ingens ad Pontum Euxinum diversissimarum linguarum concursus, ut vel *montem* aliquem *linguarum* inde dixerint Arabes, (جبل الألسن) et Mithridates XXIII linguarum peritus, fandi etiam, feratur,

 (Spic.

(Spic. p. 92.) hic quid facilius, quam unius linguae vocabulum in alius vicini populi linguam recipi?

Pro Slavica gentis origine citari poſſet, cujus in ſpicilegio mentionem nullam feci, Abulpharagius, p. 67. hiſtoriae dynaſtiarum ad Manaſſis tempora haec habens: والاصقلابة ملكوا الي ارض فلسطين *Slavi Palaeſtinae imperarunt.* Verum ut in bibl. Or. p. 85. 86. monui, Abulfaragius in Originibus cognationibusque gentium, de quibus mira atque adeo portentoſa erravit, teſtis exiguae auctoritatis.

7) Curdos, iisdem fere in terris, ubi olim Chaldaei errabant, vagos, vitae genere, rapinis etiam, fatis ſimiles, Chaldaeos eſſe poſſe, ſuſpicatus eſt Schloezerus. Res inquiſitu digna. Satis conveniunt nomina, ſola media litera excepta, quae Hebraeis ש eſt, Graecis Latinis, Armenis, L. Curdorum lingua ſine dubio Perſicae dialectus: vide *Mauritii Garzoni grammaticam et vocabularium linguae Curdicae*, ejusque enarrationem in *bibliotheca nova Orientali T. VI. n. 110.* Nec tamen peculiarem hujus linguae cognitionem cum barbaris Chaldaeorum nominibus deprehendere hucusque licuit, nec offert cauſſam frequentiae ſyllabae נר in nominibus propriis. Ergo hucusque non liquet.

8) Populi antiquiſſima mentio in Moſis ſcriptis, ex Ura Chaldaeorum Abrahamo egrediente, Geneſ. XI, 31. 32. (origo gentis in capite Geneſ. decimo non indicata) et Job. I, 17. ubi Chaldaei, quales diu poſt fuerunt, vagi ac praedones cis Euphratem etiam in Damaſci vicinia latrocinia exercent. Sed deinde multa per ſecula altum de illis ſilentium, ad Jeſaiae usque tempora, qui non futuram ſolum magnitudinem ac ruinam imperii Chaldaeorum praedixit, ſed et gentis, ut ſuo tempore notae, ſed tum ignobilis, fecit mentionem. Nempe populo vago antea, ſeu potius parti ejus et coloniae, (diu enim poſtea et in avitis ſedibus Xenophon Chaldaeos invenit, cumque illis acie conflixit) ſtabiles in vicinia Babylonis ſedes, coercito ut videtur aggeribus Euphrate, Aſſyriae reges illo tempore adſignaverant. Jeſ. XXIII, 13. 14. Spic. p. 81. 82.

9) Poſtea boreales Chaldaei eruperunt, Babylone etiam potiti, quam ingentis imperii ſed non diuturni fecerunt metropolim, linguam ibi Aramaeam adſciſcentes, diſciplinasque Babylonias, aſtrologiam maxime, quae non ipſorum barbarorum in boreali patria Chaldaeorum, ſed diu ante Babyloniorum fuit. (Jeſ. XLVII, 12. 13.) Regioni circumjectae ex eorum nomine Chaldaeae nomen haeſit, ex quo et aſtrologi Chaldaei vocati.

9) Eo-

9) Eodem fere tempore, quo sacrae literae Chaldaeos, Graecae Scythas habent, ex sedibus avitis ac septentrione erumpentes. Ergone Scythae et Chaldaei iidem? Ita quidem olim conjicere ausus sum, nec pauca conveniunt, ac solent Scytharum nomine Graeci licentiosius abuti. Spic. p. 83-86. Sed jam damno, Scythae enim, quorum historiam Herodotus l. I. c. 103-106. tradit, Europaei erant, Cimmeriis demum devictis in septentrionalem Asiam, Mediam maxime, penetrantes: *οἱ δὲ εἰσέβαλόν μεν ἐς τὴν Ἀσίην, Κιμμερίους ἐκβαλόντες, ἐκ τῆς Εὐρώπης, τούτοισι δὲ ἐπισπόμενοι φεύγουσι, οὕτω εἰς τὴν Μηδικὴν χώρην ἀπίκοντο.* Nec Scythae nisi XXVIII per annos Asiae (septentrionalis) imperium tenuere, at Chaldaeorum dominatio, paulo serior, LXX annorum fuit. Eodem tamen circiter tempore uterque populus, junctim? an separatim? ex septentrione erupit, Chaldaei forte serius: videnturque Graeci Scytharum nomine confusius utentes, ea quoque, quae Chaldaeorum sunt, Scythis tribuere. Vide notas Germanicas ad 2 Reg. XXII. p. 142. 143. 144. Forte Scythae, qui Palaestinam intrarunt, Aegyptoque minati sunt, non nisi Chaldaei: forte et socii Scytharum in Media invadenda, Chaldaei Habac. I, 9. Hanc quidem disquisitionem supplementa ad lexica Hebraica non capiunt. Historicos interrogo, his eam propono, ipse solvere non audeo.

10) Quod post hanc Chaldaeorum eruptionem in septentrione etiam Chaldaei supersunt, Xenophontis non solum sed et Strabonis tempore, id plane non mirum: gentes erumpunt, nec tamen ideo omnes ac singuli patriam relinquunt. Ex Germania Germani ab Ariovisti inde tempore, multoque plures migrationis gentium aevo, eruperunt, et tamen in Germania supersumus Germani: ex Arabia Arabes, sed nec Arabia ab Arabibus vacua ac deserta.

1230. כשה an כשׂה? Deut. XXXII, 15.

Ex serie orationis prope certum, verbum *ἅπαξ λεγόμενον* summum pinguedinis gradum notare, plus, quam praecedentia, שׁמנת et עבית. Magno plerique lexicographi consensu, nec dubitantes, etymon addunt, a כסה, *texit*, ut proprie sit, *obtectus es pinguedine.* Paulo aliter in radicum libro Kimchius, עניני כמו בסמך כמו כסית לבבך מרוב השמן עד אשר לא תבין *idem significat, ac* כסה *per Samech scriptum, obtexisti cor tuum multitudine pinguedinis, ut non intelligas.* De pinguedine ille cordis, non corporis loquitur. Reuchlinus: *oblevit, ebetavit, obduxit*

 multa

multa pinguedine, impinguatus, incrassatus, dilatatus: quod ultimum magistri Hebraeorum exponunt, obduxisti et cooperuisti cor tuum pinguedine, quo minus possit vere intelligere. Sic R. Salomon verbum hoc pro operire et obducere accipit, quasi mutatione Samech in Schin. Sed haec nec omnes satis intellecta, ac ne lecta quidem, prorsus ut certa posuerunt, ac plane SUA fecerunt, quibus hucusque confisi sumus lexicographi. Mihi quidem fuerunt suspecta, permutationibus literarum non ut artificio inveniendi verum utenti. Lectionem כסית, quam in tribus codicibus Kennicottus invenit, si praeferas, quae lexicographi habent, probaverim, contulerimque, ut jam fecit Raschius, phrasin Job. XV, 27. כסה פניו בחלבו eximie aptam: sed jam de כשית dispiciendum.

כשות an כשית legendum, hoc ipsum in dubiis habeo, consulique adeo codices velim, quos dissensuros existimo. ܟܡܐ Syris est, *accumulavit*, unde pinguedo summa egregie dici potuerit. Patri meo venerat in mentem Arabici كُشْيَة *adeps lacertae Libycae qui in ventre adparet*, sed vereor, ne sit hoc nomen a mordendo (كشا) ductum, ac proprie, *morsum*, i. e. *frustum cibi delicati*, denotet. Ergo Syriacum etymon, minus dubium, praefero.

De veterum explicationibus aliqua collegit Castellus, quibus haec addo. 1) *Dilatari* vertunt LXX et Vulgata. Hoc unde ductum? 2) In, *adquirere opes, ditescere*, plures consentiunt, quam ut mera paraphrasis existimari aut conjectura possit, Onkelos, קְנָא נִכְסִין, sic et paucis mutatis Chaldaei recentiores, Syrus, nihil ille ex Chaldaeis habere solitus, ܩܢܐ ܢܟܣܝܢ. Hoc lucrum, has divitias, unde dictas voluerunt? num a כסא كشاء *admordere?* an a כסס *numerare?* N. L. 3) Saadias vertit, harmonice quodammodo خَشُنْتَ *durus factus es*. Sic כשה, קשה et خشاء idem forent, literae palatinae permutatione. Sed non placent, praeplacet summa obesitas.

1231. כשל.

Lapsandi, impingendi, significatio quam verbo dant lexica, certa, nec usu modo Hebraicae linguae multo firmata, sed et Syris notissima. Superfunt tamen aliqua de verbo dicenda.

Arabi-

Arabibus كسل cum derivatis, *segnitiem* et *torporem* denotat, cujus significationis, ne eam lexicis credere opus habeas, exempla a Castello collecta, si lubet, evolve. A segnitie putem, *lapsare*, dictum: segnior equus, nec satis pedes attollens, lapsat. Quin video semel LXX hoc significatu accepisse, Prov. IV, 12. ἐὰν τρέχῃς οὐ κοπιάσεις, *cum curres. non laborabis* i. e. *non defatigaberis*, sic et ex illis Arabs. Nec versionem praefero, sed indico, quid veri spectantes ita verterint. Sunt alia codicibus Hebr. loca, quibus haec notio prope aptior, quam lapsandi, ut Ps. XXXI, 11. *vires meae laborant* i. e. *succumbunt miseriae* Ps. CV, 37. *non erat fessus in tribubus ejus*, nullus qui sequi agmen non posset: forte et 2 Paral. XXVIII, 15.

Plerumque autem LXX, ἀσθενεῖν verterunt, unde et factum, ut in Novi Foederis scriptis ἀσθενεῖν aliquoties pro *labi* ponatur, certe poni videatur. Haec quidem notio eximie apta loco, quem vixdum sub alia citaveram 2 Paral. XXVIII, 15. *asinis deportarunt* לכל כושל, non, omnes lapsos aut lapsantes, sed, *infirmos, aegrotos*. Eximie etiam apta 1 Sam. II, 4. ubi גבורים fortes, et נכשלים *infirmi, debiles*, opponuntur. Quomodo a *lasso, segni, torpido, flaccido* (nam et hoc Arabicum verbum significat) infirmus, aegrotus, debilis dici potuerit, quisque intelligit.

Aliquid hujus notionis in lexico suo vidit Simonis, quem legi velim; sed a חשל, *debilis fuit*, mutatione literarum repetiit: in quo tria displicent, primo gratis et sine necessitate sumta literarum permutatio, deinde haec aspera Hebraeisque insolita ח cum כ, denique lexicis nullo argumento creditum, חשל *debilis fuit*. Loca etiam aliqua, quae ad hanc notionem refert, facilius ex consveta lapsandi, impingendi, explicari posse reor.

Prov. XXIV, 16. כשל, seu, ut puncta volunt, נכשל in Niphal, plus etiam est, quam נפל, non lapsare, sed ita cadere ut non resurgas: שבע יפל צדיק וקם ורשעים יכשלו ברעה. Suspicer, id ipsum ex notione *succumbendi, non erigere se valendi*, quam paulo ante habuimus, explicandum: *septies cadit innocens, et surgit, sed rei succumbunt in malo*. Hic quoque LXX ἑπτάκις πεσεῖται ὁ δίκαιος, καὶ ἀναστήσεται, οἱ δὲ ἀσεβεῖς ἀσθενήσουσιν ἐν κακοῖς.

1232. כַּשִּׁיל Ps. LXXIV, 6.

Ἅπαξ λεγόμενον, quod plerique jam *malleum* vertunt, olim *securim*, ut LXX, Vulg. Syr. Chald. Kimchi, Reuchlinus: utrique ex conjectura,

ctura, nullo usu linguarum Orientalium, ac ne satis quidem favente derivatione: a lapsando enim, aut pigritia, aut debilitate, quis sive securi, sive malleo nomen duxerit? Mihi si conjecturae ex filo orationis et derivatione a כשל detur licentia, *machinas* malim *obsidionales*, ut, *arietes*, intelligere, quibus percussi et perrupti muri (פתוחים vel פתחים) nutant ac labuntur. Vide versionem germanicam.

1233. כִּשֵּׁף cum derivatis.

Verbum כִּשֵּׁף, nomen כֶּשֶׁף et כַּשָּׁף, participium verbi מְכַשֵּׁף, et feminine, מְכַשֵּׁפָה, *superstitiosas artes ac fraudes* signare; dubio caret, agnoscuntque lexicographi omnes et interpretes, forte aliqui eorum pluculum diabolo his in rebus tribuentes negotii, quam ille impendit. Quaeri adhuc possit, 1) quae prima sit verbi significatio ex qua reliquae manarunt? et 2) כֶּשֶׁף ، מכשפה, quomodo ab aliis superstitiosis artibus, a quibus distingui nonnunquam videmus, differat?

Arabia hic nobis dux. كسف proprie est, *secare*, quod ad *defectus solis et lunae* transfertur, quae sidera secare deus dicitur, ubi ecclipsi adficiuntur, unde et كسوف ecclipsis. Quin et a deficiente sole ad caligantes transfertur oculos. Exempla si desideres, dabit Castellus, omnibus hic lexicographis Arabicis praeferendus. Jam ergo מְכַשֵּׁף proprie est, *ecclipsin soli aut lunae inducens*, i. e. non illam praedicens, sed, cum forte ex coeli peritia praevideat, mentiens credulo vulgo, carminibus se magicis ecclipsin efficere. Jam et intelliges, quo jure Thalmudicis et Maymonidi, (verba eorum dedit Buxtorfius in lexico Chaldaico-Thalmudico) מכשפים sint, *qui mentiri faciunt naturam, contrarium facientes decreto vigilum sphaeras supernas moventium, cum potius debeant homini naturam in cursu suo relinquere.* Nimis creduli Rabbini haec vere facere impostores putabant, quae jactant. Nempe, primo defectus solis lunaeque, quos praeviderunt, facere se mentiuntur, deinde et alia majora jactant, qualia Massyla sacerdos Virgilii Aen. IV, 489. promittens,

Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro.

Caeterum non putem, ubique proprie poni, sed et latiore sensu, de omni maleficio superstitioso: in legibus quidem Mosis, ubi aliis praestigiis impostoribusque opponitur, proprie acceperim, maxime in legibus Exod. XXII, 17. Deut. XVIII, 10.

1234. כשר *rectus fuit*, cum derivatis.

Idem esse, quod ישר tradunt lexicographi, illisque adsentior. Duo sunt, quae addo: primo permutationem esse literarum Jod et Caph in hoc verbo tribus Aramaeorum dialectis solitam. De Chaldaica res expedita, consulendusque sub כשר Buxtorfius: Syris ܐܟܫܪ *emendavit*, proprie, *rectum fecit*, ἐπανώρθωσε, vide lex. Syriacum: Samaritanis denique, ut ex Castello disces, כשר idem quod ישר, cui adde pro ישרון Deuteron. XXXII, 15. XXXIII, 5. 26. Samaritanam versionem habere כשירה. Est ergo Aramaeismus, nec, nisi in Coheleth, atque Estherae libro obvius. Ipsum verbum primitivum כשר, suae radicis nec a ישר ortum, omnia alia significabat, ut ex Arabum lexicis disces, quibus كثر *multitudinis*, كسر *frangendi*, *comminuendi*, ac كشر *nudandi* notionem habet.

1235. כִּישׁוֹר Prov. XXXI, 19.

Verticillum vertere solent recentiores, Judaeos sequuti, maxime Kimchium et Raschium. Hi quidem et Gallice ורטיל (*vertueil*) dici annotant, addunt derivationem, quod sit מכשיר *dirigens fusum ad nendum*. Aliud etymon dedit Schultensius, a كثر quod sit ex origine, *necti in globum*, verum hanc originem non probavit, nec quidquam praeter conjecturam attulit. Citatur et pro hac significatione Chaldaeus, כּוּכְשָׁרָא vertens, quod verticillum esse volunt: at nec Chaldaici vocabuli significatio certa, quod ex hoc solo loco citatur, nec lectio, alii enim, ut Buxtorfius monuit, כּוּשְׁרָא habent. Egregie aptum filo orationis verticillum, sed usu linguarum argumentisque philologicis destituitur.

Antiquorum plerique ad כשר Chaldaizans *rectus fuit*, retulerunt: hinc LXX. τοὺς πήχεις αὐτοῦ ἐκτείνει ἐπὶ τὰ συμφέροντα, Arabs, *ad opera utilia*, Chaldaeus ex alia lectione, בכושרא *ad rectitudinem*. In his forte et numeranda Vulgata, *manum suam misit ad fortia*. Hoc in lexicon receperat Reuchlinus, *cum nos*, inquiens, *legimus in proverbiorum ultimo, manum suam misit ad fortia*, *Hebraei exponunt*; *ad recta et congrua*. Haec explicatio lexicis recentioribus fere periit, sive quod displiceret, sive quod ignoraretur, nec enim id sibi negotii imposuerunt lexicographi nostri plerique, ut veteres consulerent.

Jam promere et eam liceat significationem, quae mihi germanice vertenti visa est verisimilior. كثر cum derivatis suis *multitudinem*, *abun-*

dan-

dantiam, *divitias* significat, verbum cum derivatis suis frequentissimum, et vel tironibus notum: exempla tamen si desideres, invenies a Castello collecta. Sic erit: *manum suam extendit ad divitias*, *ad lucrandum*. Forte idem voluit Syrus, ܟܘܫܪܘܬܐ vertens. Vide lexicon Syr.

Quod si aliquod nendi vocabulum malis, ob parallelismum sequentis hemistichii, ausim offerre Arabicum كسر *nervus arcus quo gossipium dividitur*, a كسر *fregit*. Certi nihil adfirmo in ἄπαξ λεγομένῳ, licet haec mihi duo consvetis paulo videantur opinabiliora.

1236. כושרות Ps. LXVIII, 7. *abundantia*, *felicitas*.

His omnino accedo, qui *abundantiam*, *felicitatem* interpretantur, conferens, de quo vixdum dixi Arabicum كثر et Syriacum ܟܫܪ. Praeivit ex veteribus, harmonice adeo vertens, Syrus, ܡܦܩ ܐܣܝܪ̈ܐ ܒܟܘܫܪܘܬܐ *educens vinctos in abundantiam* (*). Vide et Dathium ad psalterium Syriacum.

Contra plerique veterum ad כשר, *rectus fuit* relatum, *rectitudines*, *virtutes*, *merita*, *fortitudinem* vertunt. Sic LXX. ἐν ἀνδρείᾳ, exque illis Vulgata, in fortitudine, Arabs meus, ex bibliotheca Vaticana a Salomone Negri descriptus بالتجبّرة. Polyglottus, بقوّة, Antiochenus, بقدرته. Nempe meminerimus et supra p. 1375. Vulgatum כישור vertere, *fortia facta*, Chaldaeoque Proverb. XXXI, 10. אשת חיל esse אִתְּתָא כְּשַׁרְתָּא. — — Paulo aliter, sed ex eadem notione, Theodoretus, ἐν εὐθύτησιν, *rectitudinibus*, Lutherus, *zu rechter Zeit*, eique simillime, sed alia sententia, Raschi: *mense qui aptissimus* (כשר) *erat*, *nec nimis frigidus*, *nec calidus*. Haec quidem omnia displicent, quod insolitum caeteris libris, praeter Coheleth et Esther, Aramaeismum, ex quo כשר idem est quod ישר, nolim Davidis psalmo inferre.

Symma-

(*) Ne quem hic moretur versio Arabica Antiochena, habens, *qui liberat vinctos* بقدرته *potentia sua*, moneo, hic ut saepe alias interpolatam esse ex aliqua Graeci textus Arabica versione. Dicam deinde plura, ubi ad Graeca pervenero.

Symmachus, *libertatem*, ἐξάγει δεδεμένους εἰς ἀπόλυσιν. Possit hujus versionis forte aliqua ratio reddi ex كسر *fregit*, sc. catenas: sed non puto id spectasse interpretem.

Catenas Abenezra vertit, ita et כִּישׁוֹר Prov. XXXI, 19. explicans. Multi ex nostris sequuti sunt, sed maximopere displicet, nulla linguarum Orientalium sub his radicalibus catenas habente. קָשַׁר *ligare*, conferre, audax conjectura, maxime cum verbo כשר non destituamur, ac perquam raro כ cum ק permutetur.

1237. כִּתִּים *Macedones* Genes. X, 4. Num. XXIV, 24. Dan. XI, 29. 30. 1 Macc. I, 1.

Hic quidem non a Bocharto solum, sed a memetipso dissentio, idque refello, quod Bochartum sequutus in Spicilegio T. I. p. 103. ex loco Danielis XI, 29. 30. ut certum sumseram, כתים Latium esse.

Ex 1 Maccab. I, 1. ubi Alexander egressus dicitur ἐκ τῆς γῆς χεττιεὶμ, satis manifestum, eo tempore, quo Judaeis Macedonia optime fuit nota, quippe qui regibus Syromacedonicis suberant, aut contra illos bella gerebant, כתים nomen fuisse Macedoniae. Nullus, ne antiquior quidem, auctor certior et indubitabilior videri possit, hoc sub Macedonum imperio vivente. Eodem in libro c. VIII, 1. et Perseus, mutata paululum scriptione, Κιτιαίων βασιλεὺς dicitur. Unum hic forte quaeri possit, cur non ad analogiam grammaticam χεθθιεὶμ scribatur, sed facile respondebit grammaticae Graecae peritus, duas syllabas consequentes ab adspirata ordiri vetitum. Adde, כתים Hebraeorum, etiam ubi de Cypro ponitur, semper per T Graecos exprimere, undecunque demum haec orta sit literarum anomalia. Nominis antiqui Macedonum nostro nomini cosonantia fragmenta servavit Drusius ad hunc locum, ut, secundum Hesychium, Μακεττία, *Macedonia*, et Μακετὸς, Macedo; quibus addo ex Svida, T. II. p. 484. Μακεδόνιος, τὸ δὲ θηλικὸν, Μακέτις, et ex Herodoto l. I. c. 56. Pindi nomen, Μακεδνος.

Mentio gentis Genes. X, 4. egregie Macedonibus apta, ubi כִּתִּים cum דֹּדָנִים, Epiri incolis, componuntur. Spicileg. T. I. p. 114–121. Latium hic si sumas, dissitarum gentium terrarumque mentio conjungitur. Num. XXIV, 24. pro Macedonibus est, qui vere Assyriam et Eberum, seu potius, quae ultra Assyriam sunt (*), subjugarunt: Romani, quos ple-rique

(*) Vide infra sub עֵבֶר dicenda.

rique hic intelligunt, habentque codices multi Chaldaicae verſionis, docente de Roſſi in *variis lectionibus V. T.* Aſſyriam non ſubjugarunt, Parthicae illa fuit ditionis.

Solus pro Romanis facere videtur locus Dan. XI, 29. 30. isque et mihi, ſpicilegium cum ſcriberem, hanc interpretationem perſvaſit. Habent et ibi Ῥωμαίους LXX. Ephraemo contra ita plane inauditum, ܟܬܝܐ Romanos eſſe, ut et hic Macedonas intelligeret, ad Syromacedonas referens. T. II. Operum Syr. p. 229. Verum et hoc jam Danielis dictum plane pro Macedonibus eſt, ſi cum Syro מוצאים legens, vertas, ſive, *egredientes ex Macedonia*, ſive, *debellatores Macedonum*. Sed de his num. 1029. copioſius dictum, quo remitto lectores, ſine dubio nolentes, bis idem eodem in libro ſcribi. Adde et Germanicam Danielis verſionem cum notis.

1238. כִּתִּים vel כִּתִּיִּם aut כּוּתִּים *Cyprii.* Jeſ. XXIII, 11.

Hae literae, utcunque adpellatae, non paucis veterum ita viſae ſunt unanimiter Cypri inſulae, et Cypriorum nomen eſſe, ut, ſi vel omnia eorum damnes, in quibus ſunt quidem pleraque damnanda, id tamen conſtare unum videatur, Cypro nomen fuiſſe, quod Hebraice כתים ſcriberetur. Primus exſurgat, alieno quidem, ut mihi videtur loco, Geneſ. X, 4. כתים de Cypro explicans, ſed tamen nominis ſimilitudinem ſatis exprimens, ut Graece ſcribitur, Joſephus, Ant. I, 6, 1. Χέθιμος δὲ Χεθιμὰ, τὴν νῆσον, ἔσχεν· Κύπρος αὕτη νῦν καλεῖται, καὶ ἀπ' αὐτῆς νῆσοί τε πᾶσαι, καὶ τὰ πλείω τῶν παρὰ θάλασσαν ΧΕΘΙΜ ὑπὸ Ἑβραίων ὀνομάζεται. Μάρτυς δέ μου τοῦ λόγου μία τῶν ἐν Κύπρου πόλεων, ἰσχύσασα τὴν προσαγορίαν φυλάξαι, Κίτιος γὰρ ὑπὸ τῶν ἐξελληνισάντων αὐτὴν καλεῖται, μὴ δ' οὕτως διαφυγοῦσα τοῦ Χεθίμου τὸ ὄνομα: i. e. *Chethimus inſulam Chethim occupavit, quae nunc Cyprus vocatur, unde Hebraei translato nomine omnes inſulas ac maritima pleraque Chethim dixerunt.* (Hoc quidem ubi? nec equidem recordor. Nec Joſephum, probans omnia, cito). *Indicium meae explicationis in una Cypri urbe ſuperat, quae ſola nomen ſervavit. Citium enim ab his, qui ad Graeciſmum nomen detorſerunt, vocatur, ne ſic quidem multum a Chethimo abludens.*

Video et alios veterum כתים de Cypro intelligere. Numer. XXIV, 24. Arabs Polyglottus, i. e. Saadias, pro כתים قبرس habet, الخارجين مِنْ فُرْضَةِ قِبْرِس *egredientes* (יוצאים) *ex portu Cypri.* Epiphani-

phanius, harum certe rerum non imperitus ſcriptor, nomen hoc Cypri ut certum plane et cuivis notum ſumit, haereſ. XXX. §. 25. p. 150. de Jeremiae, ut citat, ſeu potius Jeſaiae illo c. XXIII, 11. ὅτι καὶ εἰς Κιτιοὺς (כתיים) ἐὰν ἀπέλθῃς οὐδὲ ἐκεῖ σοι ἀνάπαυσις ἔσται differens, πάντι δὲ, inquit, δῆλόν ἐστιν, ὅτι Κίτιον ἡ Κυπρίων νῆσος καλεῖται· Κίτιοι γὰρ Κύπριοι καὶ Ῥόδιοι, *cuivis notum, Citium vocari Cyprum inſulam, Citii enim ſunt Cyprii et Rhodii*, quamquam deinde male id transfert ad Macedonas, quos vult eodem nomine vocari, quod ſtirpis ſint Cypriae et Rhodiae.

כתיים cum nomen fuerit Sidoniorum, ut ſub numero 1128. dictum, ſuſpicor ab incolis quos diu habuit Sidoniis ſeu Phoenicibus et Cyprum, et urbem *Cetium* nomen habuiſſe. Vide, quae ex Pocokio et Svida excerpſi in Spicilegio T. I. p. 108. Marmora idem-teſtantur Citienſia Phoeniciis literis inſcripta, quarum duo explicuit Jo. Swinton, in inſcriptionibus Citiaeis, Oxon. 1750. Non ignoro, Niebuhrio narratum, Armenicas eſſe, ſed Phoeniciarum literarum peritus vix dubitabit, maxime poſt Swintonum.

Hac quidem ſignificatione haud dubitans כתיים accipio in Jeſaiae loco vixdum memorato, Jeſ. XXIII, 11. ubi Tyro victa incolis dicitur, *ſurge et tranſi ad Cyprios, nec tamen ibi quies erit tibi.* Certe nec in Macedoniam nec Italiam Tyrios fugiſſe ſuſpiceris, ſed Cyprum, a Phoenicibus habitatam. Suſpicor etiam Jerem. II, 10. כתיים nec Italos eſſe, nec Macedonas, eo tempore in Palaeſtina parum notos, ſed Cyprios, aut Phoenices.

Ex hocne nomine aliquid lucis contradictioni Joſephi et Juſtini martyris de Simonis magi patria? Illo quidem teſte Judaeus erat; Cyprius natalibus, (Ἰουδαῖον, Κύπριον δὲ τὸ γένος, Ant. XX, 7, 2.) Juſtino vero martyri, quem plerique ſequuti ſunt, Samaritanus ex pago Gitton, Apolog. II. p. 69. (editionis Colon. 1686.) Σίμωνα Σαμαρέα, τὸν ἀπὸ κώμης λεγομένης Γεττῶν. Joſepho quidem, coaevo, quis non potiorem fidem habeat, quam Juſtino? verum unde hujus error? Audierat credo, aut legerat, Simonem fuiſſe, כותי, i. e. *Cyprium*, מכתין *ex Cypro*, vel adeo ipſa urbe *Citio*, ſed haec aliter intelligebat, כותי *Samaritanum*, et ex מכתין faciebat aliquem Samaritanorum pagum, ſibi Samaritano notum, cujus nomen utcunque concinebat, *Gitton*.

כותה regionem circa Sidonem, quaere num. 1128.

1240. כִּתִּים Ezech. XXVII, 6. *Sinenses?*

Alios כתים, quorum ex terra ebur adfertur, Ezechiel habet c. XXVII, 6. de quibus in Spicilegio T. I. p. 111-114. copiosius actum. Suspicor, Sinenses esse, qui ipsi Abulpharagio aliisque Syrorum scriptoribus ܟܬܝ̈ܐ sunt, a nomine regionis, *Chataja*, literis Syriacis ܟܬܝ̈ܐ. Hinc ergo Ezechielis jam tempore, sexto ante Christum seculo, cum Syris Tyriisque merces permutarint? nec quidem mari, sed terra, ut postea, alio nomine Seres dicti, cum Romanis. Judaei quidem 243. jam ante Christum annos ipsam adeo Sinam, commerciorum forte caussa, adierunt. Vide bibliothecam Orientalem priorem T. V. n. 71. p. 73.

Verisimillima sententia, nec tamen, quid ei opponi possit, dissimulare fas putem. Catajae nomen seculo demum decimo, a victore populo Kitan, barbaro et septentrionali, Sinae inditum esse, auctor est *Joannes Everardus Fischer* in quaestionibus Petropolitanis pag. 83. Id si certum, nec conjecturis etymologicis adnumerandum, nec Ezechiel, nec ejus interpres Syrus ܟܬܝܐ scribens, de Sinensibus cogitare potuit. Hoc quidem a Sinensium rerum peritis, qui ipsa eorum legerunt monumenta, doceri velim.

[De מכתב Jes. XXXVIII, 9. vide infra, מכתם]

1241. כָּתַם Jerem. II, 22. proprie, *fulvus fuit*, deinde generatim, *maculatus fuit*.

Mirum quas in verbo ἅπαξ λεγομένῳ conjecturas luserint recentiores, veteribus omnibus veram *maculandi* notionem praeeuntibus. LXX quidem, de quibus ante omnes dicendum, quod eorum versio Hexaplaris Syriaca argumento est, verbum apud Syros idem significasse, κεκηλίδωσαι, *maculata es*, idque Hexapla Syriaca, ipsissimo nostro verbo exprimunt, ܡܟܬܡܬܝ. Jam et intelligitur, quid sit Chaldaei, רושם כתמא, *vestigium maculae*, impurae scilicet, qualis in lepra: et Syriacae versionis in Polyglottis, ܟܬܡܬܝ ܠܗܘܢ. Symmachus, ut in Hexaplis legitur Syriacis, ܡܟܬܡܬܐ, et Vulgata, *maculosa est*.

Haec quidem, *coloris* indeque *maculae* significatio ita veteribus nota ac consveta, ut et nomini כֶּתֶם eam dederint: Aquila, Jes. XIII, 12. σπίλωμα (plane ut vicissim Syrus σπίλοι 2 Petr. II, 13. ܡܟܬ̈ܡܐ vertit)

et

et Vulg. Thren. IV, 1. *quomodo mutatus est* COLOR *optimus*, Syrus ܘܓܘܢܐ ܡܫܒܚܐ; Chald. זיו *splendor*.

Ab hoc coloris verbo cum כֶּתֶם *aurum* nomen acceperit, prope certum habeo, primo, *fulvum colorem*, denotasse, indeque *fulvas maculas*, licet et latius ad omnes maculas fluxerit. *Fulvae* quidem *maculae* ipsi Jeremiae loco, *si abluas te nitro, et multo utaris alcali, fulvescit magis culpa tua*, ita aptae, ut prope argumento esse possit. Aliquas maculas alcali non eluit, sed auget, et vero nigras aut nigro proximas, caeruleas, fulvas efficit, ut vel quotidie experimur, atramenti maculis post loturam fulvescentibus. Hanc notionem et prodit Arabicum اِكْتِتَام (infinitivus conj. octavae), *cum quid valde flavum est*, (vide Castellum sub numero 21, Golius enim non habet) et كَتَم, *herbae species, quae cypro mixta inservit capillorum tincturae*, nempe hi rubro, seu potius fulvo colore inficiuntur.

Mirum, idem verbum Arabibus sub diversissima, ut videtur, significatione *occultandi* usitatius esse, spurcitiem et maculas eos plerumque sub كتن habere. Suntne *occultare*, et, *inficere alieno colore*, unum ex altero orta, ut חָפָה *occultavit auro*, est, *obduxit auro*? an Arabicum كتم *occultavit*, plane a nostro sejungendum?

1242. מִכְתָּם στηλογραφία, *inscriptio lapidibus incisa*.

In titulis occurrit psalmorum XVI, LVI, LVII, LVIII, LIX, LX. Recentiores fere ad כֶּתֶם *aurum*, retulerunt, plerique *aureolum* vertentes, alii, ut Vriemoot, *amuletum*. Utrumque significare potuerit, nec tamen intelligo, quid hi psalmi, solo forte excepto decimo sexto, aliis praestent, ut digni sint, qui *aureoli* nomine ab aliis distinguantur.

Magno consensu veteres, *scripturam lapidibus incisam*, *lapides memoriales*, interpretantur, στηλογραφίαν LXX et Theodotion, (quo de vocabulo vide Suidam) *tituli inscriptionem* et Vulgata, et in sua versione Hieronymus, גליפה תריצה *inscriptionem erectam*, Chaldaeus: (Syrus enim nuspiam vertit). Solebant nempe et Hebraei lapidibus incidere monumenta aeternum duratura. Haec quidem interpretatio argumento psalmorum omnium hoc titulo insignium perquam apta: decimus sextus epi-

taphii fere argumentum habet, sexagesimus epinicion, insignis victoriae monumentum, in ipso ut videtur loco praelii erectum; de quo vide infra sub שם ad 2 Sam. VIII, 13. dicenda; psalmi 56, 57, 58, 59. eodem forte in loco aut specu erecti, ubi summum vitae periculum Davides adierat.

Nec etymologia nos destituit, hanc veterum satis constantem interpretationem nostram facientes, quam solam spectantes recentiores a veteribus hic secessionem fecerunt; nec lectionis mutatione in מכתב opus, ut multi sibi persvaserunt, quod quidem מכתב in nullo codice Hebraico Kennicottus reperit. En duplicem offero:

1) Inscriptionibus in lapides incisis, ut facilius legi possint, ut nunc fieri solet; sic et olim color duraturus multas per aetates inducebatur. Quin et apud Syros omnia, etiam quae secando aut urendo fiunt *στίγματα*, ܟܘܬܡܐ dicta.

2) Nihil cum frequentius sit Arabibus literarum M et B permutatione, possit מכתם idem esse, quod מכתב Jes. XXXVIII, 9. quod ipsum de monumento marmoreo intelligo, carmen inscriptum habente.

Utrum praeferam? quaeris! ambigo, ac pene suspicari incipio, utrumque conjungendum. Atramento aut alio colore literas cum pingamus, potuerit ipsum scribere a *colore* dictum fuisse, atque כתם et כתב origine convenire. Nihil hic certi habere aut statuere videri velim, sed de conjecturis, quae se scribenti obtulerunt, alios interrogare.

1243. כתנת *tunica interior*, proprie, *linum*, *lintea vestis*.

Ante omnia, *lini* nomine usurus, scire velim lectores, me hoc nomine non nostrum solum, sed et xylinum seu gossypium intelligere, pro more veterum. Vide Plinium hist. nat. l. IX. c. 3.

Josephus auctor est, *linum* Hebraeis *chethon* vocari, Ant. III, 7, 2. De veste sacerdotali כתנת loquens, ex bysso, ut dixerat, facta, *χεθόνη* (*) *μεν*, inquit, *καλεῖται. Λίνεον τοῦτο παρ' ἡμῖν σημαίνει, χεθὸν γὰρ τὸ λίνον ἡμεῖς καλοῦμεν.* De gossypio eum loqui manifestum, quod byssi.

(*) Quod editiones habent *χεθομένη*, manifestum librariorum vitium. Caeterum nota, cum ad leges linguae suae Graeci *χιτὼν* dicant, ne duae ab adspirata syllabae ordiantur, Josephum, Hebraica adcuratius exprimere cupientem, contra morem Graecorum *χεθόνη* per Theta scribere.

byſſinam antea veſtem dixerat. Caeterum quae habet, lingua Orientis univerſae confirmant. Chaldaeis כִּתָּן, Samaritanis כתנה, Arabibus كَتَّن et كَتَّان, Aethiopibus כתן, *linum*. Ipſum noſtrum, *Cattun*, Gallicumque Cotton, hoc fonte profluxiſſe putem, nomine rei Aſiatico cum merce ad nos veniente. A goſſypio ergo, conſveta materia, tunica, interior maxime, dicta. Semel, et vero primo adeo loco, Moſes vocabulo latius uſus, כתנות עור *tunicas ex pellibus*, dicens, Geneſ. III, 21. quod nemo quidem mirabitur, niſi ignorans, uſum vocabulorum latius quam etymon patere.

Graecum χιτὼν idem Hebraico eſſe, exque eo ortum, quis eſt, qui non videat audiatque? Nempe et ad Graecos commerciis Phoenicum res cum nomine venit. Suſpicari quidem poſſis, ut alia byſſi goſſypiique nomina, quae Graeci cum Hebraeis communia habent, ita et hoc Aegyptiae eſſe originis: nec tamen in lingua Coptica nominis noſtro quodammodo concinentis recordor, praeter *Schthin*, p. 129. lexici la Croziani: at cum veriſimile non ſit *Sch* Aegyptium ab Hebraeis in Caph mutatum eſſe, habeantque vocabulum et Arabes atque adeo Aethiopes, originem Aegyptiam, donec alia docear, abdico.

Samaritanus textus כיתנות ſcribit Geneſ. II, 21. addita pro more ſuo matre lectionis, ut *Chithon* adpellaretur, Graeco χιτὼν conſone. Male quidem in vocabulo, quod Orientalibus Graeci debent. Nec tamen et puncta Hebraica כְּתֹנֶת, plur. כָּתְנוֹת hic certa habeo.

כתנת qui ab Arabico اكتنن *adhaeſit* derivant, quod veſtis adhaereat corpori, vix probandi videntur. Ipſe Golius, quae ſub hac radice habet, ſi perlegiſſent et intellexiſſent, ſimul et hoc intellecturi erant, verbum non niſi de ſpurcitie quae adhaeret poni.

1244. כָּתֵף.

Scapulas ſignificare lexicographis omnibus notum, conſentiuntque linguae Orientales. A שכם quomodo differat, ex Job. XXXI, 22. diſcitur, quo de loco in excerpendis interpretibus recentioribus copioſior eſt Coccejus. Pauca ſunt et minuta, quae addo.

1 Reg. VII, 30. translate, *ſuſtentacula*, *omne quo aliquid ſuſtentatur et portatur*, ſignificat. Arabs (Syriacum ܡܣܡܟܐ vertens) مواضع للحمل

لِلتَّحَمُّل شبه (*) عواتق, *ſuppoſita ad portandum forma humeri.*

Jeſ. XI, 14. male quidem, ut mihi videntur, πλοῖα interpretantur LXX, πετασθήσονται ἐν πλοίοις Ἀλλοφύλων. Suſpicor eos hic, humeros pro alis accepiſſe, ut ſaepe Orientalibus idem nomen et humeros et alas ſignificat, quod avibus alae pro humeris ſunt, alas, de velis navigiisque. Mihi quidem his artibus non opus, nec putem de navigatione in mari prophetam loqui; (vide verſionem meam germanicam), ſed tamen referendum duxi, quo jure, vel juris ſpecie, ex humeris LXX navigia fecerint.

Adjicio et, vicinam, nec tamen eandem verſionem Vulgatam, *volabunt in humero Philiſtiim per mare*, cum authentica Hieronymi interpretatione: *primum maritimis praedicabant* (apoſtoli, de his enim pericopam interpretatur) *Palaeſtinis, et per mare volucri curſu pergent, ad caeteras nationes, ſive juxta LXX, volabunt in navibus alienigenarum.*

בין כתפים *inter humeros*, 1 Sam. XVII, 6. eſt et Arabibus Syrisque uſitatum pro *interſcapillo*. Vide Novarienſis theſaurum. p. 30.

1245. כתר, *exſpectavit.*

Cingendi, circumdandi notionem, ex qua et כֹּתֶרֶת *corona* fluxit, verbo neutiquam abjudicatam velim, plerumque ex filo orationis certam, ac veterum quoque conſenſu firmatam, ut Pſ. XXII, 13. Mirum tamen, linguis illam cognatis, Arabicae, Syriacae, Samaritanae, ipſique adeo Rabbinorum Chaldaicae, quantum nos quidem novimus, plane inuſitatam eſſe. Hinc et factum, ut quibusdam in locis, facillime ex ea expediendis, eam non agnoverint veteres, et in diverſa conjecturis abierint. Sic Jud. XX, 43. LXX κατέκοπτον, forte כתתו legentes, aut legendum ſuſpicantes, Syrus, ex eoque Arabs, *perſequuti ſunt*, Chald. טלטילו *propulerunt* vel *diſperſerunt*: et Habacuci I, 5. ubi malus bonos circumdare undique, forte laqueis circumdare, illaqueare dicitur, LXX. καταδυναστεύει, ex quibus Vulg. et Arabs, *praevalet*, Syrus, *tractat peſſime.*

Eſt

(*) Sic corrigo Polyglottorum عوافق.

Eſt tamen et ubi ex uſu Aramaeorum *exſpectandi* ſignificatum habere videtur, de quo aliquid ad Job. XXXVI, 2. monuit jam Coccejus, linguae Chaldaicae uſum adferens, reliquas enim praetermittit. Nempe non Chaldaeis modo, ſed et Syris ac Samaritanis, כתר eſt, *exſpectavit:* hinc optime explicabis Job. XXXVI, 2. כַּתַּר־לִי זְעֵיר *exſpecta me paululum, aurem diutius loquenti praebe*, praeiverunt LXX. μεῖνόν με, Theodot. ὑπόμεινον, Vulg. *ſuſtine me*, Chald. אַמְתַּן *exſpecta me*, Syrusque harmonice ܟܬܪ, ex quo Arabs أَمْسِكْ لِي *cohibe te a loquendo.* Hic ergo veteres conſentiunt omnes. — — Eadem notione et יכתירו oppoſitum verbo נחלו accipiendum putem Proverb. XIV, 18. *ſtultitiam hereditate acceperunt* (nullo ſuo labore a natura jam habent) *ſtulti, ſed callidi exſpectant*, nondum ſe habere credunt, ſed quaerunt, *ſcientiam.* Praeiverunt et hic, cum Syrus harmonice vertens, tum Aquila, ἀναμένουσι γνῶσιν, et Vulg. *exſpectant ſcientiam.*

Eſt et tertius locus, ubi veterum aliqui, *exſpectare*, vel, *ſpectare* vertunt, Pſ. CXLII, 8. בי יכתירו צדיקים, LXX. ἐμὲ ὑπομενοῦσι, exque illis Vulg. *me exſpectant juſti donec retribuas mihi*, Syrus, ܠܝ ܢܣܟܘܢ *me ſpectabunt.* De eo quidem certam non habeo ſententiam, poſſit enim et recte eſſe, *me circumdabunt.* Hieronymus ad coronam retulit, *in me coronabuntur juſti*, (male, quia verbum eſt activum) Chaldaeusque, *propter me coronam tibi laudis facient.*

1246. מַכְתֵּשׁ *mortarium.*

Recte explicuerunt lexicographi. Unum adſcribo inſignem locum Hieronymi, Tomo Op. III. p. 1651. ad Sophon. I, 11. "*ululate habitan-„tes pilae.*] *Pila, quae Hebraice dicitur MACHTHES, et ab Aquila „verſa eſt, εἰς τὸν ὅλμον, non per brevem ſyllaba prima legenda eſt, ne „σφαῖραν putemus, ſed productam: ut de pila ſciamus dici, in qua fru-„menta tunduntur, vas concavum, et medicorum aptum uſui, in quo pro-„prie ptiſana feriri ſolent.*" Ad quae verba intelligenda ſciendum, olim etiam his, qui molam non habebant, neceſſe fuiſſe grana frumenti in mortario contundere, ut in orbe primitivo ante inventam molam, omnibus. Vide infra ſub רֵחַיִם dicenda.

Mortarium in Palaeſtina multo, quam apud nos frequentius, in quo etiam, ut ſub כתית ſtatim videbimus, olivae, domeſticae Palaeſtinae divitiae, contundebantur, optimum ſic oleum daturae.

De מכתש ignominiose, ut Samaritani consveverunt, pro מקדש sanctuario, i. e. Hierosolyma posito, omnia, quae dicturus eram, occupavit Simonis, cujus verba Castelli lexico subjungi curabo. Vide tamen et infra מקדש.

De מכתש *mortario* ex quo scaturigines Jud. XV, 19. eruperunt, veram jam dixit sententiam Coccejus, sed paulo dilucidius proponendam. Scaturigines plerumque ex aliquo cratere erumpunt, quem ipsae sibi in terra excavarunt: hic quidem crater, (quod nomen naturae historici jam usitatum fecerunt,) scriptori sacro *mortarium*, a figurae similitudine. Sic bene LXX λάκκον verterunt. Jam olim ergo, et ante Simsonem, scaturigines hic fuerant, cateremque in terra excavarant, sed defecerant: findit Deus craterem, i. e. iterum scaturigines ex ejus rimis erumpunt.

Dentem, vel *dentem molarem* Symmachus, exque eo et Rabbinis Vulgata habet, opprobrium sane libri, narrantis ex dente molari asini fontem erupisse, qui illo adhuc die quo liber scriptus est fluat, quique, ut ex Josepho novimus, ejus adhuc tempore fluxit: Ant. VIII, 7. 3. ἦν χωρίον ἀπὸ δύο σχοίνων Ἱεροσολύμων ὁ καλούμενόν μεν Ἤθαμ (ad petram Etham acciderunt, quae de Simsone narrantur) παραδείσοις τε καὶ ναμάτων ἐπιῤῥοίαις ἐπιπρεπὲς ὁμοῦ καὶ πλούσιον. Hunc tamen dentem molarem copiose defendit, etymologias, non usum linguarum Orientalium adferens, Bochartus P. I. hieroz. l. II. c. 15. p. 203. Veterum etiam apud illum sententias reperies, quibus tamen nonnihil addendum. Ex Syro ܟܐܦܐ citat, vertitque, *buccas*, verum in Polyglottis Londinensibus ܟܐܦܐ invenio, i. e. dentem. Chaldaeus כיפא *petram* vertit, sic plane et Josephus V, 8, 9. ὁ θεὸς πηγὴν κατά τινος πέτρας ἀνίησιν ἡδεῖαν καὶ πολλήν.

1247. כתית (שמן) *oleum purissimum*: Exod. XXVII, 20. 1 Reg. V, 25. (al. 11.)

Non nisi his duobus locis occurrit, omissum in loco parallelo 2 Par. II, 9. Exquisitius oleum et praestantius intelligi, manifestum, sicque in libro Regum interpretantur, Vulgata, *purissimum olei*, et Arabs مغسول *lotum*, i. e. *purissimum*. Hoc vero oleum purissimum quale? ab alio vulgari oleo quomodo differt? Hoc quidem a recentioribus parum expediri video, ne ea quidem satis intelligentibus, ideoque obscure dicentibus, quae

quae Judaei mediae aetatis prodiderunt. In terris quippe nati, olivam non habentibus, olei exprimendi artes ac diversitates ignorabant. Neque hac ego parte felicior, libros tamen consului, maxime *du Hamel Physique des Arbres*. Hic quidem de oleo vix prodidit, nisi in Gallia nota: plura habituri et perfectiora eramus, si quis olei tractandi peritus, in Syria, maxima Drusorum in terra, ubi plurimus olivae cultus, artificia eorum, qui oleum ex olivis exprimunt, ipsaque eorum nomina, disceret, nobisque referret. Nec forte id nobis solum, linguae Hebraicae, sed et oeconomiae studiosis, ipsique adeo Galliae, proficuum: optimum enim oleum, et quod Gallico, Provinciae etiam, praestat, Palaestinam habere, Hasselquistus aliique testes sunt.

Copia autem hic bonarum explicationum, quae ultro se offerunt, licet duas interpretum nullus viderit, laboramus.

1) Communis sententia vult, intelligi oleum in mortario ex olivis immaturis expressum, non in mola, cui praeivisse videntur omnes prope veteres, LXX. utrobique *κεκομμένον*, Chaldaeus utrobique, כתישא *contusum* (confer praecedens מכתש) Vulg. in Exodo, *pilo contusum*. Forte et huc referendus Syrus ܟܬܝܫܐ habens, licet et de expresso sub torculari oleo poni possit. — — Haec quidem a recentioribus breviter, sed ita repetita, ut non satis intellexisse videantur, cur hoc oleum sit praestantius, (Clerico modo suspicari auso) dilucidius ad Exodi locum explicat Raschi: *contundebant olivas in mortario nec molebant illas in molis, ne essent in eis faeces* (*), *et postquam eduxerant primam guttam, tunc deferebant illas ad molas, et molebant.* Nempe primum oleum, et vero ex olivis non perfecte maturis, expressum, bonum gustu, cibisque adhibetur, posterius, sub mola expressum, saponi conficiendo impenditur. Vide *du Hamel de arboribus*, sub oliva: (germanicae versionis T. II. p. 54. seqq.)

In rei summa adsentior, sed forte aliunde optimo oleo nomen ductum. Nempe

2) *olei viridis* multa apud Latinos mentio, sive a colore ita dicti, sive quod ex viridibus conficitur olivis, necdum maturis, habeturque praestantius. Columella, libr. XII. c. 50. *Media est olivitas plerumque initium mensis Decembris: nam et ante hoc tempus acerbum oleum conficitur, et circa*

(*) Jam et intelliges cur LXX de suo *ἀτρύγητον*, sine faece, addant Exod. 27. *ἔλαιον ἐξ ἐλαίων, ἀτρύγητον, καθαρὸν, κεκομμένον.*

circa hunc mensem viride premitur, deinde postea maturum. Sed acerbum oleum facere, patris familias rationibus non conducit, quoniam exiguum fluit — — viridis autem notae conficere vel maxime expedit, cum et satis fluat, et pretio pene duplicet domini reditum. Plinius l. XII. §. 60. *oleum et omphacium est. Fit duobus generibus et totidem modis, ex olea et vite, olea adhuc alba expressa, deterius ex druppa: (ita vocatur, priusquam cibo matura sit, jam tamen colorem mutans). Differentia, quod hoc* (deterius) *viride est, illud candidum.* — — l. XV. c. 1. *primum omnium e cruda, atque nondum inchoatae maturitatis oliva: hoc sapore praestantissimum. Quin et ex eo prima unda praeli laudatissima. . . . Quanto maturior bacca, tanto pinguior succus.* — — Videmus ergo, diversa esse, oleum

viride, colore, quod ut deterius adcusatur, sed laudatur ut proficuum patri familias.

viridis, sc. olivae, i. e. immaturae, laudatum ut praestantius, sed non conducit rationibus patris familiae. *Acerbum*, dicit Columella, *amarum;* oleum ex immaturis olivis expressum, ab olei venditoribus Gallis audierat du Hamel. Plinius *sapore* dicit *praestare*. Haec conciliare, aut sententiam dicere, non meum est, in Germania olearum non feraci viventis.

Possit vero et ex etymo *oleum viridis* olivae כתית dici, cujus significationis vestigia in sororiis linguis supersunt. كَثّ *terrae virens* est *proventus*, ܟܬܐ *sponte nascens* vel revirescens seges pristini anni. Prima unda praeli ex immaturis olivis, Plinio laudatissima. — — Quod si oleo viridis hic locum abjudices, jam dicta ad רענן transfer, ubi usui erunt.

3) Denique et possit esse, כתית *sponte nascentis olivae, oleastri*, oleum, ex Syriaco ܟܬܐ vix dum adlato. Teste du Hamel, p. 53. *minutulae olivae oleastrorum, sponte in montibus nascentium, delicatius dant oleum: in Gallia tamen, et quod parum olei dant, et quod olivae sponte nascentes rarae, non proficua haec olei confectio.*

Haec si quis legeret, in Palaestina, in Libano, aut inter Drusos vivens, naturae et linguae Arabicae peritus, et me et alios edocere vera ac certa, ac multa forte his addere posset.

1248.

1248. לְ.

Notas significationes praefixi לְ, dativi plerumque notae, interdum et more Aramaeo adcusativi, ut Ps. CXXXV, 11. CXXXVI, 19. Job. V, 2. XXI, 22. Ezr. VIII, 16. Nehem. IX, 32. intactas lexicis relinquens, video tamen, primo alicubi insolentius ל occurrere, cujus ex illis significationibus ratio vix reddi bona potest, deinde et alias esse particulae significationes rariores, a multis omissas.

1) Insolentioris לְ exempla sunto Jes. XXXII, 1. ולשׂרים ubi videtur nominativo praepositum, serioris Hebraismi more, *et principes ad judicium exercendum principatu fungentur;* nisi forte, ut equidem ausus sum, cum ימלך construas, consveta dativi notione locum habitura, *et principibus* regnabit *qui ad judicium exercendum principatu fungentur*, i. e. non ipse solum rex justus erit, sed et justos habebit ministros (*): XLIV, 14. לכרת 1 Paral. III, 2. לאבשׁלום *Absalomus*, in nominandi casu, sic et c. VII, 1. XXIV, 20. 21. (nisi hic forte aliquid quod praecesserat, exciderit, aut subintelligendum sit ראשׁ, *caput erat*) XXVI, 1. Quomodo consulant interpretes, excerpere longum, mihi quidem non satisfecerunt. Seriorne et sequior Hebraismus novam particulae notionem adscivit? Quaero, interrogo, non definio.

2) Job. XVIII, 14. novam particulae significationem, *instar*, dedit Schultensius, ut למלך sit, *instar regis*. Hac quidem haud opus, modo vertas, *scandere illum facient* (תַּצְעִדֵהוּ) *ad regem terrores*. Vide versionem germanicam.

3) Idem Schultensius haud paucis in locis, ut Job. VI, 14. VIII, 8. Jes. XXXII, 2. invenisse sibi visus est *La* Arabum emphaticum, *omnino, certe*, significans, fortiusque adseverans. Non adsentior, primo, quod لَ Arabum, toties totiesque obvium, apodosi aut praedicato praeponi solitum, nullam mihi emphasin habere videtur, (vide grammaticam Arabicam p. 227-229) deinde, quod in locis, ubi illud invenisse sibi visus est, Hebraicis, alia plane constructione, non ante apodosin aut praedicatum, sed in initio orationis ante subjectum, aut in medio commate ante adcusativum ponitur.

4) Paulo verisimilius hoc apodoticum لَ Arabum transferri ad Prov. X, 16. possit, praedicato ex more Arabum praepositum, פעלת צדיק לחיים

(*) Vide et bibl. Or. priorem, Suppl. T. XIV. p. 109-111.

לחיים תבואת רשע לחטאת, *praemium justi, vita: messis injusti, peccatum.* Recte hic ل Arabum contulit Schultensius, a quo in eo tamen dissentio, quod emphaticum putat.

5) Chaldaeis Arabibusque solitum, non nominibus solum, sed et verbis futuri temporis ל praefigere, UT significans. Sic quidem et Hebraice semel ponitur Genes. XXX, 41. in ליחמנה *ut incalescerent*, i. e. *coitum exercerent, conciperent,* quod quidem non efferendum puto, ut puncta habent, ליחמנה, sed, ut v. 38. scriptum erat, ליחמנה, forma futuri Chaldaeis Arabibusque usitata, de qua agam in grammatica. Forte hoc ipso in loco est aliquis Aramaeismus, servato a Mose verbo, quod in antiquiore monumento repererat. Ad hanc legem et referendum putem consvetae lectionis 1 Reg. VI, 19. לתתן שם *ut dares, vel reponeres illuc,* seu, ut mutatis malim vocalibus, cum ארון sit generis communis, לתתן שם את ארון ברית *ut reponeretur ibi arca foederis.* Infinitivus quidem, quem comminiscuntur, תתן, ex grammatica Hebraica, usu, non conjecturarum somniis formata, usuque reliquarum linguarum Orientalium omnium esse nequit. Haec de consveta lectione dixi: Soncinenses editiones annorum 1486. et 1488, (quae Kennicotto sunt 257 et 260) codexque de Rossi 579, habent לתתו שם, *ut reponeret illuc*, sed emendatoris, ac vero perquam recentis, manum sapit, non nisi in uno codice recente decimi quinti aut decimi quarti seculi, frequenter cum Soncinensibus editionibus congruente, repertum.

1249. לא *non.* Num sit, *nihilum?*

Notissima negandi particula, linguis Orientalibus omnibus communis, de cujus scriptione hoc solum enoto: לא per duas literas Chaldaeis, Samaritanis, Syris, Arabibus, Aethiopibus semper ac constanter scribi, et Hebraeis plerumque; at his et alicubi plene, לוא, maxime in serioribus libris, sed exempla colligere molestum, ac prope, si varietatis lectionum rationem habeas, immensum. Nec hanc matrem lectionis a librariis recentioribus additam existimo, horum enim consvetudini si deberetur, in omnes aeque libros sacri codicis irrepsisset, non in paucos, quorum prope est characteristica haec scriptio.

Ex philologis aliqui, et vero primarii viri, ipse Schultensius, statuerunt, לא NON, et nomen substantivum esse, NIHILUM, sicque poni (Schul-

(Schultensii exemplis utor) Job. IV, 14. VI, 21. XI, 7. XIV, 16. Alii deinde, inventum ad plura loca transtulerunt, ut vel Ps. XIV, 4. יהוה לֹא קָרָאוּ verterint, *Jehovam nihilum vocant.* Mihi quidem veri videtur dissimillimum. In omnibus, quas novimus linguis, *NON*, et NIHILUM, — — NICHT, et NEIN, *NICHTS*, — — οὐκ et οὐδὲν, semper diversa, auribusque magnopere displicet, alterum pro altero imperite poni: ergo si quis soli hanc permutationem diversissimorum conceptuum animi linguae det Hebraicae, non conjectura aut voce magisteriali, sed certis utendum ac probantibus exemplis erat. Jam vero omnia, quae citari video, nihil probant, aut ex consveta particulae לֹא explicatione facile expedienda, aut variae ac perquam dubiae lectionis. Ex his quis tam insolentem, auribusque ingratum soloecismum probaverit. Denique nulla reliquarum linguarum Orientalium suo לֹא ita utitur, non Arabica, cujus decies plus novimus quam Hebraicae, nec exempla, si fuissent, adferre omisisset Schultensius, non Syriaca. Ex sola fateor, Chaldaica, unum citatur exemplum, vel hanc ipsam ob caussam, quod unicum est, suspectum, ex punctis pendens masorethicis; anomaliaque insuper suspectum. Dan. IV, 32. legitur, כָּל־דָּארֵי אַרְעָא כְּלָה חֲשִׁיבִין quod vertunt, *omnes incolae terrae* UT NIHILUM *reputati sunt*, לָה pro לָא positum decernentes, quamquam et aliqui, a Kennicotto memorati, כְּלָא habent. Nec soli ita recentiores, sed et praeiverunt, quod dissimulare nefas, ex veteribus, Theod. Vulg. Syr. Sed et hoc exemplum nihili est, (sic per festinationem scribebam, paronomasiarum osor), nullam vim probandi habet. Corrige puncta, כֻּלֵּהּ, aut כֻּלָּא eritque, *omnes incolae* TOTIUS *terrae numerati ab ipso et aestimati sunt.* Haec puncta reponere, si vel nullus codex aut editio ea praeivisset, nostri quidem arbitrii: sed et reperi in Stephani editione majore כֻּלֵּה, in Janseniana (sed sine Dagesch) כֻּלֵה.

Ergo NON, et NIHILUM, ut in reliquis linguis a pueris docti sumus, in Hebraica etiam distinguamus. —

A לֹא fit,

1250. הֲלֹא *nonne.*

Hoc quidem Samaritani frequentissime ponunt ut Hebraicum הִנֵּה (nempe quod, *nonne*, interrogatio est adfirmans, et quasi monstrans rem notissimam omniumque oculis expositam) ut Genes. XLIX, 15. *et vidit quie-*

quietem, הלא טובה, *nonne bona est? et terram*, הלא שמנה *nonne pinguis est?* Levit. XI, 4. 5. 6. 7. In Hebraicis quidem hic כי est, sed id הלא redditum, rem manifestam inque oculos incurrentem, non negandam, indicat.

Sic quidem semel poni video in Hebraico quoque Deuteronomio, c. XI, 30. (volunt et alii c. III, 11. הלה, He pro Aleph positum decernentibus Rabbinis, sed de hoc loco dubito, vertendumque dubitative puto, *sed num ipsius est verum Ogi feretrum?* Samaritani tamen et XI Judaici codices הלא habent) iterumque Ps. LVI, 9. 14. Rabbinis hic usus perquam frequens.

Praeceptum לא תעשה quaere sub עשה.

1251. לוא Thren. I, 12. num exclamatio dolentis: *vae! eheu?*

לוא ut particula negandi acceptum nonnihil difficultatis habet Thren. I, 12. varie explicatum: at in exclamationem consentire videntur, LXX, οἱ πρὸς ὑμᾶς exque illis Arabs, يا, itemque Vulgata, *O vos omnes*. Suspicari possis, eos אל legisse, maxime cum multi codices L minusculum habeant לוא, sed omnino obstat ordo versuum alphabeticus, ל initiale requirens. Nec tamen negandum, egregie exclamationem dolentis locum hic tueri. Habueruntne ejusmodi exclamationem linguae Orientales? وي atque inde وَيْل Arabibus cum O, tum VAE, atque etiam addito articulo أَلْوَيْل: hocne L articuli in alias etiam dialectos cum exclamatione migravit? Thalmudicis לְוָא est *ejulare*, indeque לויה *luctus, ejulatus*. Anquirendi animo haec scribo, non sententiam dicens. Particula si est exclamantis, aliis erit punctis animanda, forte לְוָא, aut לְוָא, aut, si malis לְוּא (*Levu*).

1252. תְּלָאָה, לאה.

Defatigationem, molestiam, designare, notum. Hinc et *infortunium*, cui succumbimus, *summa angustia*, dici videtur, plane ut apud Arabes لَأْي, unde et verbum, لَأَى *incidit in infortunium summamque angustiam*. Sic poni puto Thren. III, 5. (quo de loco infra vide שׁישׁ) *circumvallavit me — — et angustia*.

1253. לאט, *involvere, abscondere*, suspectum aut ex alio verbo ortum.

Hanc quidem involvendi aut obscondendi notionem verbo satis tribuunt unanimes lexicographi, videturque locus 2 Sam. XIX, 5. (al. 4.) illam ita firmare, ut dubitari vix possit. Praeiverunt et ibi veteres LXX ἔκρυψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, Vulg. *operuit caput suum*, Syr. ܡܟܣܐ ܐܦܘܗܝ Chald. כְּרִיךְ יָת אַפּוֹהִי, Vera si est illius loci versio, unum ex his tribus sumendum, sive,

1) errore librarii לאט scriptum esse pro לָט. Verum nulla hucusque inventa, si bibliis Kennicottianis fidem habere fas est, varietas lectionis.

2) Arabum more mediam rad. Vau in Aleph quiescens mutatam, efferendumque, לָאט, pro לָט: Suspectus tamen in scribendo Arabismus, cum orthographia Arabica multo sit recentior, ac post Muhammedis aetatem ea, qua nunc utuntur, constiterit; alia orientalis lingua nulla medium Vau in Aleph quiescens in praeterito mutet.

3) Mediam rad. Vau et Aleph permutatam esse, ut in quibusdam verbis accidit. Haec quidem consveta sententia, cui et accederem, nisi ipsum verbum לאט in lingua Arabica usitatum, de quo sub numero sequente agam, egregie hic locum tueri posset.

Hanc quidem involvendi notionem, in libro Samuelis satis opinabilem, fuerunt etiam qui ad Job. XV, 11. transtulerunt, ודבר לאט עמך: *num deus justo suo judicio verbum hoc involvit apud te, ut nequeas illud percipere atque intelligere?* alii aliter. Grammatice vera si esset linguarumque sororiarum suffragio confirmata notio, posset ferri: at usu omni destituta est, certe illi loco non ita apta, ut ex sola conjectura arripi aut ex illo inveniri debeat.

1254. לָאט.

Propriam ergo et veram radicem לאט mediae radicalis א quaerens, apud Arabes invenio, لأط: indicatas a lexicographis, Golio aliisque, significationes, hoc ordine dispono: 1) *percussit*, e. g. fuste, aut sagitta, i. e. impetivit sagitta 2) *vehemens fuit* 3) *flagitavit et jussit quid instando* 4) *prosequutus fuit visu, quoad posset.*

Ex his quidem 2 Sam. XIX, 5. lucet, prima illi significatione verbi Arabici aptata: *percussit faciem suam*, i. e. *frontem suam percussit*, (*schlug sich vor die Stirne*). Sic et emendare volui versionem meam Germanicam, sed veritus sum, ne novitatis displiceret audacia, atque adhuc aliquid dubitabam.

Ad hanc radicem et aliqui retulerunt 2 Sam. XVIII, 5. Job. XV, 11. de quibus numero 69 sub אט dictum. Ergo et haec hic iterum loca tractanda. לאט לי 2 Sam. XVIII, 5. ut verbum vertunt, LXX. φείσασθε, Vulg. *servate mihi*, Syr. ܐܚܘܕܘ ܠܝ *prehendite*, i. e. *vivum capite mihi*, Ar. اِحْتَفِظُوا *asservate mihi*, vel, *conservate mihi*, Chaldaeus אִסְתַּמַּרוּ *circumspecti estote*. Ex his quidem pleraque plane conjecturalia, unum Chaldaei philologice verum existimari possit: *prosequi aliquem visu, quousque possis*, queat esse, summa in illo cura agere, ac valde solicitum esse. Est et, qui hanc interpretationem valde svadet, parallelismus versus 12, ubi dictum Davidis ita repetitur: שמרו בנער באבשלום *cauti estote in juvene Absalomo*: quod nisi esset, alteram explicationem אט plane praeferrem, verbum לאט hic rejicerem.

Et Job. XV, 11. דבר לאט עמך aliquos ad nostram radicem retulisse dixi. Sic quidem jam ex veteribus LXX. μεγάλως ὑπερβαλλόντως λελάληκας. Possit quidem ita verti, secunda significatione Arabica sumta: *verbum quod vehemens est apud te*. Sed displicet. Ipse adeo, si de לאט hic cogitarem, mallem, tertia significatione sumta, versum vertere: *exiguumne sunt tibi consolationes divinae, et verbum serio te admonens, tibique instans?* solatia nostra, ex doctrina religionis sumta? et seriae admonitiones? Verum et hic אט praeplacet.

1255. מלאך יהוה, nomen aliquando veri dei.

Saepe apud Mosen *angelus Jehovae* adparet, et ea loquitur, quae non nisi summus et verus loqui Deus potest, quod ex scholis theologorum sumo, aut ad dogmaticam meam Germanicam §. 42. remitto. Genes. XVI, 7. 9. 10. 13. 14. XXII, 15. 16. 17. Exod. III, 2-7. 11-17. coll. c. XX, 2. 3. Haec quidem orthodoxorum plerique ad trinitatis mysterium retulerunt, angelum increatum, λόγον aeternum, filium dei, intelligentes: aliis id suspectum visum, nec solum triadem divinam negantibus, sed et non paucis eam credentium. Quae aliqui hic phrasi molliendae de legato,

gato, domini sui nomine loquente dixerunt, ea lectis ipsis Mosis verbis prope videntur absurda. Quis Regis nostri legatus, ab aliquo interrogatus, quis sit? respondebit: *ego sum Georgius tertius magnae Britanniae rex! Hoc est nomen meum in aeternum.* Nec meliora quae alii habent, de Magnae Britanniae cancellario, orationes Regis, in prima persona conceptas, in supremo senatu praelegente: aliud est, praelegere, aliud loqui. Ipse quidem illa Dei verba, Exod. III, 6. *ego sum Deus patris tui, Abrahami, Isaaci et Jacobi,* itemque quae v. 15. sequuntur, *ita dices filiis Israelis, Jehova Deus patrum vestrorum, Abrahami, Isaaci et Jacobi, misit me ad vos, hoc est nomen meum in aeternum* &c. multoties praelegi auditoribus: at si interroganti me, quis sim? talia responderem, quis me non carceri furiosorum includendum putaret?

Unam video viam, qua exiri angelus increatus, ipse Deus possit, eamque prodo, philologi enim est, libere de verborum significatione disserere, nec theologiae sententias audire, nullarum partium esse. Possit ergo מלאך יהוה esse, *adparitio divina, deus in terra mortalibus adparens.* Idne probetur lectoribus, ipsorum arbitrio permitto: si quaerant, ullone usu linguarum orientalium confirmetur, aut verisimile fiat, integre respondendum est, nullo: conjectura est, mihi subnata, cum vel contra meas de divina natura Christi sententias opem ferre eam negantibus, si qua se offerret, vellem, nec enim vel verissimam sententiam, non expensis omnibus, quae pro contraria faciunt, promere fas putem; nullo ullarum partium studio agendum. Addo et loca Zachariae, in quibus *Jehova Sabaoth*, verus ac summus Deus, dicit, *a Jehova se missum esse*, c. II, 12–15. IV, 9–20. in quibus, si angelum increatum non agnoscas, dicere possis, duplicem esse Jehova Sabaoth, *caelestem*, verum, et *terrestrem* i. e. *imaginem ejus in terra adparentem et cum propheta loquentem*, hanc imaginem, hanc adparitionem, a Jehova mitti.

1256. מְלֶאכֶת הַשָּׁמַיִם Jerem. VII, 18. XLIV, 17. 18. 19. 25.

Sic pro מלכת השמים, *regina coeli*, de quo infra videbimus, c. VII, 18. teste de Rossio, ad quem ablego, habent *viginti* codices Kennicottiani, (quinque dubios omitto) et *viginti quatuor* de Rossiani.

c. XLIV, 17. *quindecim* Kennicottiani, et totidem de Rossiani.

18. *sedecim* Kenn. totidemque de Rossiani.

 19. se-

19. sedecim Kenn. octodecim de Ross.
25. sedecim Kenn. octodecim de Ross.

itemque primo loco, ac sparsim aliis biblia Soncinensia et Complutensia. Sat multi testes, ut quid significet lectio anquirere fas sit. Ipsa adeo puncta hanc lectionem sequuntur, מַלְכַּה enim, *reginae*, status constructus esse debuisset מַלְכַּת.

Negotium, *rem* coeli intellexit, deque *cultu* coeli *religioso* ubique interpretatus est Syrus, ܦܘܠܚܢ ܫܡܝܐ, quo de nomine vide lexicon Syriacum. Perquam tamen suspecta haec interpretatio, phrasis *negotium* coeli, pro, *cultus coeli*, insolentior, auribus displicens, nec ullius linguae Orientalis usu commendata.

Ergo equidem mallem, מַלְאָכָה efferre, in stat. constr. מַלְאֲכַת, ac pro feminino nominis מַלְאָךְ habere. Feminina haud raro et Hebraeis et aliis Orientalibus sunt collectiva: sic מַלְאכת השמים erunt, *angeli coeli*, Judaeique angelos coluerint et adorarint. Magna pars idololatriae veteris proprie est angelolatria.

Qui *exercitum coeli habent*, (τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ) bene huc referri possint. Chaldaeus, *stellas coeli*, habet, ex latiore et paraphrastica, ut solet, interpretatione, quod non cogo in meas partes concedere: stellas tamen si ex veterum opinione, maxime Aegyptiorum, animatas sumseris, possint ad angelos legatosque summi Dei referri.

1257. לֵב vel לֵבָב *cor.*

Apud Hebraeos, reliquosque Orientales, verba hujus radicis sunt a nomine derivativa, estque nomen, ut plura membrorum corporis, primitivum.

Cordi Hebraei et Arabes, *intellectum*, *prudentiam*, *ingenium*, attribuerunt, fere ut Latini, de quibus habe insignem Ciceronis locum, Quaest. Tusculan. l. I. c. 9. *aliis cor ipse animus videtur: ex quo, excordes, vecordes, concordesque dicuntur, et Nasica ille prudens, bis consul, Corculum, et*

Egregie cordatus homo catus Aeliu' Sextus.

Sic Hebraeis, maxime Salomoni, חסר לב *destitutus corde*, est, *stultus*, *vecors*, Proverb. VI, 32. VII, 7. IX, 4. 16. X, 13. XI, 12. XII, 11. XXIV, 30. et substantive חסר לב *defectus cordis*, *stultitia*, Prov. X, 21. Sic et קנה לב Prov. XIX, 8. est, *possidens*, vel *adquirens prudentiam*, idem, qui

qui in sequente membro, שֹׁמֵר תְּבוּנָה. Job. XII, 2. גַּם לִי לֵבָב, *etiam mihi cor est*, i. e. etiam mihi est sana ratio et ingenium. Huc et referendum, quod num. 394. habuimus, וַיִּגְנֹב לֵב לָבָן Genes. XXXI, 20. *inscio et nihil rei animadvertente Labano fecit*, proprie *mentem surripuit Labano*. Jam confer ex Golii lexico, لَبَّ *polluit intellectu*, لُبّ *ingenium, intellectus*, لَبِيب *cordatus, prudens, intelligens*. — Ergo Hebraicum לֵב, ejusque derivata legens, noli pro nostro more de *audacia, et fortitudine* accipere. Jerem. IV, 9. יֹאבַד לֵב הַמֶּלֶךְ non est, *der König wird das Hertz verliehren*, sed *rex inops consilii erit*, ut jam sub Symmachi nomine in Hexaplis Syriacis legitur, ܐܬܚܫܒܬܐ, *cogitatio, prudentia*. Diversa hic linguarum ratio: nostro, Germanorum, usui concinunt Syri. Vide lex. Syr.

1258. לְבִיבוֹת *placentae* genus 2 Sam. XIII, 6. 8.

In rei summa errari non potest, parantur enim לְבִיבוֹת ex farina, atque cocta in pateram effunduntur, sunt ergo placentae genus nondum plane durum. At in derivatione mira luserunt lexicographi, jam a *cordis figura* dictam placentam putantes, (quasi vero, si hanc certam figuram haberet, effundi in pateram posset) jam latinum, *liba*, conferentes: proximus a vero Simonis abfuit, sed, quod verbum semper putaret prius nomine ac primitivum esse, male tamen ad Arabicum لَبَّ *coxit*, retulit. Rem sic habe: لُبّ plur. لُبُوب et لُبَاب, *cor* est, et *medulla rei, exquisitissima pars*, quod nomen vel ex celebratissimo Arabibus libro geographico, *Lobab, medulla*, notum esse debuisset. Jam et dicunt, لباب *medulla panis*, unde et possunt denominativum facere, plane ut hoc ipso in versu Hebraei, לִבֵּב *medullam panis parare*.

Adcuratius panificii, forte nostro *Pudding* quodammodo similis, genus artemque definire nequeo. Vulgata *sorbitiunculam* vertit, nempe quod, ut dixi, in pateram effunditur, LXX κολλυρίδας, Syrus vocabulum suae linguae beneficio retinere potuit, ܚܠܒܘܬܐ, pro quo Arabs aliquod, Persicum credo, vocabulum خسكنانج substituit, quod lucem forte aliquam adfundere utrique vocabulo, et Syriaco et Hebraico, possit: sed quid significet, non ego solum, Persicae linguae rudis, igno-

ro, ſed et faſſus eſt in lexico Arabico ignorantiam Caſtellus, Golius omnino omiſit.

1259. לַבַּה Exod. III, 2.

Non niſi hoc uno loco occurrit, לַבַּת אֵשׁ, nulla in codicibus Judaicis lectionis varietate, quod volunt contractum eſſe ex לַהֶבֶת, hocque להבת, nulla iterum lectionis varietate, textus habet Samaritanus. Eſt tamen paulo inſolentior contractio, ac vix ſimili exemplo firmata. Suſpicari ergo incipio, לַבַּה *medium* eſſe, quo ſenſu alias, ut vel ex lexicis notum Hebraicum לֵב, multoque etiam frequentius Syriacum ܠܒܐ ponitur, *adparuit angelus ex medio igne.* Sed et aliud ſuccurrit, prope veriſimilius, cognatum eſſe cum quadrilitero Samaritano, לבלב, *reſplenduit, adparuit ex fulgore ignis.* Certi nihil habeo. Samaritana ſcriptio, ut ſaepe alias, ſemidocti grammatici correctio eſſe videtur.

1260. Verbum לבב.

Jam ſupra monui, non niſi ut denominativum occurrere, dixi etiam de לִבֵּב *placentas*, neſcio quas, *coquere* 2 Sam. XIII, 8. Hic de duobus adhuc locis dicendum.

Job. XI, 12. וְאִישׁ נָבוּב יִלָּבֵב quomodo alii intellexerint, ſive lexicographi, ſive interpretes, non expono, parcens et chartae, et lectorum patientiae, quos, ſi cupiant plura noſſe, ad Schultenſii commentarium ablego. Mihi quidem נלבב eſt, *cor accipere,* corde iterum pro *ſana ratione et prudentia* poſito, vertoque: *ſic vir cavus cor nanciſcitur, et onager renaſcitur homo.* Cavus hic eſt, *cavus corde, cor non habens,* quem nos, hominem ſine cerebro, diceremus. Germanice, noſtrae linguae figuram ſubſtituens, verti: *denn bekommt der Hirnloſe Gehirn, und der Waldeſel wird zum Menſchen umgebohren.*

Cant. IV, 9. לִבַּב varie interpretantur, nec vel hic lubet, ſententias variorum colligere: ſaepe cum alias verba denominativa a membris ducta laeſionem Hebraeis ſignificent, et hoc intellexerim, *cor vulneraſti mihi.*

1261. לְבוֹב *cordatus, prudens, sapiens.*

Non occurrit in codicibus impressis, habet tamen Kennicotti 76, insignior, Jobi XI, 13. idque et Chaldaeus legisse videtur, reddens, חָרִיף *acutus*, atque in altera versione (duae enim sunt hujus versus) מְפַלְפֵּל *acute disputans.* Vera lectio si esset, explicarem: *vir cordatus fit cordatior*, i. e. sapiens plus etiam sapit: sed consveta lectio, cujus vixdum sensum exposui, non auctoritate solum et multitudine testium vincit, sed et mihi sane praeplacet.

1262. לַבֵּד Dan. XI, 4. *firmavit.*

Rationem reddendam video versionis Germanicae, in qua, ולאחרים מִלְּבַד אֵלֶּה reddidi, *und Gott bevestiget andere*, *et Deus firmat alios.* Impeditior videbatur, nec historiae, quae per haec omnia Danielis capita ita pellucet, ut vel post res factas conficta Porphyrius diceret, consveta, quae puncta sequitur, consentit explicatio, aut certe ultimum מִלְּבַד אֵלֶּה, *praeter hos*, valde superfluum. Regnum Alexandri si primo ad successores, non de Alexandri sanguine, Ptolemaeum et Seleucum, &c. venisset, deinde ad alios, hos quoque extraneos, Ptolemaeis et Seleucidis ereptum, intelligerem, quid sibi velit, *aliis praeter hos.* Sed non consentit historia. Audebam ergo puncta mutare, ולאחרים מְלַבֵּד אֱלָהּ (*eradicabitur ejus regnum*) et *aliis dabit Deus.* Contuli لبد *firmiter adhaesit*, peculiariter, terrae, *radicatus fuit* ut vertere possis, *aliisque radicabit*, i. e. *firmabit regnum Deus.* Verti, utcunque potui, historiae consentanee: rectene? id ipse non expedio, dubitabundus adhuc, atque ab aliis doceri cupiens.

1263. לבט Hos. IV, 14. Prov. X, 8. 10.

Verbum non nisi ter obvium, quam varie reddiderint lexicographi, si in Schultensii commentario ad Prov. X, 8. legeris, solis eos rem egisse conjecturis censens prope indignaberis. Sic ille: *quot capita tot sensus. Conturbari, vel conturbare se a Buxtorfio est: impingere, offendi, a Forstero: a Jarchio, fatigari, fatisci: ab Avenario, vapulare, virgis caedi: a Coccejo, implicari, sufflaminari: a Gussetio suis se verbis confundere: a Davide Kimchio, corruere. vel perverti*, (potius, perversum et pravum esse in sermonibus). Magis etiam indignaberis, in magni viri Reuchlini lexico legens, *verberavit, cecidit, confudit, et circumplexus est, sive retorsit;*

sit; contraria enim ipse sibi scripsisse videbitur. At ignosces, antiquos interpretes legens, ex quibus pleraque hausta, ac congesta, atque hi a Schultensio quidem nominandi potius et indicandi fuissent: atque etiam horum dissidia minus miraberis, Castelli lexico heptaglotto inspecto, exque eo discens, has literas לבט aliud Arabibus significare, aliud Syris ac Samaritanis. Utrosque, veteres interpretes, et linguas Orientales conjungemus, harum mentionem facientes, ubi illis opem ferunt: sub finem et nostram dicemus sententiam, ex Syrorum usu, quam neminem praeivisse, ne veterum quidem, miramur. Proverb. X, 10, Graeci et Arabs omittentur, alia enim omnia legerunt. Ergo

1) Proverb. X, 8. Aquila, δαρήσεται, idque sequutus Hieronymus in Vulgata, *stultus caeditur labiis*, v. 10. *verberabitur*, Hos. 4. *populus non intelligens vapulabit.* Hoc in lexicon receperat Reuchlinus. Fortiore etiam verbo usus Symmachus Prov. X, 8. βασανισθήσεται. Hoc quidem usu reliquarum linguarum Orientis destituitur, licet non negem, quibusdam Arabici verbi notionibus cognatum videri posse.

2) Theod. Prov. X. φυρήσεται, *miscebitur*, quod quid sit, aliis inquirendum relinquo: Montfauconius reddidit, *foedabitur*, sed possit et alia significare. Vide n. 3.

3) *Implicare* habent LXX, sed sensu venereo, Hos. IV. συνεπλέκετο μετὰ πόρνης, Syrusque ܓܦܦ ܙܢܝܬܐ *amplexus est scortum.* Suspicor, eos ילבך legisse, quod tale quid significare possit; ipsumque adeo verbum Arabs, Graeca vertens, reddidit يتلبّك مع الزانيّة. Suspicari possis, Theodotionis etiam φυρήσεται ad hanc lectionem referendum, لبك enim inter alia est, *miscere.* Caeterum lectionis varietatem codices Kennicotto consulti non habent.

4) Haec quidem *implicandi* notio, alius forte verbi, sed alio sensu, in lexica commentariosque recepta, ut ילבט sit, *perplexus sit*, *implicatur difficili negotio.* Et hanc invenio, non sub لبط, sed eo quod vix dum dixi, لبك, in quinta conjugatione, *confusum et intricatum fuit negotium.*

5) Jam ea prodeat, quae veterum plura habet suffragia, linguisque orientalibus sine dubio est usitata, *labendi*, *lapsandi.*

Arabibus, ut vel linguae minus perito, sed Golii lexicon inspicienti, parebit, لبط est, *humi prosternere*, vel, *prosterni*, *concidere*, *lapsare*: sed

ſed haec copioſius a Schultenſio ad Proverb. X, 8. dicta, exque lexicis Arabum domeſticis illuſtrata. Aliquid hujus ſignificationis Joſephus Kimchi, Arabicae linguae peritus, ad Hebraicum לבט transtulerat, idque monuerat, licet dubitans, nec patri audacter conſentiens filius, Arabicae linguae imperitus, David Kimchi, in libro radicum, cujus et verba quodammodo explicat, eorumque rationem reddit Schultenſius, ad quem remitto. Unum addo ex Caſtelli heptaglotto, et Samaritanis poni pro, ענה, *humiliavit*, et Aethiopibus eſſe, *impegit*, *reſpitavit*.

Hanc ergo interpretationem jam ex veteribus praeiverunt, quorum pleroſque Joſephus Kimchius non inſpexerat, Schultenſius nullum citat, Chaldaeus in Hoſea, אתרמש *humi proſternitur*, LXX. Prov. X, 8. ὑποσκελισθήσεται, quod Arabs, paulo liberius, vertit, *lapſabit ob curvitates*, Syruſque et Chaldaeus, qui in Proverbiis ex LXX pleraque ſumere ſolent, ܡܬܚܕ, מתאחד *capitur*, nempe decipula, quae eum humi proſternit.

Perquam apta filo orationis interpretatio, niſi quod Proverb. X, 10. aliquid deſiderare poſſis, eamque multos per annos ſequutus ſum. At

6) meliorem etiam atque aptiorem, ſuppeditare mihi viſa eſt lingua Syriaca, cui ܠܒܛ cum derivatis eſt, *concitare*, *incitare*, *inſtigare*. Vide lex. Syr. Ex hac Hoſ. IV, 14. ועם לא יבין יִלָּבֵט erit, *populus imprudens incitatur* vel impellitur, ad ſimiles ſcortationes exercendas, quarum exemplum honoratiores, ſacerdotes adeo, praeiverunt. Proverb. X, 10. יִלָּבֵט in Piel efferens, verterim: *nutibus oculorum indicans*, *efficit dolorem*, vel, *iram*, *et ſtultus labiis* (calumniator) *inſtigat*. Vide verſionem germanicam.

1264. לבן, הלבין, התלבן, *albus fuit*, *canduit*, *candefecit igne*, *coxit lateres*, *in ſcorias igne redegit*.

Verbum לבן Hebraeis rarius, nomina inde derivata, ut לָבָן *albus*, &c. frequentiſſima. *Albedinis* notionem his literis ſubjectam eſſe certum, nec in Hebraica ſolum, ſed et in reliquis linguis Orientalibus. Late quidem illa patet, omnem albedinem complexa: ſic nomen, de ovibus albis frequenter apud Hebraeos ponitur, et Levit. XIII. aliquoties de macula leprae, quae non perfecte alba, ſed ſordida eſſe ſolet, ſed et lacti inde Arabes, Hebraei ſplendenti adeo et candidae lunae nomen (לְבָנָה) du-

 xerunt,

xerunt, itemque Libano nivibus candido. A lacte alia quoque cum nomina, tum verba duxerunt Arabes, ut ex Golio disces, quibus nos forte infra utemur.

Est tamen et specialis notanda notio, lexicographis plerumque neglecta, ejus albedinis, quae in candente ferro est, *candendi* neutraliter, et active, *candefaciendi igne, liquandi*: Thalmudicis inprimis usitata, e. g. ברזל שהלבינו באש *ferrum quod candefaciunt igne.* Vide Buxtorfii lex. Chald. Thalm. p. 1119. qui tamen non apto usus latino vocabulo, *albisicare* pro *candefacere* dixit. Hinc לְבֵנִים *lateres*, quod igne coquantur, לבנה vel לבנת vitrum, de quibus infra, ܢܚܫܐ ܚܠܒܢܢܐ *aes candens* pro Graeco χαλκολίβανον Apoc. I, 15. A לְבֵנִים etiam fit denominativum, לָבֵן (active et transitive) *lateres coxit*, lexicis satis notum, Genes. XI, 3. &c. quod et Arabes in secunda conjugatione, لَبَّنَ habent: quamquam et esse possit, non a nomine ductum, sed *candefacere*, quod candefaciendo et urendo limo fiunt lateres.

His jam praemissis quibus infra opus habebimus ad derivata explicanda, ipsius verbi insignem enotemus usum, ac proprium significatum, non lexicographorum solum, sed et interpretum nemini, animadversum: mirum id videri posset, sed nemo rei metallicae mediocriter peritus ad interpretanda biblia accessit. Dan. XI, 35. ubi sine dubio a metallorum purgatione desumta phrasis, tria verba לִצְרוֹף בָּהֶם וּלְבָרֵר וְלַלְבֵּן componuntur, quae quomodo differunt? quid ista copia? Mihi quidem sic videtur: 1) צרף est generale, fusionem igne factam denotans, 2) בָּרַר *purificare*, ad purum metallum pertinet, quod igne a scoriis discernitur, medio in tigillo emicans, 3) הלבן ad scorias retulerim, proprie, *in vitrum redigere*, (verglasen) i. e. in scorias redigere, quae enim ex minera, sive deteriore metallo, vitrescunt, scoriae dicuntur: scoria vitrum non pellucidum. Sententia: multi igne explorabuntur, atque aut probum argentum, aut scoriae fiunt. Iterum idem triplici verbo usus Daniel, c. XII, 10. יִתְבָּרְרוּ וְיִתְלַבְּנוּ וְיִצָּרְפוּ רַבִּים — — Male quidem hic lexicographi הלבין et התלבן *dealbare* verterunt.

1265. לְבֹנָה *thus.*

Volunt, ab albedine dictum, quod optimum thus eo colore sit. Non inficior, licet ipse thus album non viderim, ne illud quidem, quod ex ipsa

ipſa Africa adlatum dono mihi a Jordano, pharmocopola Goettingenſi datum eſt, ſed ſemper jam ad flavedinem vergens: vix tamen putem a colore raro optimi et recentiſſimi thuris toti generi nomen ductum. Plerarumque arborum reſina initio alba, ſed brevi colorem mutat, quod et thuri accidere reor. Suſpicor potius, a *candendo*, vel *accendendo*, dictum, quod prunis, ut liqueſcat odoremque diffundat, imponitur.

1266. לְבֵנָה plur. לְבֵנִים *lateres*.

Lateres a candefaciendo nomen acceperunt, quod igne coquebantur, ſeu proprie, candefaciendo parabantur. Non ignoro, et aliam eſſe eorum faciendorum rationem, atque et ſole torreri, maxime in Aegypto, qua de re agam in praelectionibus meis ad antiquitates Hebraicas, brevi edendis: ſed lateribus uſtis, proprie ſic dictis, primo inditum nomen, deinde latius fluxit. Non iidem fines uſus vocum, qui etymi.

1267. מַלְבֵּן *fornax lateraria*, et Jerem. XLIII, 9. *calcaria*.

Plerumque eſt *fornax in qua lateres coquuntur*, ſed illa ſignificatio non apta loco Jeremiae c. XLIII, 9. cum, quod in Aegypto lateres igne non coquebantur, tum, quod antea de מלט, *calce*, ſermo. Ergo hic potius *fornax calcaria*, in qua lapides calcarii, (marmor rude) torrentur, inque calcem comburuntur, *Kalkbrennerey*.

1268. לְבֵנָה Exod. XXIV, 10. לְבֵנַת Joſ. XIX, 26. *vitrum?*

Vitro Judaei nomen זכוכית לבנה faciunt, Rabbinis perquam conſvetum, nec putem ab albedine ductum, varius enim vitri color, ſed a candefaciendo, et urendo, candefacta enim et igne liqueſcens arena vitri rivos, ut phraſi utar Plinii, fundit.

Eodem ſignificatu in Hebraico jam codice, ipſoque adeo Moſe, reperiri exiſtimem Exod. XXIV, 10. ubi ſolio pedibusque dei ſubjectum מעשה לבנת ספיר. Interpretari ſolent, *opus lateris ſapphiri*, praeeuntibus LXX πλίνθου, quod Vulgata, molliens, in *lapidem* mutavit: verum quis unquam ſapphirum *laterem* dixerit? aut laterem, ex limo toſtum, pro lapide, atque adeo pro gemma pellucida, coeli colorem imitante, (כעצם השמים לטהר) quis poſuerit? Mirum talia non ſolum aliquando dici, ſed tralatitia ac pro certis habita philologis ad hoc usque ſeculum

culum propalari potuisse. Lege germanice: *ein Kunstwerk wie der Ziegelstein Sapphir, und wie der reine Himmel:* et condolebis ineptiis.

Jam vertere aude, *vitrum sapphiri*, eoque nomine, duplex cum sapphirus sit, *regia* sic dicta veterum, nobis lapis lazuli, non pellucida, et *gemma pellucida* (*), *coeli colore*, hanc gemmam pellucidam intellige. Proximi meae sententiae, aut iidem duo Arabes; Saadias, بياض المها *albus candore*, i. e. *pellucidus*, *vitreus*, et Erpenianus, بيوضة البرول *pelluciditate berylli.* Vitrum et gemmas pellucidas saepe eodem nomine vocari Orientalibus meminerimus, unde et lis, sitne זכוכית vitrum? gemma? an adamas? utrum antiqui statuerint interpretes?

Jos. XIX, 26. שיחור לבנת memoratur, i. e. ut infra sub שיחור dicetur, *Belus fluvius* ex cujus arena vitrum jam ante Mosis tempus factitatum, ita quidem, ut diu sola Beli arena vitri materia putaretur. Nomen שיחר (*Luteus*) illi cum Nilo commune videbimus. Quis hic sibi temperare possit, quin et לבנת de *vitro* intelligat, ut nomen sit fluvii: *Sichor* (Luteus) *vitri?* Mallem quidem לבנה scriptum esse; sed varietatem lectionis non reperio: orthographiae per ת rationem reddere nequeo, nisi forte לִבְנַת adpellandum. Syrus quidem ܠܒܢܢ, Arabs لُبْنَان (*Libani*) scribit, uterque vitiose, alter ex altero corrigendus, ܠܒܢܬ, لبنات, qui foret pluralis.

1269. לִבְנֶה Genes. XXX, 37. Hos. IV, 13. *styrax?* an, *populus alba?*

Divisae, non recentiorum sed et veterum sententiae, *styracem* inter et *populum albam*, utraque arbore historiae aut fraudi Jacobi, quae Genes. 30. narratur, egregie apta, atque etiam etymo. Neutrarum sunt Chaldaei et Samaritanus partium, nomen לבן servantes, quod quid illorum in lingua significet, nondum constat.

Pro *styrace* in Genesi sunt, LXX. ῥάβδον στυρακίνην, et uterque Arabs, Saadias لبني, Maurus alia modo nominis scriptione, لبنة vertentes. Haec interpretatio non testium quidem numero, sed linguae Ara-

(*) Tertia ab adamante. Sic enim se gemmae subsequuntur, 1) *adamas* 2) *rubinus* 3) *sapphirus*.

Arabicae consensu vincere videtur, cui لُبْنَى *styrax*, nec etymo destituimur, dicta quippe arbor a *lacte*, describunt enim Arabes ut, *lac emittentem mellis instar, quo et suffitus fiat.* Nobis jam hoc arboris gummi storax dicitur, cujus bonus odor, frequensque in suffimentis usus, licet raro habeamus genuinum, sed arte factum emere soleamus. Ego genuinum ejus, quem jam aliquoties nominavi, pharmacopolae, Jordani, dono obtinui. (vide p. 756). Delineationem arboris si cupis, invenies in *Bieleri phytantoza iconographia* T. II. num. 953. ad pag. 382. styracis adeo Palaestinensis, in *Regnaut botanique, Supplement* V. tab. 485. inque *Matthioli Kräuterbuch* p. 21. cap. 19.

Contra, *populum (albam)* habent, in Genesi, Vulgata, (virgas populeas) in Hosea, LXX, λεύκης, quod Arabs vertit, حورة, forte et Theodotion (hujus lectio enim inter λεύκη et πεύκη ambigua) Syrus ܡܢܕܢ.

Styraci Celsius P. I. Hierobot. p. 293 non pauca obvertit, ex veteribus, mirum in tanto viro! non recte intellectis, ut, *fugare odore serpentes*, quod ab historia Genes. XXX, 37. abhorreat. Integrum adscribam, quem citat Plinii locum, hist. nat. l. XII. §. 40. adnotationes adspergens: *ex Syria revehunt styracem, acri odore ejus in focis abigentes suorum* (sc. lignorum, domesticorum Syriae lignorum) *fastidium. Caetera non alia ligni genera sunt in usu, quam odorata, cibosque Sabaei coquunt thuris ligno, alii myrrhae, oppidorum vicorumque non alio, quam ex aris, fumo atque nidore. Ad hunc ergo sanandum, urunt styracem in pellibus hircinis, suffiuntque tecta. Adeo nulla est voluptas, quae non assiduitate fastidium pariat. Eundem et ad serpentes fugandos urunt, in odoriferis silvis frequentissimos.* — — Haec maximam partem fabulosa. Idem §. 55. *proxima Judaeae Syria supra Phoenicen, styracem gignit circa Gabala et Marathunta, et Casium Seleuciae montem. Arbor est eadem nomine, cotoneo malo similis, lacrymae ex austero jucundioris, intus similitudo arundinis succo praegnans,* &c. l. X. §. 90. *cornus cervini odore serpentes fugantur, sed maxime styracis.*

Jam adnotare liceat, 1) non eundem, qui serpentes fugat, odorem, ovibus gravem esse: 2) nec odorem ligni virentis, quod canalibus imponebat Jacobus, sed ligni combusti, i. e. fumi, serpentes fugare dici 3) ita fabulis intertextam narrationem, ut mirum sit, ex ea contra Arabicae

linguae consensum probare aliquid Celsium voluisse, 4) bonum sane, ut quisque naribus experiri potest, odorem esse styracis, (gummi) nec id negare Plinium, sed modo dulci, qui fastidium creat opponere, 5) ipso Plinio teste arborem esse Syriae indigenam.

Ergo me arbitro styracem, Arabum لبني praetulerint lectores, quod et in versione germanica feci.

1270. לבנון *Libanus*.

Ingens montium jugum, et altissimum, cui comparati nostri borealis Germaniae montes, ille etiam Bructerus, quem praealtum plerique ignorantia exterorum putant, perquam mediocres. Est autem duplex jugum montium, Libanus et Antilibanus, quod inter amoenissima vallis, Baalbecam (num. 364.) delicias olim sedemque aestivam Salomonis, habens, serpit, et ipsa, et uterque mons, irregulari forma, unde difficile, bonam ejus delineationem dare. Hanc quidem hucusque nemo dedit, aut dare potuit, partim propter inaccessa locorum primariorum, ut summorum Antilibani jugorum quae metu Arabum sunt intuta, partim, quod vix licitum foret, his in regionibus mensurare, artibusque mathematicis uti: sed et hoc addendum, neminem hucusque mathematum peritum Libanum, vel illum qui adiri potest, adiisse. Quem aliis in rebus maximi facio, C. F. Volney, in reliquis valde placet; mathematum tamen peritiam vel ego, non mathematicus, in illo desidero.

1) *Libanus*, proprie sic a veteribus, ut, Strabone dictus, occidentalis est, litorique Phoenices angusto, ex quo adsurgit, imminet. Est magnae quidem altitudinis, proculque e mari conspicitur, Orientali tamen Antilibano humilior. Hic quidem Antilibanus ex itinerum commentariis nobis notior, multi enim, nec unum, sed multa ejus loca ac juga adierunt. In hoc Libano occidentali cedri nascuntur, possis ergo et discriminis caussa *cedriferum* dicere.

2) *Antilibanus*, *orientalis*, nullas cedros, sed alia arborum genera, maxime ברוש alens. Hujus quidem summum jugum australe, sub quo Jordanes oritur, aeternis nivibus tectum, ingens argumentum insignis altitudinis, clima Palaestinae, gradumque latitudinis 33–34. si cogites. Testes rei veteres: Tacitus, hist. l. V, c. 6. *praecipuum montium Libanum erigit, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus: idem amnem Jordanem fundit alitque:* et Hieronymus, qui ipse plures in Palaestina annos egit,

egit, in commentario ad Jerem. XVIII, 14. Conſentit et nomen, Chald. טור תלגא, Arabumque جبال الثلج *mons nivis*, quod teſte Abulfeda, p. 163. 164. non ſolum huic ſummo cacumini, ſed et montis jugo, usque ad latitudinem Damaſci proprium, cui urbi ubi borealior fieri incipit, alio nomine Senir (سنير) vocatur. Recentiorum neminem teſtem citare poſſum: loca enim, ſummo jugo vicina, metu latrociniorum, et quod nulla illuc tendunt itineratorum agmina, (*caravanae*) a noſtris Palaeſtinae exploratoribus eruditis non adeuntur: ſolam eam Antilibani partem, quae borealior eſt Damaſco, hinc Tripolim proficiſcentes aut alias Phoenices urbes, ſuperare ſolent; et tamen vel in his humilioribus jugis, die VI et VII Maji, ſtili veteris, id eſt ex noſtro computo, die, 17 et 18 Maji ſex horas per altas nives Maundrellus iter fecit. Qui contradicere auſus eſt, Stephanus Schultzius, ad Judaeos miſſionarius, vir valde ignarus, nunquam hoc Antilibani jugum adiit, ſed cedrorum ſilvam in Libano occidentali.

Utriusque Libani magna pars olim ad ditionem Iſraelitarum pertinuit, Orientalis aut totus, aut prope totus.

Nomen unde habeat, diſſident. Volunt plerique ab albedine, alii a thure, quod et in illo gignatur. Equidem thus illi neutiquam abjudicaverim, vix tamen putem, ab hoc dono naturae nomen accepiſſe, quo aliae terrae magis inclaruerunt, quodque a Sabaeis emebant Iſraelitae (Jerem. VI, 20.) Ergo potius ab albedine. Et hic diſſident. Volunt plerique nomen a nivibus, quibus candet ductum, idque veriſimillimum, cum et ſummum ejus jugum *Mons Nivis*, vocetur. Sed et hic ſatis aliqui veriſimiliter intercedunt. Lapidibus calcariis albicantibus maxima pars Libani conſtat, qui vel ubi nulla nix, e longinquo nivis albedinem ac mendacium referunt, quod Stephanus Schultze de cedrifero Libano, ipſe αὐτόπτης, refert. Nec hanc viſus fallaciam excluſerim: difficile, ubi plura concurrunt, etymologiae ſuppetias ferentia, fallaciae quoque ſenſuum, ſententiam ſevere dicere.

Nomina montis Orientalis, Antilibani, a Moſe commemorata, חרמון, שׂניר, שׂריון, vide quodque ſuo loco. Alio Druſi Libanum nomine vocant, ſed Occidentalem, ac vero ad boream ſpectantem, *Sennin*, i. e. سنين, *mons acutus*. Sic illum, diu inter Druſos vivens Volney vocare ſolet. (Vide bibl. nov. Or. T, IV. p. 156.)

Egre-

Egregiam Libani descriptionem ex itinerariis dedit *Samuel Oedmann* in *vermischten Sammlungen aus der Naturkunde, zweites Heft*, Num. 9. quam non sine voluptate et fructu leges. Plura hic addere nequeo, ne ex lexicorum fiam geographorum suppletor. Dixi modo scitu inprimis necessaria, maxime cum videam, et itineratores, et alios, nomina Libani et Antilibani plane transposuisse; quod itineraria legenti, ab indoctis, sed tamen rerum quas viderant bonis testibus, conscripta, scitu necessarium.

1271. לבש *induere.*

Verbum notissimum, omnibusque linguis Orientalibus commune, cujus tamen hos enoto usus specialiores.

1) Monuerunt interpretes, licet lexicographi omittere soleant, 1 Reg. XXII, 10. מלבשים בגדים non simpliciter esse, *vestibus indutos*, sed, *vestibus regiis indutos*, emphatice sumto verbo. Hic vero usus verbi multo patet latius, ut de vestibus muneris indicibus, aut splendidioribus ponatur. Ps. XCIII, 1. postquam praecesserat, יהוה מלך גאות לבש *Jehova rex factus est, superbiam induit*, sequitur simpliciter, לָבֵשׁ יהוה, hac quidem serie orationis, *regiis vestibus ornatus regnum capessit*, nos a corona potius verbo ducto diceremus, *diademate cinctus est*. Sic et de sacerdotibus Ezr. III, 10. *et stare faciebant sacerdotes* מְלֻבָּשִׁים *indutos*, i. e. *in vestitu sacerdotali:* nudos enim eos non stetisse, quid opus dictu? Possis et huc quodammodo referre Jes. LII, 1. לבשי עזך ציון לִבְשִׁי בגדי תפארתך ירושלם, *indue gloriam tuam*, *Sion*, *indue vestes festivas tuas*, *Hierosolyma*, nisi quod hic nomen vestium, quas induet Hierosolyma, additur, non subintelligitur.

2) Et haec phrasis recte explicari a commentatoribus solet, Judic. VI, 34. רוח יהוה לבשה את גִּדְעוֹן *spiritus Jehovae* (impetus divinior) *induit Gideonem*, ubi spiritus Dei, tanquam animus, induit ut corpus animatque Gideonem. Adscripserunt et phrasin similem, Luc. XXIV, 49. ubi eodem verbo uti necesse habuit interpres Syrus, ܥܕܡܐ ܕܬܠܒܫܘܢ ܚܝܠܐ ܡܢ ܪܘܡܐ: hic tamen non spiritus sanctus apostolos, sed apostoli spiritum sanctum induturi dicuntur. Sic et Arabs Sophon. III, 4. *πνευματοφόρους*, vertit, لَابِسُوا رُوحًا *indutos spiritu*, et Muham-

med

med Sur. VI, 65. *poteſt* يَلْبِسَكُمْ شِيَعًا *induere vos diſſenſione.*

Tertiam ſignificationem vide ſub nomine ſequenti.

1272. לבוש Malach. II, 16. *uxor.*

Loco, quem citavi, לבוש de uxore ponitur, *ſi quis injuriam faciat,* על לבושו. Ab induendo, carnali ſignificatu, ita dicta videtur. Sic et Arabes: vide Golium, ſed adſcribo inſignem Corani locum, ubi conjuges alter alterius veſtis dicuntur, Sur. II, 183. *permiſſus eſt vobis nocte jejunii acceſſus ad uxores veſtras,* هُنَّ لِبَاسٌ لَكُمْ وَأَنْتُمْ لِبَاسٌ لَهُنَّ *illae ſunt veſtis vobis, et vos eſtis veſtis illis.* Manavit adeo ex Oriente in linguam eccleſiaſticam, cui matrimonium, τὸ θνητὸν καὶ δουλικὸν ἱμάτιον. Vide exempla a *Venema* collecta *in epiſtola ad Weſſelingium de duabus epiſtolis Clementis a Wetſtenio editis*, pag. 36. et transfer, ſi ita videbitur, ad locum difficilem Judae 23, quamquam et hujus alia ex uſu Sabiorum dari interpretatio, melior forte, poſſit.

1273. לבג *immergere, rixari, perſeverare, obſtinatum eſſe.* Prov. XIX, 29?

לבג, Hebraicis lexicis ignotum, ſed frequens Arabibus plures ſignificationes habet, hoc forte ordine digerendas.

1) *intrare, immergere, immergi.* Pro *intrare*, unum adferri locum video, Joh. III, 5. أَنْ يَلَجَّ بطن أمه, *ut intret ventrem matris ſuae:* ſed hic puncta ab editore addita valde mihi ſuſpecta, videoque et patri meo fuiſſe; ſcribendum arbitrer يَلِجَ a r. ولج ſic ille locus nihil ad noſtram radicem. *Mergendi* notio certior videtur, unde et لُجٌّ *abyſſus*, et conjugatio ſecunda لجّج, denominativa, *altum mare ingredi*, navigare. Hanc immergendi ſignificationem ob ſequens nomen לג commemoro.

2) *litigare, rixari,* forte ex etymo, immergere ſe litibus, alto gurgiti comparatis, cujus ſignificationis tot dedit exempla indubia Caſtellus, ut ad ejus heptaglotton remittere liceat.

Jam supra pag. 548. 549. monui, ex hac significatione, aliter divisis vocibus, vocalibusque mutatis explicari posse Proverb. XIX, 29. וּמַה לַמָּוֶת לַגּוּ כְּסִילִים, *et quid ad mortem usque litigant stulti.*

3) *Importunius instare, instanter petere*, et hoc forte ab immergendo. Luc. XI, 8. من اجل اللجاجة pro Graeco διὰ τὴν ἀναίδειαν αὐτοῦ, unde et Arabes proverbium, in verborum concentu ludens, faciunt, من لجّ ولج *qui importunus est, intrat*, Genes. XIX, 3. Arabs Erp. ولجّ بهم جدّا *institit illis valde*, (quod enim ibi legitur ولج, vitium impressionis est, ab ipso Erpenio in eo exemplo, quod in cimeliis habet bibliotheca nostra academica correctum,) Dan. III, 22. ان كلمة الملك تلجّ *quod verbum regis urgens esset.*

Possit et haec notio Prov. 19. locum habere: *et quid mortem importune poscunt stulti?*

Reliquas verbi Arabici significationes, ut, *perseverare in errore*, Sur. XXIII, 77. omitto, nihil ad Hebraica facientes.

1274. לֹג, mensura aliqua liquidorum.

Sic quidem לֹג, sine Vau, in Pentateucho cum Judaeorum tum Samaritanorum, Levit. XIV, 10. 12. 15. 21. 24. scribitur, non, ut in plerisque lexicis, לוֹג, quam scriptionem sumentia, ad aliam radicem mediae rad. Vau referre solent. Vetus error, jam a Kimchio in libro radicum commissus, repetitus a Reuchlino, quibus facile ignoscendum: sed quod vel Buxtorfius in Concordantiis, omnia in quibus occurrit loca enotans, sub לוג posuit, miraculo est; reliqui lexicographi quod idem fecerunt, indicio, eos descripsisse potius, quam inspexisse codicem Hebraicum ipsum. Nec haec eorum adferri excusatio potest, paucos Kennicotti codices cum Vau לוג habere; ante hos enim consultos lexica sua condiderant.

לֹג sine Vau, a radice לגג, verior scriptio. Proprie est, *patera*, ab immergendo dicta, ut Syriacum, sed feminini generis, ܠܓܼܬܐ, quod vide in lexico Syriaco. A patera, certa quaedam liquidorum mensura dicta, de cujus quantitate mihi non constat: quod enim ex Kimchii libro

radi-

radicum sumunt, *sex ova capere*, incertum. Mosaicarum mensurarum quantitatem, nuspiam ab ipso definitam, unde Kimchius, sive adeo ut plus dicam, unde Judaeus post excidium Hierosolymae vivens scire poterat?

1275. להבים Genes. X, 13.

Aegyptiorum colonia, forte Libyam Aegyptiam, id est occidentalia Nilo (vide Strabonem p. 806) aut incolens, aut pascens per eam greges: sed certi nihil habeo. Vide dubitata, aliorumque sententias expositas, in Spicilegio geogr. Hebr. exterae T. I. p. 262-267. Ne definire quidem ausim, sintne iidem qui לובים, an ab illis diversi; nec ad origines Hebraicas revocare ausim nomina propria Africana, quamquam dici possit, להבים a flamma, (להב) quod eorum regio *torrida semper ab igne*, לובים ab arida, et sitiente regione, collato Arabico لاب *sitire*, nomen accepisse. Sed suspectae hae exterorum nominum etymologiae Hebraicae.

1276. לַהַג Cohel. XII, 12.

Ita diffidentia habent lexicographi, ut ex conjectura arripuisse videantur: male aliqui et הגה conferunt, ut inde *legere*, aut *meditari* efficiant, quae adliteratio grammaticae Hebraicae omnino repugnat. His ergo suas res sibi habere jussis, veteres de vocabulo ἅπαξ λεγομένῳ consulamus.

1) Μελέτη πολλὴ, quod non, meditationem, sed *studium multum* libris innumeris impendendum verterim, habent LXX, illisque consentiens Arabs, في دراسة الكثيرة, bona sententia. Egregie quidem *studium*, dici potuerit, quod et monuit, unus hic laudandus Simonis, a لَهِجَ *avidus, deditus, addictus fuit rei.* Proximus his Chaldaeus, אסתכלא habens, sed, de studio librorum scribendorum.

2) Non aeque bene, Graecos sequens, sed minus recte exprimens Vulgata, *meditatio* frequens.

3) Syrus, ܡܡܠܠܐ *verbum, sermo multus*, quod mere videtur conconjecturale esse.

Ergo Graecos hic sequor: ratio tamen reddenda, quid spectans germanice verterim, *viel verführerischer Dunst.* ܠܗܓܐ Syris *vaporem*,

vapores etiam aestu solis ardentes speciemque maris referentes, (שרב) significat: vide lex. Syr. Sed jam abdico, inque secunda editione 1789. antiquissimam versionem secutus sum.

לָהָה *defatigari*, quod aliqua lexica ex Genes. XLVII, 13. habent, quaere sub יָלָה.

1277. להלה Prov. XXVI, 18.

In Hithpael hic occurrit, מִתְלַהְלֵהַּ, ἅπαξ λεγόμενον, cujus una plures bonae se offerunt interpretationes, ut copia laboremus. In duas illae fere classes divisae, neutra suffragiis linguarum cognatarum destituta.

I) Recentiorum plerique, *ludere*, interpretantur, non solum ad rem apte, sed lingua Arabica duplex etymon offerente:

1) a لَهَا pro لَهَو *lusit*, quod quidem in notis uberioribus sequutus est pater meus.

2) a لَوَهَ *micuit*, unde aequora arenarum solis ardore accensa, stagnumque simulantia, (שָׁרָב) لَهْلَهَ, quasi *micantia*, dicuntur. Sic Schultensius.

Ex his prius praetulerim.

II) Alii, *furere*, verbum explicant, indeque participium, *furentem*, qui vesania actus tela spargat. Sic ex antiquis Symmachus, ex quo hic LXX interpolati, πειρώμενοι, *tentati*, scilicet, a diabolo vel vesania, sic certe Arabs intellexit, Graeca reddens, الذين أُلِغُوا *qui insaniunt*: recentiorque anonymi versio, a Villoisonio ex codice Veneto edita, ἐξεστώς. Forte eodem redit, certe nullam possum aliam versionis rationem reddere, quod veri LXX habent, ἰώμενοι, quo nomine non sanatos intelligo, sed qui sub cura medici sunt, i. e. aegrotos, per deliria talia facientes, qualia hic memorantur. Vide et Castellum, quem non exscribo, quod ejus lexicon Hebraicum, omnium eorum quae novi praestantissimum, seorsim evulgari facio.

Nec haec notio usu linguarum Orientalium destituitur, forte praeferenda. Quadriliterum ita ductum erit ex وَلَهَ *mente turbatus fuit*, unde وَالِهْ *amens*, atque adeo ipse *daemon*, amentiae caussa habitus, quod

furen-

furentem obsidere creditur, وَلْهَان. Habent et Syri, non prorsus eadem, sed cognata notione, ܐܬܒܠܗ obstupuit, horruit. Quodsi quaeras, quomodo haec verbi وَلِهَ significatio, cum illa, quam sub num. 987. ex lexicis Arabum attuli, redigi in concordiam possit, tristitiae significationem primam esse putem, inde melancholiam, insaniam, omne denique furoris genus dictum.

III) Jam et alios indicare veterum liceat, qui conjecisse videntur de ignoto ipsis verbo: Syrus ܡܫܬܒܗܪܢܐ gloriatores, Aquila κακοηθιζόμενοι, (maligni) Vulgata, noxius. Sed horum vix ulla habenda ratio, a linguis Orientalibus destitutorum: sapientior illis Chaldaeus, quid significaret ignorans, omisit.

1278. להטים Ps. LVII, 5.

Inflammandi significationem in verbo להט, lingua Hebraica cum Aramaea utraque communem habet. Aliter Arabia. At qui sunt להטים, *ardentes*, quos inter cubat David Ps. LVII, 5? *leones iracundi? an leones oculis micantes? an serpentes, ardentes oculos suffusi sanguine et igni?* Nihil certi habeo, suspicor tamen medium vero proximum, ac להטים poeticum nomen, qualia multa habent linguae Orientales, leonum esse, quod noctu eorum oculi lucent.

להטים Exod. VII, 11. 22. quaere sub לוט, לט.

1279. להם Prov. XVIII, 8. XXVI, 22. מתלהמים *delicati cibi avide deglutiti.*

De vocabulo non nisi bis obvio, primus bene egit, et vera prodidit Schultensius in commentario ad Prov. XVIII, 8. لَهِمَ Arabibus est, *avide deglutire*, ut et lexica docent, et copiosius Schultensius, hinc ergo מתלהמים erunt, *frusta delicatiora avide deglutita*, quibus verba susurronis comparantur. Addebat Schultensius, aliena ut puto a filo orationis, has delicias *in ventrem* descendere facientis, de أَلْهَمَ *inspiravit* Deus: hoc solum arripuit, inque lexico sub Schultensii nomine posuit Simonis, omisso vero.

Lexicographorum et commentatorum recentiorum errores ſat multos retulit Schultenſius, ut ad eum ablegare lectores poſſim. De ſolis dicendum veterum aut conjecturis in voce ignota, aut variis lectionibus: nec mirum, eos conjeciſſe, cum in ſola lingua Arabica, ipſis ignota, لهم ſuperſit, Aramaeis perierit. Ergo

1) LXX Prov. 26. Μαλακοὶ, ex conjectura ſatis probabili, ſi conjiciendum omnino erat.

2) Syrus ibidem, ܡܓܫܓܫܢ *confuſa*, male ad filum orationis, verba enim obtrectatoris confuſa cur *deſcendere* dicuntur *in penetralia ventris?*

3) Aquila ibidem, γοήτικοι. Mera conjectura, nec ſequenti deſcenſui in ventrem apta.

4) Symmachus ibidem ἐν παρέργῳ. Sententia, *obiter aliquid dicere videtur obtrectator, ſine conſilio, quod fere ori non conſcio elabatur.* Egregia ſententia, ſed quomodo ex כמתלהמות extundi poſſit, peritus linguarum Orientalium vix nos docuerit.

5) Theodotion, ἐξαπλούμενοι, huncque, ut ſaepe, ſequutus Hieronymus utrobique, *quaſi ſimplicia.*

6) Contra plane aliter cap. 18. LXX. καταβάλλει φόβος, (*humi ſternit timor*) eisque, ut ſolent proximi, Syr. ܪܡܝܢ ܠܗ ܒܒܝܫ̈ܬܐ; *projiciunt illum in mala*, Chald. מרכנין ליה *proſternunt illum.* Aliter eos hic, quam in viceſimo ſexto capite, legiſſe manifeſtum. Forte habebant, ut in uno codice reperit Kennicottus, כמתהלמים, quod vide ſupra ſub הלם *nutare:* forte et ܡܓܫܓܫܢ *confuſa*, quod ſupra ex Syro citavi, ejusdem lectionis eſt.

1280. להקה *juventus* 1 Sam. XIX, 20. *ſenium* Proverb. XXX, 17.

Mira et parum credibilia me hic in capitulo poſuiſſe ſentio, ac vix mea eſſe ſuſpicabuntur, qui norunt, antiphraſes me non amare. Has quidem aut commentum grammaticorum, aut artificium habeo faeci plebis uſitatum, ſed poſſunt et nullo conſilio, caſu, antiphraſes exſiſtere.

להקת נביאים 1 Sam. XIX, 20. plerique veterum, *coetum*, *agmen* prophetarum vertunt, (LXX. Syr. Ar. Chald.) quos et ſequi recentiores ſolent,

ſolent, per transpoſitionem literarum ex קהלה hunc ei ſignificatum adſciſcentes. Suſpectum artificium: puto potius קהלת veteres legiſſe, nec diſſimulo eam mihi lectionem placere. At conſvetae quid faciemus? Jobus ei Ludolphus, quem et ſequuta ſunt biblia Halenſia, *ſenatus* dabat notionem, ex lingua Aethiopica, cui ab hac radice, *presbyter*, *natu maximus*, *aetate provectus* dicitur. Haec non nego, ſed ſignificatio loco Samuelis parum apta, in quo de juvenibus, prophetarum diſcipulis, ſermo potius eſſe videtur. Ergo equidem mallem *juventutem prophetarum*, interpretari, idque et Aethiopica lingua commendat, cui verbum eſt, *adoleſcere*, ipſo teſte Ludolpho, nomenque juvenes ab anno viceſimo ad triceſimum notat.

Nec propterea alteram ſenii notionem repudiaverim, ſed ſervaverim variae lectioni Proverb. XXX, 17. ubi pro ליקהת, egregie ad filum orationis, *ſenectam matris* habentes, LXX. Syr. Chaldaeus, להקת legiſſe videntur.

Verum hic unde contrariarum ſignificationum conventus? Prima verbi notio ea, quam apud Arabes habet, *albus*, *candidus fuit*. Hinc quidem duplex divergium. Ab albeſcente crine et barba,

Candidior poſtquam tondenti barba cadebat,

ſenectus dicta: verum et a *candendo* ferri, aut ignis, *ardeſcere*. Syris ܠܗܩ eſt, *inflammavit*, inque Ethpeel, ܐܬܠܗܩ *exarſit cupiditate*: ܠܗܩܐ *calor*, *vehemens ardor*. Hinc juveni, exardeſcenti in Venerem, ductum nomen, ut plura apud Orientales ſimilis originis. Vide e. c. infra עלם.

Hypothetice me haec dicere, ſi lectio vera, quam explicandam ſuſcepi, exiſtimari velim, huic enim utroque in loco timeo.

1281. לוא Jeſ. XLVIII, 17. *Si.* Spurium.

לוא hoc loco lectum ſi quis ſine vocalibus haberet, vix dubito, quin LO, i. e. NON, adpellaturus eſſet, et tamen non ſolum maſorethae לוא, SI, extulerunt, ſed et veteres omnes, SI verterunt. Suſpicabar anno 1779 Orientalem bibliothecam ſcribens, et *T. XIV. Supplem. p.* 157. de hoc verbo referens, veteres לו ſine Aleph legiſſe. Jam ex Kennicotti collatione diſco, duplicem hic eſſe lectionis varietatem, 1) ſeptem codices habere לו, *SI auſcultares* 2) unum, לא, *non auſcultaſti.* Ex his, ut ſaepe accidit in codice Hebraico, variis lectionibus, confuſis, manifeſtum

ſtum ſphalma exſtitit, ne verbi quidem, ſed mendi, nomine dignum, לוא.

1282. לו, *non? nequaquam?*

Levit. XI, 21. cum Chethib ſit לא כרעים, Keri לו כרעים, fuerunt, qui concordiam inter utramque lectionem tentarent, לו quoque negandi facientes particulam, et ex Syriaco ܠܘ *neutiquam*, negatione fortiore, explicantes. Hos quidem audiri nolim, ipſo libro naturae refragante, ex quo לו, *cui ſunt*, unica vera lectio, de locuſtarum enim ſpeciebus ſermo, *quibus ſunt* quatuor pedes inſuperque duo ſaltatorii. Ergo לא, negandi particula, plane repudiandum, nec illi לו adcommodandum, quod foret, vera ad errorem corrigere. Vide biblioth. Or. Nov. T. III. p. 208. 209.

1283. לוד populus Semo ortus, plane hucusque ignotus Geneſ. X, 22.

In populis a Semo ortis quintum locum, Arſachſad, i. e. Arrapachitidem inter et Aramaeos, obtinet לוד, quem Lydios plerumque interpretantur. Id mihi veri faſſus ſum diſſimillimum in ſpicilegio geogr. Hebr. exterae T. II. p. 114. 115. primo, ob ſitum locorum, deinde quod Lydorum in Aſia minore nomen Moſe multo recentius, a rege *Lydo* inditum, displicentque audaces ac parum aptae quaeſtioni geographicae Bocharti etymologiae, quibus ſuppetias ferre tentavit. Equidem malim ingenue ac libere fateri ignorantiam, quae mihi confeſſio ac dubitatio ſaepe dux fuit veri inveniendi: idque eo minus pudori eſt, quod, ſi Moſen ſequamur, Lud, Semo ortus, quaerendus in vicinia Arrapachitidis et Aramaeae, id eſt, non procul ab Euphratis Tigridisque fontibus, quae regiones ignotis prope adnumerandae, quod recentiorum nullus eas adiit. His ergo incognitis in terris, ſi quando victoriis Europaeorum aut itineribus eruditorum innotuerint, quaeramus לוד, aut quaerant poſteri. Abdico etiam conjecturam criticam, quae mihi pag. 115. 116. ſpicilegii adblandiebatur, exigua literarum mutatione ex לוד Indiam extundente. India Arrapachitidi et Aramaeae interponi medio loco non poteſt, nec forte Moſis jam tempore cognita. Euphratis atque Tigridis fontes, regionesque vicinas, cognitas habeamus, antequam de לוד vocem mittere audeamus.

1284.

1284. לודים Aegyptiorum colonia. Genes. X, 13.
1 Paral. I, 11.

Diversissimus ab eo, quem vix diximus, populus, ortu Aegyptius, ad Chamum progenitorem natales referens, sedibus Africanus. Egi de illo, id vero est, dubitavi, in spicilegio Parte I. p. 256-260. Vera si nominis scriptio, in ignotis habendus; interiora Africae nobis incognita. Quam p. 259 attuleram Gustavi Murray conjecturam, de populo *Luday* in Africae Occidentalis litore, ab Austro regni Maroccani, jam tum mihi suspecta, verito, ne populus ortu et lingua Arabicus esset. Hoc vero jam certum, Hoestius enim in Maroccae descriptione tribum *Ludaya* non dubitans Arabicam tribum vocat.

Summae erat ignorantiae quod non pauci, eruditi sibi visi, vel hos לודים *Lydos* interpretabantur, ex hoc solo nominum concentu longam fingentes historiam de Lydis Aegyptiorum colonis, cumque Hetrusci natalibus Lydi sint, Hetruscam linguam Aegyptiae cognatam comminiscentes, atque adeo, ne quid delirationi eruditae deesset, Hebraeae, incredibili enim ignorantia contra omnes testes et aures sumebant, linguas Aegyptiam et Hebraicam gemellas esse. Tale si quid in libris inveneris, me auctore illos abjice, lectu indignos. Lydi in Asia minore hoc nomen tempore Mosis habere non potuerunt, quippe quod, cum Maeones antea dicerentur, a rege Lydo Atyae filio acceperunt teste Herodoto lib. I. c. 7. VII, 74. Antiqui nominis, *Maeones*, plures testes, quos vix citare opus, Strabo, Plinius, Dionysius Halicarnassensis. His ergo nugis, verae historiae nebulam offundentibus, careamus.

Unam silentio premere non possum, audacem prima fronte, illustris Forsteri, (circumnavigatoris orbis terrarum,) sententiam an conjecturam, p. 13. *epistolae ad me scriptae* (Goetting. 1772) לודים *Oases* esse, eas ab Occidente Aegypti in deserto arenoso feliciores insulas, de quibus in nota ad Abulfedae Aegyptum egi copiosius, quarumque unam, Jovis Ammonis templo celebrem, adiit Alexander. Id veri et mihi coepit simile videri (bibl. Or. prior. T. IV. p. 178) ita tamen, ut aliam lectionem tentarem, לוחים, pro לודים lapsu facili. Nempe Oases Aegyptiis in hunc usque diem الوحات *Elvachath*, quo de nomine monent Arabum geographi, ambigi, utrum *El* sit articulus, et *Vachath* nomen, an Eliph prostheticum, ipsumque purum nomen, لوحات. Lege, haec si intelligere cupis, sententiamque ferre, notam quam dixi ad

noſtrum Abulfedam. Syris etiam Alvahata, ſeu Oaſis, ܟܘܣܐ. Vide lex. Syr.

1285. לודים Jerem. XLVI, 9. Ezech. XXVII, 10. XXX, 10. fortaſſe, *Lydi.*

(Fas hic ſit, pleraque deſcribere, quae in ſpicilegii P. II. p. 117 habeo) Numerantur in Aegyptiorum Tyriorumque militibus mercenariis. Nihil de illis certi habemus, niſi quod neminem arbitror ſuſpicaturum, Ludaeos eſſe poſſe, Semo oriundos, (n. 1283) quippe qui ſtipendia facere Aegyptia Ezechielis et Jeremiae tempore vix potuerint. Hic quidem ſi quis Lydos Aſiae minoris intelligat, illa tempeſtate fortiſſimos habitos, contradicere non auſim. Nec mirum, Lydos in Aegyptiorum exercitu eſſe: ſolitum enim eo tempore Aegyptiis, exterum militem conducere, et vero maxime ex Aſia minore: Jones et Cares, Lydiae vicini, (hi quidem forte et ipſi Lydorum nomine comprehenſi) non ſolum ſtipendia Pſammeticho et Aprii fecerunt, ſed et agris in Aegypto donati ſunt. Herodot. l. II. §. 152. 154. 163. libr. III. §. 11. Ergo de Ludaeis Aegyptiorum mercenaris adhuc incertum, Lydi fuerint, an Aegyptiorum colonia a Moſe memorata, Ludaeos, quos in Tyriorum exercitu cenſet Ezechiel, prope non dubitans Lydos habeo.

1286. לוה.

De verbo לוה, *mutuum accipere*, in Hiphil, *mutuum dare*, hic jam non diſputo, ſatis noto. Unum de etymo monuerim, quam plerique volunt primam ſignificationem, *adjungendi*, non niſi conjecturam eſſe, quam Stockius ut primam ſumit, *mutuandi*, veram quidem, ſed a re nimis jam artificiali petitam, quam ut propria ac prima eſſe poſſit. Ex illis, quas novimus, verbi ſignificationibus, 1) prima, quam et Arabia ſub لوى habet, *plicandi, implicandi*, a *curvando.* Vide lexica Arabum. Hinc לִוְיָה *corona*, Prov. I, 9. de quo deinceps. Inde 2) eſt, *adhaerere, cohaerere*, ut Geneſ. XXIX, 35. *adhaerebit mihi maritus meus.* Hoc maxime transfertur ad eum, qui Deo adhaeret, (proſelytum) et ad Levitam, qui perpetuus miniſter ſacerdoti adhaeret, ad omnia paratus. Loca non exſcribo, ex lexicis, maxime Stockiano harum rerum ditiſſimo, petenda. Syris quidem ab adhaerendo eſt, *comitari* aliquem. De Levitis quod paulo frequentius nomen ponitur, dandum alluſioni ad nomen, לוי.

לוי. 3) Mutuum datum acceptumque dicitur, sive, *ab implicatione rerum alienarum in nostras*, sive, *a complicatione manuum* creditoris et debitoris, sponsione. 4) Quartam addunt lexica, *adjungendi*, quae ad praecedentes referri quidem possit, sed certo caret exemplo, usuque linguarum Orientalium. Commentitia, nisi argumenta adferantur, aut exempla ex reliquis significationibus non expedita.

1287. לוה, in Niphal Jes. XXXIII, 1. *defatigatus fuit, desiit.*

Multum sudoris interpretibus, nec me ex eorum numero eximere possim, in כַּנְּלֹתְךָ, seu, ut XXI Kennicotti codices habent, כנלותך, Jes. XXXIII, 1. Puncta, id quidem cuivis grammaticae Hebraicae perito, nec omnia, quae confinxerunt Rabbini concoquere apto, vitiosa videbuntur; haec ergo abdicanda. Copiosius de voce obscura, aliam quaerens lectionem, egi in vet. bibl. Orient. Tom. XIV. adpend. p. 116–120. eo deveniens, ut כְּנִלְאֹתְךָ legendum censerem, *cum defatigatus fueris, i. e. desieris, alios contemnere*, citans, qui ita interpretati sint, Chaldaeum, כַּד תִּלְאֵי, (eodem adeo verbo usum) Symmachum, ὅταν κοπιάσῃ ἀθετῶν, Vulg. *cum fatigatus desieris contemnere.* Cujus quidem sententiae minime aut poenitet me, aut pudet; cum tamen ex Kennicottianis bibliis didicerim, XXI codices כנלותך habere, ne conjectura quidem critica opus esse existimem, sed aliis modo punctis כְּנִלְוֹתְךָ. Arabibus لوي est, *obtorpuit segnisque destitit*, incertum, utrum torpore ab *incurvatione* dicto, an permutatione literarum verbo לוה singnificationem verbi לאה (*defatigatus fuit*) mutuam sumente: in tertia لاوي *flaccidum, marcidumque evasit* (hoc quidem ni fallor, ab incurvatione) in octava, إلتوي *gravis torpidusque abstinuit.* — — Jam ergo XXI testium lectionem, magis grammatice punctis instructam, optime vertes, *cum desieris contemnere*, (satiatus et iners ludibriis).

1288. לִוְיָה Prov. I, 9. *corona.*

Sic vertendum existimo, praeeuntibus LXX στέφανος χάριτος, eosque sequuto Arabe, إكليل النعم. Corona dicta a *plicando:* favet

vet et quod ſequitur, לְרֹאשֶׁךָ *capiti tuo.* Mira, quae hic habent lexicographi fere omnes de, *adjectione*, *additamento capitis*, ex etymologia fictitia: ſed vetus error, ideoque illis ignoſcendus quodammodo: jam enim Aquila προσθήκην χάριτος habet, exque illo Vulgata, *ut addatur gratia capiti tuo.* Rabbinis ſui temporis haec debere videtur, uſu linguarum Orientalium nullo hucusque firmata.

Syrus hoc loco ܝܐܝܘܬܐ, exque illo paene deſcriptus Chaldaeus, יְאוּתָא, *decus* habent, quod neutrarum eſt partium, ſed forte male pro harmonico ܠܘܝܘܬܐ deſcriptum.

1289. לְוִיּת 1 Reg. VII, 29. 30. 36.

Nominis, de quo nunquam dubitaverant aut deliberaverant, ſignificationem peremtorie ſatis ponere lexicographi ſolent, unum gratis ſumentes, verbum לוה eſſe, *adjungere.* Mihi quidem de vocabulo difficili deliberandum videtur, audiendumque veteres. Nec certam de eo ſententiam promo, ſed id, quod nemo fecit lexicographorum, facturus, lecturis et cogitaturis ante quam decernant aut obvium quemque exſcribant, materiam proſterno. Eſt tamen ante omnia ſciendum, non ſine varietate lectionem eſſe, habent enim in verſu 29 לוית ſex Kennicotti codices, et novem לוית, quod quidem לְוִיּת adpellandum, et, *coronae*, *ſerta*, vertendum, ornamenta ſertorum ſimilia, baſi lavacrorum circumplexa. Jam audiamus veteres.

1) LXX ſibi ipſi diſcordes, in verſu 29 habent, χώραι, (*ſpatia*) obſcuro ſenſu, v. 30. προσκείμεναι, ab adjungendo, et v. 36 ἐχόμεναι. Variorum hic verſiones a librariis confuſae videntur, omnes quidem et ſingulae lucis egentes.

2) Vulgata v. 29. *quaſi lora*, (ex aere dependentia.) Huic quidem verſioni aliquid ſubeſt etymologici veri, potuerint enim *lora*, a complicando dici. At eadem, perquam inconſtans, v. 30. *contra ſe invicem reſpectantes*, et v. 36 *ex ſemet ipſa.* Vides interpretem, ſibi adverſum, aut de vocabulo cognato conjeciſſe, aut varias conquiſiviſſe aliorum explicationes, quas, incertus quae verior eſſet, tribus verſibus diſtribuebat.

3) Syrus v. 29, ܚ̈ܙܘܐ, forte, *opus ſpectabile*, ſed addens, ܥܒܕ̈ܐ ܫܦܝܪ̈ܐ *opus pulcrum*; at v. 30 ſimpliciter ܥܒܕܐ ܦܫܝܛܐ. Legitne ריות per Reſch, et ad radicem ראה retulit?

4) Chal-

4) Chaldaeus a *cohaerendo* derivat, v. 29 מִרְבָּק *junctura*, v. 30. עוֹבַר דְבוּק *opus cohaesionis*, et v. 36. חַד *unum*.

5) Plerique recentiorum *additamenta* vertunt, obscura sententia, et ex ficta *addendi* notione, quam verbo dederant.

6) Pater meus, *cincturas* interpretabatur, conferens לויה, quod *torquem* esse putabat.

7) Ego in versione germanica, לוית idem putabam, quod statim deinde per מַעֲשֵׂה מוֹרָד *opus declive* explicetur, conferens لَوًى *vallis ejusque anfractus*, et لوى *obliqua fuit terra*. Defatigatus tot obscuris architecturae vocabulis huc secessi, sed iterum deliberanti displicet. Mihi unum videtur verum, quod supra de varia lectione לְוִיּוֹת vel לְוִית scripseram, serta esse, i. e. *ornamenta sertis florum similia*. Nec varia modo lectio hanc interpretationem admittit, sed et consueta, modo aliis vocalibus substratis לִיּוֹת pro לְוִיּוֹת efferas: Arabes Vau et Jod in Jod Dagessatum contrahere solent, (gramm. Ar. §. 25.) idemque haud raro faciunt Hebraei; ut in עִיִּים a r. עוה, pro עִוְיִים. Sed expendant post me alii.

לויתן, quod alii huc referre solent, quaere sub לוי.

1290. לוז Jes. XXX, 12. Prov. II, 15. III, 21. 32. IV, 21. XIV, 2.

Vel ex hoc locorum indice intelligetur, verbum esse, Salomoni non proprium quidem, sed tamen perquam familiare, quinquies in ejus Proverbiis, nec praeterea nisi semel in Jesaia obvium. Prov. IV, 21. יַלִּיזוּ secundum puncta quidem ad aliam radicem, לזז, retuleris, sed putem corrigendum, יָלִיזוּ. Ignorant verbum linguae Aramaeae universae, Syriaca, Chaldaea, Samaritana, (quod enim in lexicis quibusdam ut Chaldaicum citatur, error est, Rabbinicum dici debuisset, ut Buxtorfium evolventi liquebit) sola habet Arabia, sed, ut prima fronte videtur, alia omnino significatione. Hebraeorum lexica sub לוז *declinare*, *curvumque* et *distortum* habent, omnibus locis egregie aptum, maxime Prov. II, 15. Jes. XXX, 12. ubi cum עִקֵּשׁ fere ut synonymum componitur, et Prov. III, 32. ubi *recto* opponitur: at Arabibus cum لون tum لوز est, *confu-*

confugere, indeque لَاذَةٌ et مَلَاذٌ, *refugium, asylum.* Hoc quidem ſpectans, conſvetamque interpretationem in dubium vocans, Jeſ. XXX, 12. mutatis praecedentis nominis vocalibus (עֹשֶׁק) *perfugium* verteram. Vide bibl. Or. priorem T. XIV. adp. p. 100. Sed jam video, utriusque linguae notiones optime convenire, alteramque ex altera ortam: a *declinando* Arabes *confugere* dixerunt. Ergo ad conſvetam et loci Jeſaiae interpretationem revertor.

1291. לָזוּת Prov. IV, 24. *obliquitas.*

Ad praecedentem radicem ſi referas, לְזוּת שְׂפָתַיִם erit, *perverſitas labiorum*, ut fere explicant, vel, quod prope malim, *obliquitas labiorum*, dicta ancipitia, alios laedentia. Sic tamen grammaticae conſentanee לְזוּת ſcribendum erit, non, ut in impreſſis habetur, לָזוּת. Puncta maſorethica emendenda, atque etiam codices conſulendos putem. At punctis ſi ſervire velis, conferendum erit Arabicum لَذِيَ بِهِ, quod in Camus exponitur, diverſa, ut Golius monuit, lectione, ſive تَبَذَّلَ *profanus, impurus fuit*, ſive, تَبَدَّلَ *mutatus fuit:* ſic erit, prout alterutrum ſumas, *impuritas ac profanitas*, ſive, *duplicitas* labiorum.

1292. לוּז Geneſ. XXX, 37. amygdalus.

Amygdalum, inter et *Corylum* cum ambigant lexicographi, primo quidem ad primarium remiſerim harum rerum arbitrum, Celſium, T. I. hierobotanici p. 253. 254. Corylos illo ſub climate naſci, negat Shawius p. 145. (editionis 1757. Lond.) Hoc ſi verum, vindiciae ſine dubio ab amygdalo dandae, cum לוּז, ܠܘܙܐ, لَوْز Orientis linguis vulgaria ſint et quotidiana nomina.

1293. לוּחַ *tabula* Job. XXX, 4.

לוּחַ quin *tabula* ſit, ut lexica habent atque interpretes, nemo dubitaverit, eadem notione in Syriaco quoque ܠܘܚܐ et Arabico لَوْح ſervata. Etymologia non aeque certa, veriſimile tamen, a لوح *ſplenduit, micuit*, tabulas, politas atque micantes dictas fuiſſe.

Hoc

Hoc quidem nomen, praeter ea loca, quibus in codice masorethico legitur, invenisse mihi et Job. XXX, 4. videor, sed mutatis punctis, (quid enim in versionibus ad puncta masorethica factis plerisque desiderem, infra sub מלוח exponam:) הַקֹּטְפִים מַלּוּחַ עֲלֵי שִׂיחַ, *qui ex tabulis* petrarum avide decerpunt *folia virgultorum.* Tabulas intelligo nuda saxa, in tabularum saepe modum in petris sibi invicem imposita, unde et מעלה לוחית vel הלוחית *ascensum tabularum,* dictum reor: homines, quos Jobus describit, perditi et famelici, ipsa folia virgultorum, ex nudis petrarum tabulis nascentium, rodunt ac depascuntur, utque deinde pergit, radices genistarum in cibo habent.

1294. לוט, *involvere, occultare, maledicere.*

Duplex verbi derivatorumque significatio, altera lexicis atque interpretibus nota, ignota plerumque altera.

1) *Occultare, involvere.* Hoc quidem a Kimchii jam et Reuchlini tempore lexica habent, monentque, aliquando et per Aleph, לאט scribi: nec dubitaverit loca inspiciens Judic. IV, 21. בלאט, *clanculum* (sed XXXI. codicibus Kennicottianis sine Aleph בלט habentibus) 1 Sam. XVIII, 22. בלט (VIII cod. בלאט) XXIV, 5. בלט sine varietate lectionis, XXI, 9. לוטה *involutus*, Ruth. III, 7. בלט (III codices בלאט) 1 Reg. XIX, 13. וילט *involvit* faciem suam, nulla varietate lectionis. Superest apud Arabes, in لاط pro لوط, quod vertit Golius, *obduxit*, *oblivitque luto*, *occultavit*; et لَوْط *pallium.* Recte ergo et vere hac parte lexicographi, sed male ad alienissima loca, ut, Job. XXV, 7. transtulerunt. Scriptio hac significatione dubia et vacillans.

2) Syris Chaldaeisque לוט est maledicere, indeque ܠܝܛ *maledictus.* Habent et Arabes لاط, sed pro ليط, hac notione, unde لَيْطان *maledictus*, Satanae illis nomen. Sic, modo vera lectio, nihil dubitans accipiendum putem לוט Jes. XXV, 7. vertendumque: *percutiet faciem* MALEDICTI, MALEDICTI *pro omnibus populis*, (et victimam mactatam pro omnibus gentibus.) Certe, quod plerique habent, *percutiet*, sive adeo, *deglutiet*, *tegumentum vultus*, magnopere displicet. Sed jam non vacat, Rabbinorum eosque sequutorum errores ad examen revocare.

Haec

Haec tamen ex veteribus enoto. Vulgata habet, *faciem vinculi colligati super omnes gentes.* Nec phrasin, *praecipitare faciem vinculi*, probo, nec sententiam, quam ne quidem in commentario ita explicuit Hieronymus, ut intelligi possit: ratio tamen aliqua philologica versionis, aut excusatio adparet, quod لَبَّطَ est, *conjunxit*, *conglutinavit.* Σκοτίαν vertebant Aquila et Theodotion forte ab involvendo aut occultando tenebras dictas existimantes. *Dominatorem* qui habent, Chaldaeus, Syrus et Symmachus שַׁלִּיט vel שַׁלּוֹט legerunt. Bibl. Or. prior. Adp. Tomi XIV. p. 60-63.

Sitne utraque significatio, Aramaea et Arabica, a stirpe conjuncta, non pro certo dixerim, possit enim forte una verbo לוט altera ליט, quae ab Hebraeis in unum confusa sunt, propria fuisse, aut לוט *involvere*, ex לטט ortum, quod Arabibus fere eadem significat. Nec tamen etymologiae, conjungendarumque notionum cupidum conjectura destituet: ab *involvendo* enim et *occultando* maledicta et dirae, obscuri saepe carminis, nomen accepisse suspicabitur, nec negaverim.

1295. לָט plur. לְטִים *magicae artes.* Exod. VII, 22. VIII, 3. 14.

Occultas et magicas artes intelligi certum, omnesque consentiunt. Incertum tamen, utrum dictae, ab *involvendo* et *occultando*, quod arcanae sint et occultae, an, a *maledicendo*, i. e. a carmine diro et incantationibus, quibus haec omnia fieri ἱερογραμματεῖς Aegyptiorum prae se ferebant.

1296. לֹט, *pistacia*, *nuces terebinthi*, Genes. XXXVII, 25. XLIII, 10 (vel 11).

Non nisi his duobus locis antiquissimi libri, historiaeque antemosaicae, nomen, valde dubium et obscurum occurrit, de quo unum ex serie orationis certum, donum aliquod naturae designare, Palaestinae concessum, negatum Aegypto, ut Aegyptiis in deliciis exteris habeatur. Quid sit, non pro certo statuo, sed verisimilia sequor, Celsium maxime, qui P. I. hierobotanici p. 280-288. evolvendus.

Praefari tamen et fas sit, cum forte in tanto sententiarum divergio, et orthographia consulenda sit, et etymologia, utrobique in vulgatis codicibus לט sine Vau scribi, non, ut lexicographi plerique habent, לוט,

ad

ad med. rad. Vau referentes. Nec tamen diſſimulandum, quod iſti quidem ignorabant, et plenae ſcriptionis auctores eſſe, primo Samaritanam editionem utrobique לוט habentem, deinde et Geneſ. 37, *triginta et tres*, et c. 43, *triginta et quinque* codices Kennicottianos. Praeferenda tamen teſtium auctoritate, atque, ut infra adparebit, concentu linguarum orientalium, vulgaris ac defectiva ſcriptio לט.

Recentiorum conjecturas, parum mihi placentes, nolim hic repetere; enarravit illas Celſius, a quo haec recentiorum ſomnia peti velim. At de veteribus dicendum, quorum ſententiis aliquid ineſt auctoritatis, maxime cum in illis enarrandis nonnunquam linguae Syriacae Arabicaeque obſcuritate aliquid commiſiſſe erroris vir magnus videatur.

1) *στακτην*, *ſtacten*, utrobique LXX et Vulgata habent, veri parum ſimiliter, cum alia *ſtacte* Hebraica nomina habeat.

2) ܒܛܡܐ *terebinthos*, i. e. *terebinthi nuces*, *piſtacia*, c. 37. Syrus habet. Errorem hic librariorum adcuſat Celſius, quod altero loco ܟܛܡܐ ſcriptum ſit, nec nego et me, cum primum inquirens legerem, adcuſaſſe: ſed ſtatim videbimus et ܟܛܡܐ piſtacia eſſe.

3) Idem Syrus in capite 43, ܟܛܡܐ, et Chaldaeus utrobique לטום habet, quod vocabulum conjecturis eruditorum utcunque tentatum. Lexicographos Syrorum Barbahlul et Baraly-ſi evolvas, ſine dubio ſunt piſtacia: monent enim, duo nomen ſignificare, 1) *nucem coryli*, vel *avellanam*, quae minor ſit, 2) nucem majorem terebinthi, piſtacium. Ipſa verba Arabica dedi in lexico Syriaco.

4) Arabs uterque شاهبلوط vertit, quod volunt *glandem regiam* eſſe, i. e. *caſtaneam*. Vix digna merces, quae a mercatoribus in Aegyptum deferatur, aut munus, quod Aegyptii regni ſummo adminiſtro mittatur. Certumne *Schachbalut* caſtaneam eſſe? In lexicis ſcriptum, ſed ſine exemplo. Glansne pro nuce hic poſita? et nux regia eſt ipſa terebinthi nux nobilior, piſtacium? Dubito, ſuſpicor, necdum quidquam adfirmo.

5) Samaritanus איתרין vel אתרין habet: quod quid ſignificet definire non auſim.

Ex his quidem ſi aliquam cogitatorum meorum ſummam facere liceat, auctoritate quidem veterum, necdum certo argumento philologico,

piſtacia Syri et Chaldaei praetulerim, quibus certe nihil, ut reliquis interpretationibus, obverti poteſt.

Opponi mihi poſſe praevideo Geneſ. XLIII, 10. ubi לט a בטנים *piſtaciis*, diſtinguatur: at ſi aliter conſtruxeris, לט בטנים *nucem (piſtacium) terebinthorum*, non ſolum omnia plana erunt, ſed et merces Palaeſtinae, naturaeque detes, in utroque capite 37 et 43 eaedem erunt. Ergo hic ipſe locus audaciam mihi facit, inſolitam in Europa praeferendi verſionem Aſiaticam; donec aliquid ex philologia lucis certioris.

Eſt tamen et de duabus recentiorum conjecturis dicendum, altera, quod aliqua blandiens veriſimilitudine ſummis viris probata eſt, altera ne ob ſoni ſimilitudinem fraudi ſit, Moſen legentibus.

1) *Ladanum* haud pauci intelligunt, id vero eſt, gluten ſeu gummi ſvaveolens barbis caprini generis ex ledi (ciſti eſt ſpecies) adhaerens, de quo vide Celſium T. I. p. 283-288. et Scheuchzeri phyſicam ſacram, T. I. p. 130. Maximi in has partes viri ierunt, Ludovicus de Dieu, Caſtellus, ipſeque adeo Celſius, cujus auctoritas fecit, ut, cum non vacaret adcuratius inquirere, resque videretur ſatis veriſimilis, in verſionem germanicam receperim. Nec eſt vocabulum origine Graecum, ſed, ut Herodotus teſtatur, Arabicum: libr. III. §. 112. *τὸ λήδανον, τὸ Ἀράβιοι καλέουσι λάδανον* &c. Sed jam plane abdico, literis enim apud Arabes plane aliis ſcribitur, لاذن *in Golii lexico ex Dioſcoride*, لادن apud Celſium ex Abulfadli, cujus totum locum adjecit: לדן aut לזן, quis cum לט idem putaverit? Nec quisquam veterum interpretum, ne Arabum quidem, de ladano cogitavit.

2) De *loto* nobiliſſima Aegypti arbore, ejusque fructu laudatiſſimo, fuerunt qui cogitarent, male jam hac quidem parte, quod alieniſſimae linguae vocabulum ſono conveniens Hebraico conferrent. Verum plane loti fructus, Aegypto domeſticae et frequentiſſimae, repudiandus: hunc enim mercatoresne Midianitici in Aegyptum deferent? aut Jacobus Aegypti domino ut delicias Palaeſtinae dono mittet? Monuit jam Scheuchzerus in phyſica ſacra.

Derivationem ſi quaeras, nomen accepiſſe arborem reor a celeberrima ejus reſina, Arabibus enim لتّ eſt *illinere*. Vide Golium ſub prima et octava conjugatione.

1297. לויתן 1) *crocodilus* 2) *serpens major; draco.*

Job. XL, 25 – XLI, 26. poetice descriptum Leviathanem crocodilum esse, plures consentiunt, mihique plane non dubium. Copiose hoc argumentum tractavit Bochartus in hieroz. P. II. l. V. c. 16. 17. 18. Nimio forte sententiae amore, ut solet, in iniqua alicubi loca et ad incerta descendit, nec ubique eum sequor, sed in rei summa. Ad nimiam ejus copiam cum aliqui forte lectorum aut dormitent aut deponant quaestionem, ea legant, quae in notis Germanicis ad haec Jobi capita scripsimus. Supererant aliqua, quae nondum expedieram, ut, quod XL, 30. inter merces refertur Cananitis venditas. Sed et his annumerari merebatur: caro ejus in cibis est, et vero gustu bonis. Herodot. l. II. c. 69. Ipse eam Sicardus gustavit (*). *Helfrichus*, civis Lipsiensis, qui seculo XVI Aegyptum adiit, *indigenae*, inquit, *eum capiunt, pellem illi totam detrahunt, et carne vescuntur, quae sturionis nostri saporem habet* (**). Ex pelle detracta cingula faciunt et galeas, felle pro veneno utuntur, illo tela inungentes (***). Medicas variarum crocodili partium virtutes, fabulosas an veras, sed quid interest? laudat Plinius, l. XVIII. §. 27. Jesuitaeque auctores sunt, in California dentes majores in pulverem contritos morsui serpentum mederi (****). Ejusmodi animal captum sine dubio Cananitis vendi potuit. Plura ejusmodi, aliquot hiatus supplentia addere possem, sed reperient lectores, ex Wolfii itinere Ceylanensi excerpta, in priore bibliotheca Orientali Tom. XX. num. 298. XXIII. num. 344.

Varias aliorum interpretationes disces ex Schultensii ad Jobum commentariis, quem non excerpo. Ridiculis ille aurem quoque praebuit, easque refutare dignatus est, ut de balaena, diabolo &c. Ipse quidem dracones crocodilis, multum et severe dubitans, in loco Jobi praefert: nec nego et ad dracones, i. e. majora serpentum monstra, nomen translatum fuisse; at in Jobi libro manifeste crocodilus describitur; sed historia naturae Schultensio defuit, ipseque adeo Bochartus, ex quo ille petebat pro crocodilo dicenda, ex veteribus historiam naturae noverat, nova, partim post ejus mortem a recentioribus prodita, ignorabat. Caeterum balaena nostra, et orca Plinii, miris interpretationum monstris, permuta-

(*) Nouveaux Memoires de la Compagnie de Jesus T. VI. p. 45. 46.
(**) Paginas cum liber non habeat, cito signaturas foliorum: ℑ. *II.*
(***) *Müllers Africanische Reisebeschreibung S.* 13. 14. 128.
(****) *Nachrichten von California p.* 9.

mutationibus audacissimis literarum, explicationibus vocabulorum Hebraicorum ex linguis alienissimis, Germanica, Graeca, multisque aliis, Jobo obtrusa ab Hasaeo (*), vel hoc ipso nomine plane repudianda, quod est illis regionibus, in quibus Jobus vixisse fingitur, vixeruntque scriptores sacri, plane incognita, atque nec mediterranei maris, nec Arabici Persicive sinus.

Job. XL et XLI si Leviathan crocodilus, non dubito, quin eodem significatu et cap. III, 7. nomen accipiendum sit: nec caussam ullam video, ob quam Ps. LXXIV, 14. aliud monstrum marinum quaerendum sit, licet hunc locum ipse Bochartus crocodilo abjudicaverit. De internecione Aegyptiorum in mari Erythraeo sermo. Crocodilum emblema regni Aegyptii veteribus fuisse, vel ex Ezechielis c. XXIX, 1-7. XXXII, 2. notum; exque iisdem capitibus certum, תן vel תנין inter nomina crocodili esse. In nummo aeneo, cujus exemplum et in nostro est museo academico, devicta ab Augusto Aegyptus sub emblemate crocodili palmae alligati sistitur. Vide *Thesaurum Morellianum* (Amstelod. 1752.) T. I. pag. 386. 387. et T. III. sub numis Augusti, tab. XXXVI. 26 27. XXXVII. 1. Jam quis haec in psalmo legens: v. 10. *tu potentia tua fugere fecisti mare, fregisti capita* (תנינים) *crocodilorum in aqua:* v. 11. *tu contrivisti capita Leviathanum, cibumque eos dedisti populo deserticolae;* temperare sibi possit, quin de crocodilo cogitet. Grandis imago, in ipsa aqua fracta crocodilorum capita: carnes crocodilorum in cibis fuisse, jam supra monui, sed magnum et παράδοξον, aridi deserti incolas illis vesci, i. e. spolia Aegyptiorum legere.

Sed et certum dracones, i. e. serpentes majores, לויתן dici potuisse. Sufficit significationi probandae Jes. XXVII, 1. ubi de duplici Leviathane, נחש בריח et נחש עקלתון sermo. Vide quae supra num. 290. scripsimus, ubi alter ex illis *draco borealis*, alter *serpens Ophiuchi* nobis videbatur: sed de hoc utcunque statuas, certum, Leviathanem hic נחש serpentem esse.

De uno vel ipse adhuc dubito loco Ps. CIV, 26. *ibi* (in mari magno) *eunt naves*, לויתן *Leviathan, quem formasti ad ludendum in illo.* Litoribus quidem maris, maxime ad fluviorum exitus crocodili non abjudicandi: vel in hunc usque diem Delta Aegypti illos habet, licet paucos admodum, sed ante aliquot millia annorum non potuerunt non plures fuisse

atque

(*) *In disquisitione de Leviathane Jobi et ceto Jonae. Bremae* 1723.

atque ad ostia quoque Nili eique vicinum mare processisse; ipsius adeo Palaestinae urbs litoralis, Crocodilon, crocodilos minores in fluvio Zirka (زرقة) habet, teste Pocokio, T. II. itinerarii, §. 73. p. 84. 85. versionis germanicae Breyerianae, editionis Anglicae p. 58. Malim tamen, quod de alto mari sermo, alia monstra marina, ut canem carchariam, atque similia intelligere.

LXX ubique, atque adeo in Jobi loco, *δράκοντα* vertunt ubi mirari possis, homines Aegyptios ex descriptione crocodilum non agnovisse: verum illi sine dubio Graecum nomen eadem posuerunt latitudine, quam habet Hebraicum תנין, ut et crocodilum complectatur. Vide illos Ezech. XXIX, 3. XXXII, 2. ubi Nili monstrum, pedibus suis illum turbans, *δράκοντα* vocant. *Κροκόδειλον* non nisi de crocodilo terrestri ponunt, Levit. XI, 29. Nempe, ut jam monuit Herodotus, *κροκόδειλος* non verum est crocodilorum nomen, sed Iones a terrestri ad Nili incolam transtulerunt: *καλέονται δε, ου κροκόδειλοι, ἀλλα χάμψαι* (*) *κροκοδείλους δὲ Ἴωνες ὠνόμασαν εἰκάζοντες αὐτῶν τὰ εἴδεα τοῖσι παρὰ σφίσι γινομένοισι κροκοδείλοισι τοῖσι ἐν τῇσι αἱμασιῇσι.* libr. II. c. 69. Hoc ergo nomine Graeco in Aegypto viventes interpretes abstinuerunt, licet Aegyptium non ponerent.

Derivationem attingere vix audeo, nomen enim reliquis dialectis sororiis ignotum, peregrinum esse possit, ac forte Aegyptium, quis enim negare sustineat, praeter illud, quod vix dum attuli, alia quoque Aegyptiis domestici monstri nomina fuisse? Nec placet, quod plures voluerunt, a לוה *plicare, implicare*, nomen ductum: apta illa derivatio serpentibus, non crocodilo, cui illud *κατεξοχὴν* proprium, minime plicatili, atque ita nimis fere recto, ut ne corpus quidem, retro citroque fugientes insequuturus, circumagere possit. Facit tamen pro Hebraica origine, תן, in quod desinit, et crocodili nomen et draconis, cum alio, ut videtur,

(*) In prima litera aliquid erroris, sive ab Herodoto ipso, sive a librariis, admissum arbitror. Copticum crocodili nomen est *MSAAHH*, (vide la Crozii lexicon Aegyptiolatinum p. 56 et 97. Hinc fluxit Arabicum تمساح (*Timsahh*) praemisso articulo determinato feminini generis T vel Θ; posset et cum articulo determinato masculino ΠΙ, ΠΕ, Φ, esse *Pimsahh* vel *Phimsahh*: unde autem χ sumi, praeponique potuerit, non video In Scholzii grammatica Coptica p. 9. ratio redditur praemissi A, nomini Msahh, sed nulla Ch.

detur, compositum. Conjecturam si promere verecunde liceat, est a לויה *corona*, (num. 1288.) proprie, *corona draconum* vel *monstrorum*, i. e. *rex monstrorum*, fere ut Job. XLI, 26. Leviathan *rex* dicitur *omnium* sive *aquatilium*, sive, *adparitionum* i. e. *monstrorum:* מלך על כל בני שחץ, sive ex varia lectione, שרץ, aut ut Graeci Latinique serpentem *βασίλισκον*, *regulum*, habent. Haec si derivatio vera, mallem cum Dages literae ת impresso scribi, לִוְיָתָּן pro לִוְיַת תַּן.

1298. לול plur. לוּלִים *cochlea*. 1 Reg. VI, 8.

Cochleam (*Windeltreppe*) vocabulum *ἅπαξ λεγόμενον* interpretantur, recte ut puto, lexicographi: praeeuntibus Chaldaeo, (מְסִבְּתָא *circuitus*) LXX (*ἑλικτὴ ἀνάβασις*), *Vulgata*, (*per cochleam*) solus Arabs simpliciter *scalam ex ligno* expressit, درجة من خشب. Sat boni et graves auctores. Adjicio et descriptionem Raschii: *est structura columnae lapideae, in quo facti sunt multi gradus, atque is, qui per illos ascendit, speciem praebet circumeuntis columnam, atque per illam ascendunt multorum cubitorum spatio:* Germanicum quoque nomen, *Wendelstein*, et Gallicum addit.

Habet hac significatione lingua Thalmudica, forte ex hoc ipso loco sumtum. Succurrit et Arabica, sed B in fine adjiciens. Vide Golium p. 2158. لَوْلَب *oculus pessuli, seu pessulus cum excipulo*, (ergo, axis in peritrochio, cochleae similis) *idem Hebr.* לול *cochlea, instrumentum mechanicum, tubulus et canalis quivis, per quem fluit aqua*, — — لَوْلَبِيّ *ad cochleam pertinens, et cochleae similis.* Unde Arabico nomini B finale accesserit, aut cur Hebraico desit, quaeri possit? nec enim ex illis literis est, quae addi demique possint. Suspicari incipio, ם in לולים non esse pluralis numeri, sed ם radicale, pro ב Arabum (לוליב) positum, quae literarum B et M permutatio Arabibus frequentissima.

Sola a reliquis recedere versio Syriaca videtur, ܨܦܘܪܬܐ, *catarrhactam* habens; sed forte catarrhactae nomine *janua pensilis* (*Fallthür*) qualis imponi cochleis solet, intelligenda: sic et Thalmudicis לול inter alia est, *fenestra, foramen rotundum vel tecti vel pavimenti.* Vide Buxtorfium. De januis et Josephus Ant. VIII, 3, 2. accepisse videtur, sed Graece legendus, non ex latina interpretatione, quam persaepe infidam inveni, cochleam hic quoque substituente.

1299. לון *pernoctare, murmurare, obloqui.*

Duplici sejunctissima *pernoctandi*, et *murmurandi* seu *obloquendi* Hebraeis frequentissimum significatione, Syris, Samaritanis, Aethiopibus, quantum nos quidem novimus, inusitatum, Arabibus alia notione satis usitatum, est enim لَوْنٌ *color* لَوَّنَ *colorari*, تَلَوَّنَ *colore aliquo esse, vel indui, colorem mutare:* a colore *notas* etiam dicunt, et, *notari, notabilem esse*, ut 2 Tim. III, 9. (quem locum male pro alia significatione, et vero nonae conjugationis citavit Castellus) جهالتهم تَتَلَوَّنُ (quinta conj. pro تَتَلَوَّنُ) ἡ ἄνοια αὐτῶν ἔκδηλος ἔσται πᾶσιν.

Mira haec cognatissimarum linguarum diversitas. Estne aliqua inter *pernoctare* significationemque Arabicam conjunctio? dictumne *pernoctare*, a colore, nigro scilicet noctis? — — Altera murmurandi, adscititia ex verbo לכן, quod vide infra.

De mortis tempore *pernoctare* eleganter et eximie poni videtur Ps. XLIX, 13. et *homo in honore non pernoctat*, sed simillime brutis moritur, XXV, 13. *Jehova docebit illum viam, quam eligat: pernoctabit anima ejus in bono, et semen ejus hereditabit terram:* ubi nota, 1) praecedere v. 12. viae mentionem, in cujus fine hospitium petimus, pernoctaturi, 2) haec duo componi, *ipse pernoctat in bono*, — et, *semen ejus* (dum nempe pater in vivis esse desiit) *hereditabit terram.* Elegans translatio, Orientalibusque in aliis etiam hospitii verbis consveta.

1300. מלון *diversorium nocturnum.*

Indico has solum ob caussas, primo, ut errorem animis lectorum eripiam, qui facile obrepere Europaeis potest, deinde, ut a sequente vocabulo distinguam. *Locum pernoctationis*, *hospitium*, ubi verti audierint, caveant sibi, ne de hospitiis, qualia nos habemus, πανδοχείοις, cogitent: haec quidem vetus Oriens ignorabat, nec opus illis habebat, hospitalitatis jure ac pietate vigente, qua vel ignotus sub tectum, aut a Nomadibus in tentorium reciperetur. Nec vero semper מלון sub tecto aut tentorio, sed omnis ita dicebatur locus ubi vel sub dio per deserta iter facientes pernoctabant, plerumque loca eligentes ubi scaturigines, ut adaquare jumenta possent. مَنْزِل Arabicum ejusmodi hospitiorum, quae vel in geogra-

phia

phia notari ſolent, nomen. Nec excludo hoſpitia ſub tecto, ſub tentorio; verum omnis ubi noctem agimus iter facientes locus, מלון. Jam ab hoc, ut ſpecialius et adſtrictius differt, quod ſequitur, femininum,

1301. מלונה Jeſ. I, 8. XXIV, 20. *tugurium*, *ſive ex frondibus*, *ſive penſile ex arboribus*, *in quo cuſtodes hortorum pernoctant*.

Primo loco eſt, *tugurium in cucumerario*, in quo ejus cuſtos noctem agit, atque vix opus habet explicatu, cum et nos in hortis, matureſcentibus fructibus, tuguria cuſtodum habeamus.

At alia paulo ratio alterius loci Jeſ. XXIV, 20. ubi ingentem terrae motum deſcribens vates, eam moveri et agitari dicit, ut מלונה. Manifeſtum, de nocturno hoſpitio eum loqui, quod in perpetuo motu ſit. Hic vero ante omnia ſciendum, ſub calido climate, ferarum forte metu, *penſiles ſibi lectos*, *ex arboribus ſuſpenſos*, parare, non cuſtodes ſolum hortorum camporumque, ſed et iter facientes, quin et ut Labatus me docuit, integras gentes, in aedibus non habitantes, Caraibos, Americae. Niebuhr in deſcriptione Arabiae pag. 158. *in montanis Jemenae nidos*, *ut ita loquar*, *in arboribus vidi*, *ſedes Arabum*, *agros ſuos cuſtodientium*. Hoc quidem ipſo in loco Chaldaeus et Syrus ערזלא verterunt, quo de vocabulo Chaldaico Buxtorfius in lexico Chald. *lectulus*, *cubile vagum*, *ut cunae vel cunabula puerorum*, *lectuli tuguriorum aut peregrinantium*. — — *In Toſephoth ſcribitur*, *cuſtodes hortorum ſolitos fuiſſe extendere funes ab arbore una ad alteram*, *ut funes in lecto extenduntur*, *et in iis ſub umbra denſorum ramorum cubuiſſe*. Similiter et Golius ſub عرزال ex Geuhario habet, *locus*, *quem in ſumma arbore ſibi ſtruit campi cuſtos prae metu leonis*.

Ejusmodi lectum, vento arbores quaſſante, in perpetuo motu eſſe, neceſſe: cui undantem tanquam ſub pedibus terram eximie comparat vates.

Sic et Raſchius ad h. l. *tuguriolum cuſtodum in ſummo arboris*. Aliter Kimchius, quem miror noluiſſe majores ſequi, ubi illi, rerum Aſiaticarum magis quam ipſe gnari, limpida et vera tradiderant. Sed haec Europaeo videbantur incredibilia, ergo mutat in *tugurium quod in monte ex lignis tenuibus conſtruunt*. Et haec habet Arabia, ubi arborum penuria, vide Niebuhrium pagina antea citata (*), ſed ad imaginem terrae motus lectus penſilis aptior. Alteri loco, Jeſ. I, 8. Kimchiana explicatio apta.

1302.

(*) *In Thehama, wo die Bäume ſeltener ſind, bauet man in dieſer Abſicht ein hohes und leichtes Gerüſte.* Figuram etiam aere deſcriptam addidit.

1302. לוע *aestuare*, *sitire* Job. VI, 3. Prov. XX, 25.

Sumo has significationes, antiquioribus lexicis ignotas, ex Schultensii ad Jobum et Proverbia commentariis, nec tamen quae ille habet excerpo, quod occupavit, suoque lexico intulit Simonis. Plane omisissem verbum, nisi ablegandi ad ילע et לעה lectores viderentur, ubi de Proverbiorum loco egi, agamque.

1303. לוץ, הליץ *irridere*, *interpretari.*

Notae significationes, *irridere*, *illudere*, et, *ex aliena lingua in nostram interpretari*, vel etiam omnino, *interpretari:* quae quomodo, tam diversae cum videantur, sub uno verbo conveniant, quaesitum est, difficilisque responsio. Schultensius, quem plerique sequuti sunt, ad Prov. I, 6. primam vim verbi sumit, quam in quinta Arabum conjugatione habet, تلوص *contortus et inversus fuit*, hinc illi, *obliquato flexu linguae, alios ludificare.* Equidem malim ad solos oculos referre, irrisoris enim plerumque est, averso quodammodo vultu furtim obliquis oculis adspicere, idque لوص in prima conjugatione significat: at, *interpretari*, quomodo ad obliquandi curvandique notionem referri possit nondum video. Equidem cum nulla linguarum Orientalium praeter Hebraicam, ne Chaldaica quidem, sed sola Thalmudica et Rabbinica, quae utraque est Hebraica recentior, verbum ejusque derivata hac significatione habeat, suspicari incipio מליץ, *interpres*, exoticum esse, sed perquam vetus, quippe in Mose jam et Jobo obvium. Pluribus linguis *interpretis* nomina, extera sunt, ipsi nostrae: *Dollmätscher* eum vocamus, cujus vocabuli derivationem Germanicam, quae probari quodammodo possit, nemo hucusque prodidit. Eum qui regum legatorumque Asiaticorum literas et orationes Europaeo regi interpretatur, Gallice *der Interprete* dicere solemus. Ejusdem generis et Gallicum *Drogman* et *Trucheman*, nostrum *Drogemann*, seculoque XV et XVI, *Trutschelmann*, ex Arabico ترجمان depravata. Nempe interpretem ita vocare solemus, ut ab exteris, apud quos illo nobis opus, vocari audivimus.

1304. לֵץ *irrisor.*

Frequentissimum Salomoni in proverbiis nomen, cui irrisorem religionis et virtutis denotare solet. Notanda ibi, saepius recurrens, malorum gradatio, 1) פתי, *fatuus*, *simplex*, qui inscitia magis quam obfirmatio-

matione animi malus est, 2) כְּבָל *stultus*, multo jam pejor, 3) לֵץ, de cujus emendatione desperare philosophus solet. Loca aliqua insigniora excerpo, Prov. IX, 7. 8. XXI, 11. 24. Similis, sed aliorum verborum gradatio, Ps. I, 1. ubi post רשעים et חטאים ultimo loco לצים ponuntur. *Λοιμὸν*, *pestilentem*, saepe vertunt LXX, paraphrastica libertate? an quod Hebraei illius temporis ex Graeco λῃστής tale verbum fecerant, quale Arabicum est, لصّ *latro*. Latrones proprie Graecis λοιμοί.

1305. לוש *depsere*, inde לֶשׁ *placenta* Num. XI, 8.

Pro לשד השמן, ex quo sanam sententiam extorqueri posse desperavi in biblioth. Or. nova T. III. p. 223. veterum aliqui ibidem memorati, לש דבש *placenta mellis*, vel לש השמן *placenta olei*, legerunt, interpretati, Syrus quidem Chaldaeusque harmonice, לישׁ, LXX ἐγκρὶς, Arabs Erpen. اسفنجية *spongiosa placenta*. Hoc verbum, quo lexica nostra hucusque caruerunt, quis non praetulerit. Vide et de utriusque lectionis compositione ex qua melior adhuc sententia prodit, scripta num. 448 sub דהש.

1306. לוה *vilis, profanus fuit* לזות Prov. IV, 24. *vilitas, profanitas.*

Verbum לזה, Arabibus notum, omittere lexica Hebraica solent, et לְזוּת שפתים, quod *declinationem labiorum*, recentiorum plerique vertunt, ad radicem לוז referre, invita quidem grammatica, quippe quae לָזוּת cum Kamets invariabili posceret, grammaticae autem rationem qui habent, edicunt לזה idem esse, quod לוז, nempe, *recedere*, *declinare*, *curvum esse.* Praeierat Kimchius. Mirum, Arabibus verbum habentibus, ne Schultensium quidem ejus significatum, filo orationis aptissimum, Hebraico nomini לזות commodasse.

Ex veteribus, Vulgata quidem habet, *detrahentia labia*, LXX, Syrus, Chaldaeus, Arabs, concinere in Proverbiis soliti, *injustitiam* (ἄδικα χείλη), conjectura, ut puto, ex serie orationis ducta.

Conjicere desinamus, ac consulamus Arabiam. Habet illa لذي, quod, ut ex Golio discimus, Camus interpretatur, تبذل. Hoc verbum qui in Golii lexico p. 242. evolverit, intelliget, et de *vilioribus* vestibus poni, et de *liberalitate*, addiderim et, *prodigalitate*, forte hac notio

tionum ſerie, 1) vilis fuit, 2) vile habuit, 3) prodigus liberaliſque fuit rei, ipſius adeo in bello vitae, chreſt. p. 80. ubi cum in ipſo verſu ſit, *tempore praelii* نرخص انفوسنا, *vili pretio aeſtimamus vitam noſtram*, nota ſubjecta id explicat, بنذلها. Verum et addenda alia verbi بذل notio, lexicis neglecta, *profanavit*, inque quinta, *profanus* vel *profanatus fuit*, cujus exempla adſcripſit Golio pater meus, Exod. XX, 25. Levit. XX, 3. XXI, 4. 6. &c. Ergo ex mente Camuſi, لذي fuerit, ſive, *vilis*, ſive *profanus fuit*: utrumque loco Proverbiorum aptiſſimum, remove ab ore tuo לזות שפתים ſive, *vilitatem labiorum*, turpes ſermones, ſive, *profanitatem labiorum*.

1307. לְחִי *Maxilla*: nomen proprium geographicum. 1 Sam. XXIII, 11. &c.

לחי *maxillam*, ex qua fons erupit, Jud. XV, 19. non maxillam aſini proprie ſic dictam eſſe, ſed locum in petra Etham, dudum monuerunt prudentiores, atque adeo in lexica receperunt. Hoc ergo jam ſumo, nec doceri a me lectores velint. Si quorum tamen intereſt, notas legant Germanicas ad librum Judicum.

Eodem et modo לחיה 2 Sam. XXIII, 11. accepit Joſephus Ant. VII, 12, 4. ubi Philiſtaeos caſtra habuiſſe dicit, *εἰς τόπον Σιαγόνα λεγόμενον*, *in loco, cui nomen eſt, Maxilla*.

Videtur et in linguis cognatis *Maxilla* nomen fuiſſe altiorum et aſperiorum montium, maxime ubi illis ſubjecta vallis, fontem erumpentem (מכתש Jud. XV, 19.) habens. Metropolis Moabitarum, ער מואב, vel רַבָּה, Graecis, *Areopolis*, Chaldaeis interpretibus jam eſt, לחית מואב, *Maxilla Moabitica*, jam ſimpliciter, לחית, Num. XXI, 16. 29. Jeſ. XV, 1. de cujus ſitu Abulfeda p. 90. 91. Syriae: *prope a Rabba collis valde altus, in quo aedificium, Schaichan nomine, e longinquo conſpicitur.* Habent et Arabes *Lichjanitas*, لحيان, incolas vallis ſub aſperrimo monte, ad cujus faſtigium unicus modo callis aditum praebet, exque illo alius periculoſiſſimus in vallem ſubjectam deſcenſus, quem volunt ſuum fortitudinis-prodigium, Taabbatha-Scharr, ſalvum tentaſſe. Vide Chreſtomath. Ar. p. 54. Videtur certe, ubi hoc nomen in geographia Orientali occurrit, ad ſitum locorum attendendum.

1308. לחם, et כלחם, (verbum).

Quomodo accidat, ut hoc verbum, unum idemque literis, tot diversas, duarum maxime classium, significationes, cum apud Hebraeos habeat, tum plures etiam in reliquis linguis orientalibus, ut 1) *comedendi* Hebr. 2) *irascendi*, ac 3) *minandi* Syr. 4) *pugnandi*, *bellum gerendi*, Hebr. 5) *solidandi*, *firmandi*, Arab. 6) *aptitudinis*, *aptandi*, *apte disponendi* Syris, expedire non audeo, nec eas serie etymologica disponere. Suspicor tamen, cum ח duplici modo efferri possit, ح, *Hha*, et خ *Cha*, hic accidisse quod saepe in ח radicali, ut duo verba, sono et significatione diversa, sub easdem literarum figuras coierint.

Castellus cum in lexico Syriaco ܠܚܡ inter alia verteret, *insidiari*, idque psalmo LVI, 2. 3. esset aptissimum, ausus sum in versione germanica ad hunc locum transferre, maxime, cum כלחם in Niphal sit, *bellum gerere*, hic vero in Kal bis ponatur, et vero de hostibus occultis et delatoribus, לחם ילחצני, — — et לחמים לי. Sed postea, lexicon Castelli edens, animadverti, hanc ab eo significationem ex loco Marc. VI, 19. male intellecto sumtam, ergo abdico. Nec tamen, quod ne grammatica quidem fert, *bellum gerentes*, intelligo, sed homines inimicissimos, iram tamen quodammodo prementes aut dissimulantes; sic alia via prope ad eandem sententiam pervenerim. Vide lex. Syr.

1309. לֶחֶם, *cibus*, *panis*, *caro*, *triticum*.

לֶחֶם ex prima significatione non *panem* esse, sed *omnem cibum*, *omne quod comeditur*, a comedendo dictum, viderunt ex lexicographis prudentiores, brutorum etiam et alimentum, ut Ps. CXLVII, 9. Est tamen vel maxime notandum, ob aliqua codicis sacri, male intellecta. Primo statim loco, ubi לֶחֶם legitur, Gen. III, 19. de pane accipi omnino nequit, in illa enim mundi generisque humani prima infantia, panem, cibum valde artificiosum, frumenti cultu, tritura, molis, pinsendi arte opus habentem, notum jam fuisse primis, quos Deus alloquitur, mortalibus, quis sine teste sumserit? Peccarunt contra historiam, omnemque veri speciem, qui ibi panem verterunt. Lege et 1 Sam. XIV, 24. 28. videbisque, vel Sauli tempore, inque ejus adjuratione, לחם omne complecti quo vesci possumus, mel adeo silvestre ex arboribus defluens: quod nisi fuisset,

ſet, paratiſſima Jonathani excuſatio, nec religione ſtulti teneretur juris jurandi, qui panis ne micam quidem guſtarat.

Jam vero generale cibi vocabulum, antonomaſtice ponitur, Hebraeis quidem de *pane*, Arabibus, agros non colentibus, ſed carnes gregum ferarumque in cibis praecipuis habentibus, de *carne*. Caro لَحْم, unde لَحِم *carnis adpetens*, et plura, quae lexica dabunt Arabum, derivata.

Hac quidem ipſa Arabica ſignificatione, oppoſitum generaliori cibi nomini, אכל, ponitur Pſ. LXXVIII, 20. Adcuſantur Iſraelitae, quod, cum mannam haberent, alium cibum pro lubitu ſuo (אכל לנפשם) concupiverint, dicentes, הגם לחם יוכל תת id vero eſt, cum non panem ſed carnem hiſtoria teſte querulis vocibus expetierint, *num et carnem dare poterit?* atque ſic ſtatim in membro ſequente aliis verbis dicitur, אם יכין שאר לעמו *parabitne carnem populo ſuo.*

Ulterius etiam progreſſi לְחֻמָם, Sophon. I, 17. aliis vocalibus animatum, לחמם LXX et Syrus, σάρκας αὐτῶν, verterunt, *corpora humana* intelligentes, clariusque adeo Vulgata, *corpora*, et Chaldaeus כבלתהון *cadavera illorum.* Eximia ſententia: *et effundetur ſanguis eorum ſicut humus* (ſic Vulgata, ego mallem, *humi*) *et corpus eorum ſicut ſtercora*, quam in bibliotheca Orientali nova T. II. p. 230. 231. praeferre punctis maſorethicis timidiuscule auſus ſum, inque verſionem recepi.

Alius vocabuli uſus antonomaſticus, pro *tritico*, lexicis ignotus, licet praeierint veteres. לחם Jeſ. XXVIII, 28 vix *panis* eſſe poteſt, *comminui* enim, mola ut fere putant, dicitur. Ingenioſe Lutherus, *man mahlt es zu Brodt*, verum in Hebraicis, לחם יודק, ipſe לחם comminuitur. Hic quidem Chaldaeus et Syrus עבורא, *triticum*, verterunt, proximusque illis Hieronymus in commentario, *panis autem, id eſt triticum, de quo efficitur panis.* Suppetias fert linguae Arabicae analogia, cui a طعم *guſtare, veſci*, طَعَام, *cibus, edulium, peculiariter triticum.* Eodem modo et c. XXX, 23. accipiendum videtur in לחם תבואת ארצך, ob ea quae ſequuntur, שמן ודשן; vix panem proventum terrae tuae, pinguem dixeris, at recte *triticum proventum terrae, pingue.* Forte eodem modo et Job. XXVIII, 4. accipiendum.

Eruditorum haud paucis, lexicographis adeo, לחם generis eſſe communis viſum, ob Geneſ. XLIX, 20. מאשר שמנה לחמו, quod ver-

tunt, *pinguis est panis ejus*: alii, ut anomaliae consulerent, Kimchius et Salomon Ben Melech, לחם hic poni volunt pro ארץ, *terra*, quae sit generis feminini. Mihi omnia expedita, modo שְׁמֵנָה ut substantivum accipias, *ex Asere pinguedo*, *cibus ejus solitus*. Alium pro genere feminino locum adfert Simonis, Levit. XXIII, 17. ubi, cum praecessisset לחם תנופה, *panis oblationis*, in feminino genere sequitur, שתים - - סלת תהיינה חמץ תאפינה. Sed nec hoc certum exemplum, possint enim haec omnia sequi genus, non לחם, sed sequentis תנופה, DUAE *oblationes erunt*, *fient ex farina* etc. — Video etiam ante hos omnes, Graecos Job. XXIV, 5. לחם feminine construxisse, ibi enim cum sit, עֲרָבָה לוֹ לחם, aliter adpellantes, proque verbo habentes, עָרְבָה, verterunt, Symmachus, ἡδὺς ἑκάστῳ ἄρτος εἰς νεανίσκους, et Origenes, LXX haec ommittentes, sive ex Hebraico textu, sive ex Theodotione supplens, ἡδύνθη δὲ αὐτῷ ἄρτος εἰς νεωτέρους. Nec versione delector, nec putem, ejus auctoritatis grammaticos esse, qui diu post emortuam linguam Hebraicam, et ante inventam grammaticam artificialem, vixerunt, ut illis fides haberi possit. — — Ergo mihi, donec certioribus argumentis alia edocear, לחם masculinum.

1310. מִלְחָמָה *bellum*, *adparatus belli*, *arma*.

Duo sunt loca, ubi non tam bellum ipsum, quam arma et instrumentum belli significare videtur, cum verbo *frangendi* constructum, et inter alia armorum nomina lectum: Ps. LXXVI, 4. *ibi frangit alites arcus*, *clypeum*, *et gladium*, *et* מלחמה; et Hos. II, 18. *arcum*, *et gladium*, *et* מלחמה *frangam ex terra*. Facilis, nec insolens figura orationis, aut si נלחם *bellum gerere*, ex origine est, *armari*, ab *aptandi* notione, quam ܠܚܡ apud Syros habet, ne figura quidem, sed dictio satis propria.

1311–1315. לחש cum derivatis.

Mussitandi notionem verbo dederunt lexicographi, unde volunt incantationes dictas: illam quidem ei non negaverim, sed habet praeterea alias, nec incantationes a mussitando nomen accepisse videntur. Nomen ornatus muliebris, לחשים, non recte videntur intellexisse. Multum hic quidem debemus Nicolao Guilielmo Schroedero, in capite XI. libri de vestitu mulierum Hebraicarum eruditissime, et de his לחשים, et de verbo

bo לחש unde nomen illis ductum disputanti, cujus inventis lexica sua non ditasse, qui post eum scripserunt, atque adeo ad hanc ipsam vocem citarunt, quasi eadem, quae ipsi ex aliis lexicis transtulerant, haberet, miror. Equidem illum non exscribam, sed cum ab ejus lectione doctior recesserim, mea faciam meisque inferam, quae me docuit. Est autem de verbo et nomine, atque adeo de verbo primitivo et denominativo seorsim agendum. Ergo

1311. לחש verbum primitivum, radicem, (*lambere, vix audibilem sonum vel sibilum edere*),

lingendi, lambendique notione Arabes habent, ex lexicis notissimum. *Lingere pateram* dicunt, *dulcia*, *lambere aquam:* exempla, quibus Golius dicta non firmavit, a Castello collecta ex bibliis Arabicis invenies. Aliud ut addam, in fabula Locmanni *felis*, *limam ferream inveniens* يلحسه بلسانه *lingebat illam lingua*, *donec sanguis proflueret.* Quin et est, *mandere*, *mordere*, ut Apoc. XVI, 10. يلحسون بالسنتهم Gr. ἐμασσῶντο τὰς γλώσσας αὐτῶν. Hinc et obscurus ac tenuis sonus, qualis est lingentium, sorbentium, vel etiam manducantium, dici potuerit, ac de loquente si ponatur, exilis sonus clam loquentis ac vix labia commoventis: *flistern* eximio verbo germanico dicimus, Latini, non aeque bene, mussitare. Sic quidem 2 Sam. XII, 19. Ps. XLI, 8. accipi, prope manifestum, atque in omnia quae inspexi lexica receptum. Praeiverunt, felicissimo suae linguae verbo usi, LXX. utrobique, inque psalmo Symmachus, ψιθυρίζειν, Vulgata non eadem linguae felicitate, in libr. Sam. *mussitare*, in psalmo, *insusurrare*, Chaldaeus in psalmo, *loquuntur in occulto*, sed in libro Sam. eodem verbo reposito, מלחשין, quod et utrobique facit Syrus, ܡܠܚܫܝܢ. Et hoc quidem verbum, ut ex lexico Syriaco disces, significationis linguis Orientalibus usitatae certius argumentum. Bar Aly Syriace interpretatur, ܪܛܢܘ *mussitarunt*, reliqua quae ad clandestinum sermonem redeunt, vide illo in lexico.

1312. לַחַשׁ *serpens*, (ornamentum muliebre aureum) Jes. III, 20.

Hoc quid sit, primo distincte exposuit Schroederus de *vestitu mulierum Hebr.* c. XI., post expensas aliorum sententias, §. 6. 7. لحس, *lambere*, et de serpentibus ponere Arabes monet, (p. 172. 173) fere ut Virgilius habet, *sibila lambebant linguis vibrantibus ora:* hinc

hinc factum; ut participium لاحس et لاحسة poetis in substantivum quoque, serpentisque nomen, ex epiptheto abeat; c. 9. ut *venena spargunt* اللواحس *lambentes*. Quamquam equidem suspicor, *mordentes* quoque verti posse: sed parum interest, constat enim لواحس serpentes esse. Hinc לחשים ornamenta virginum Jes. III, 20. explicanda, *serpentes aurei*, quos ornatus et amuletorum loco inter ubera dependentes habebant. Vide ipsum, nolim enim describendo aut longior fieri, aut compilator injustus. Sola ex eo describo loca Josephi Carabuci fil. hist. Arab. c. XVI. *Arabum paganorum feminae aureos serpentes inter ubera suspendebant, amuletorum loco, sed propheta interdixit, quod serpens esset imago Satanae.* Clemens Alexandr. Paedagogi l. II. p. 209. ὡς τὴν Εὔαν ὁ ὄφις ἠπάτησεν, οὕτως καὶ τὰς ἄλλας γυναῖκας ὁ κόσμος ὁ χρυσοῦς τοῦ ὄφεως τῷ σχήματι, σμυραίνας τινὰς καὶ ὄφεις ἀποπλαττομένας εἰς εὐπρέπειαν, addens et Nicostratum comicum testem, cui in mundo muliebri ettiam memorentur, ὄφεις serpentes. — — Ante Schroederum plerique aut *inaures*, aut generatim *amuleta* vertere solebant: nec amuleta prorsus repudio, possunt enim ipsi serpentes in amuletis habiti fuisse, aut in veneficiis amorem puellae conciliantibus: ut enim apud Latinos Cupido telis suis vulnerat, cujus venenum imbibunt percussi, sic Orientalium poetis serpens virginis mordet, amatorie mordet. Nec tamen proprie est, *amuletum*, sed *serpens*. Reliqua ex ipso Schroedero disce.

1313. לָחַשׁ *serpentes incantavit*, deinde et generatim, *incantavit*, *malefico carmine usus est.*

A serpentibus ortum denominativum, לָחַשׁ *carmine magico serpentibus vim nocendi demere*, *eos incantare*, illarum regionum, in quibus serpentes noxii sunt, frequens impostorum artificium. Sic ponitur Ps. LVIII, 6. ubi *serpens surdus non audit vocem* מְלַחֲשִׁים *incantantium*, quod statim explicatur, חובר חברים מחכם, *concinnantis carmina*, *periti*. Late per Asiam et Africam artificium patet, maxime jam in India et Aegypto. Evolve, si et descriptionem rei, et imaginem serpentum venenatissimorum ad modos adeo saltantium videre cupis Kaempferi *amoenitates exoticas* Fasc. III. Obs. IX. cum adjecta tabula aenea. In Aegypto ejusmodi serpentes, impostorum nutu, in colla puellarum, quas puras virgines putant, insilire solent illisque innoxie circumvolvi. Mihi jam diu ita

ita visum, praeter reliqua artificia, quibus serpentem domant et adsvefaciunt, et hoc accedere, ut quatuor dentes venenatos, qui soli lethales, effringant, quod quidem facile fieri potest, sunt enim minus in gingivis firmi, atque adeo in corio quod admordet serpens, haerent: jam non suspicor, sed testibus scio, missionariis in India Danicis, ita fraudem peragi. Vide *Jo. Ludov. Schultzii Neueste Geschichte der Missions-Anstalten, XXXIIstes Stück* (Halae 1787) p. 872., aut, si hunc librum adipisci nequeas, biblioth. nostram Orientalem novam T. V. num. 78. p. 49. Hinc

1314. לַחַשׁ *incantatio serpentum*, latius, *veneficium et praestigiae universim.*

Proprio sensu de serpentum incantatione ponitur Jerem. VIII, 17. Cohel. X, 11. latius de omni veneficio, illo maxime, quod Orientales extimescere solent, oculi maligni, Jes. XXVI, 16. Castigationes dei, ac mala hujus vitae, esse dicuntur צקון לחש *custodia a praestigiis, amuletum contra oculum malignum.* Ad sententiam explicandam confer Proverb. XXV, 12. 2 Sam. XVI, 12. notasque germanicas.

Praeter haec exempla codex adhuc Erfurtensis primus Ps. XLII, 10. habet, לַחַשׁ אויב, sive *praestigias maleficas invidorum hostium;* sive *eorum clandestina consilia:* nullo tamen alio ex Kennicotianis codicibus accedente non ausim lectionem probare, elegantibus forte librarii lapsibus adnumerandam.

1315. הַלּוֹחֵשׁ Neh. III, 12. X, 25. Nomen proprium.

Mentio erroris facienda, qui ipsas irrepsit Buxtorfii concordantias, ex Davidis Kimchii lexico haustus. Est, ut ex tota serie orationis liquet, nomen proprium, *Hallochesch:* id tamen negabat, libroque radicum illatum, adpellative בן הלוחש verti, *filium incantatoris serpentum,* jubebat Kimchius, quia nomina propria ה praefixum non admittant. Praefigi quidem illis nequit, verum hic pars est nominis proprii, quod non לוחש fuit, sed הלוחש. Peccavit etiam, quod incantatorem serpentum vertit, hanc enim notionem verbum in Piel, non in Kal habet: rectius Simonis p. 413. nomen proprium, *mussitator*, vertit, ut latini, *Blaesus, Blaesius, Balbus*, in cognominibus habeant: quamvis multa et alia participium Kal significare possit. Sed haec non exquiro, satis habens, fontem

tem erroris indicasse. Recte in plerisque lexicis recentioribus omissum. Sed olim habebant, ut, Reuchlinianum.

1316. לטש *malleavit, acuit, polivit.*

Quinquies occurrit Genes. IV, 22. 1 Sam. XIII, 20. Ps. VII, 13. LII, 4. Job. XVI, 9. *Acuendi* et *poliendi significationem* habent lexica, veram illam quidem, nec tamen primam, atque adeo ne loco quidem primo, ubi verbum occurrit, expediendo aptam. Quid quaeso est, de primo inventore artis, rudis tum atque in infantia, *poliens omnem fabrum?* aut quod placuit aliis, *politissimus, perfectissimus fabrorum omnium?*

Egregie vero, et linguae perite, LXX σφυροκόπος, et Vulgata, *malleator*, ex qua et lexico, sed dubitans, intulit Reuchlinus. لطس Arabibus est, *collidere, ut, lapidem lapidi, tundere.* לוטש כל sic intelligo, *omnia malleo*, aut, si malleus illo in initio non fuit, *tusione malleationi simillima lapidis aut alius metalli tentabat.* Nempe metalla sunt, ut periti naturae ea definiunt, *corpora dura, fusilia, malleabilia:* jam cum primus aliquod metallum, ferrum forte, invenisset, diuturnam per vitam, aliquot, ut tum res erant, seculorum, primo plura igne experiebatur, deinde, quae fundi poterant, malleo, atque sic plura metalla detexit. Metalla quae non sunt, ut lapides igne vehementiore liquati, quaeque metallis adhaerent, scoriae, vitrescunt, ictuque mallei dissiliunt. Eximia descriptio inventae insignis artis, et Mose digna. Vide notas germ. A malleando deinde et *cudere ferrum, acuere, polire*, dictum: sed hoc in propatulo. *Malleandi, cudendi, fabricandi* significatu לטש acceperim 1 Sam. XIII, 20. Fabricandi ferri caussa Hebraei ibi ad Philostaeos descendunt, ac versu sequente ipsi instrumento aliquo, aut lapide poliunt acuuntque.

1317. לילית Jes. XXXIV, 14. *Spectrum? daemon? an avis deserta habitans.*

Erudite de vocabulo ἅπαξ λεγομένῳ Bochartus egit, T. II. l. VI. c. 9. hierozoici, quo lecto, vix dubitabis, quin sit, *spectrum* aliquot, φάντασμα, *daemon*, fabula Orientis. Id quidem maxime confirmat lingua Aramaea, in qua nomen superest, et ab utroque interprete repositum, Chaldaeo לילין habente, Syro ܠܛܐ, manifesto librarii errore vel editoris,

pro

pro ܠܠܝܬܐ, quod ipſum nomen et lexica Syrorum habent, et Bar-Ali, (verba ipſa in lexico Syriaco dedi) *daemonem, adparentem ſpecie ornatae feminae*, vel generatim, *daemonem* i. e. ſpectrum vertit. Hic quis obverterit, ſpectra ſe et *φαντάσματα* non credere? In poetica vaſtitatis deſcriptione imagines etiam a fabulis petimus: quin vel in proſa, vulgarique adeo ſermone, Germanice dicimus, *ein bezaubertes Schloſs*. Ergo haec mihi, donec alia doceat, verior videtur explicatio. Aliorum errata, ut Kimchii, qui chamaeleonta habet, lege apud Bochartum.

Sola adſcribo Hieronymi verba, maxime, quod illis abuſus in aliam rem videtur Bochartus: — *lamiam*, inquit, in commentario in Jeſaiam, *quae Hebraice dicitur LILITH, et a ſolo Symmacho translata eſt lamia, quam* QUIDAM *Hebraeorum* ἐριννὺν, ID EST *furiam*, SUSPICANTUR. Hinc Bochartus efficit, Arabicum غول pluralitet غِيلَان, quod hic pro Graeco ὀνοκένταυροι, Arabs ponit, *furias* ſignificare: daemonem quidem notat, et vero perquam maleficum, homines invadentem, forte et incubum, ſed non diſertim eas, quas Latini furias dicunt.

Novi quid, quem deinde plures ſequuti, adferre in ſuo Jeſaia tentavit Doederlinus, ex Golii lexico, in quo forte aliquid commiſſum erroris: poſſit tamen indicio ad verum eſſe, ſi verum nondum repertum. Avem ليل dictam habent Arabes, quam Golius pag. 2183. *tardam avem ejusque pullum, et pullum* τῆς كروان (i. e. perdricis) interpretatur. Jam Doederlinus: *tutiſſimum duco Arabicum Lailon conferre, quod ſecundum Golium tardam avem ejusque pullum, ſ. otidem veterum, avem ſordidam, foetore horrendam, ſolitudinis amicam. Prolixiorem ejus deſcriptionem cum icone reperias apud Shaw Trav. p. 252.* Eam quidem, cujus paginam citavit, editionem Shawii non habeo, ſuſpicor autem citari, quae in optima editione Anglica, Londini 1757, pag. 183. 184. inque verſione Germanica p. 162. 163. de Hoobary (حبارى) reperio: ſed hoc utcumque ſit, Shawio teſte erravit Golius, حبارى *tardam avem, otidem*, vertens: convenire ait colore, habitu corporis, &c. ſed magnitudine multum differre, duplo majorem. Id tamen relinqui videtur, ad otidis genus pertinere. Giggei quidem lexicon haec habet: *gradipes avis, pullus ejusdem, pullus perdicis.* Certi ſtatuere quidquam nequeo, donec ipſa Arabica verba, ſive Geuhari. habeam, ſive Camuſi, ſive *Vanculii,* Conſtantinopoli impreſſi: haec ſi nactus fuero, addam, et quid ſentiam dicam.

1318. לַיִשׁ *leo*, Jes. XXX, 6. Prov. XXX, 30. Job. IV, 11.

Arabice, لَيْث, Chaldaice ליתא. Leonem esse, omnes consentiunt, sed mira de ejus aetate divergia.

Veteres passim *catulum leonis* interpretantur, ut in Jesaia LXX, σκύμνος λέοντος, Chald. בַר אַרְיָן, Syrus ܒܪ ܐܪܝܐ *catulus leonis*, quod quidem illi loco satis aptum, leaenae nomine praecedente, (*leaena, et catulus leonis*): sic et in Proverbiis, LXX, Syrus et Arabs, شِبْل الاسد, cui loco minus aptum, quod a magnifico incessu לַיִשׁ laudatur, ut potius de adulto leone, quam de catulo sermo institui videatur. Unum addo, in Jobo neminem quidem ita vertere, sed et ibi filo orationis catulum satis aptum, cum in altero versus membro בני לביא *filios leaenae* legas.

Veteribus hic probabilia habentibus, recentioribus plane contraria placuerunt, quos refellit Bochartus Hieroz. P. I. libr. III. cap. 9. p. 720. Nempe in Jobi loco vetulum esse volunt et decrepitum leonem, qui fame pereat, quod praedam assequi nequeat. Fateor, id Job. IV, 11. locum habere posse, nec ad rem facit, quod opposuit Bochartus, *non magnopere laudari potentiam Dei, si leo decrepitus praedae inopia pereat*: nec enim in eo est Elifazus, ut Dei potentiam laudet, sed ut solitas injustorum poenas in exemplo leonis describat, qui multo sanguine fuso, tandem senectutem miserrimam trahit, fame, quam unam omnium minime ferre potest furens stomachus, sed tamen fame enecandus. Nec quae etymologica illum ad locum habet Schultensius, quidquam momenti adferunt, cum quod incerta sunt, tum quod saepe ultra etymon patet usus. Sed, quem et attulit Bochartus, rem perficit locus Prov. XXX, 30. decrepitum enim leonem quis ut exemplum magnifici proponat incessus? aut fortissimum dicat animalium?

Utrosque inter medii, et verum tenuisse videntur, ex lexicographis nostris primi, *magnum leonem*, id est, non juvenem, sed plane adultum, intelligentes: Kimchius, הוא האריה הגדול, Reuchlinus, *leo magnus*. Id Proverbiorum loco unice aptum. Sic fuerint tres aetates leonis, 1) גור *catulus*, ante pubertatem 2) כפיר *juvenis*, cum stimulos Veneris persentiscit 3) ליש *plane adultus, viribusque perfectis*.

Liceat et de quibusdam veterum dicere in Jobi libro versionibus:

1) Aquila ibi, consonante Graeco vocabulo, Λίς, forte quod ex Orientali ortum putaret, quae et Bocharti est sententia, et mihi veri

non

non dissimilis: quas enim Graeci nominis adfert derivationes etymologicum magnum, non magis probaverim, quam Bocharto probabantur, cumque leo extera Graecis bellua, et Asiatica, quis miretur, Asiatico eam poetas nomine appellasse?

2) LXX μυρμηκολέοντα, *formicarum leonem* verterunt, de quo vide Bochartum, T. II. libr. VI. cap. 4. Dubio caret, ليث Arabibus id significare posse: sed nullam caussam video, cur in Jobo formicarum leo vero leoni sit praeferendus. At est in Aegypto et circa Alexandriam frequens, haec forte Alexandrino interpreti caussa, domesticum sibi et notissimum animalculum sacro codici inferendi. Utinam docere me quis dignetur, quodnam vocabulum Coptica hic habeat versio.

3) Male, nec sibi ipsi constans, in Jobo Hieronymus, *tigrim*, vertit, a Judaeo forte Lyddensi, quem in illo vertendo magistrum eximie laudare solet, ita edoctus. Posset sane ex etymologia tigris ita dici, cum لوث Arabes de *contaminatione*, ex *mixtione colorum* dicant, a *maculis*: sed obstat usus linguae Arabicae in nomine لَيْث *leo*, et Proverb. XXX, 30. tigrim enim nemo pulcherrimam incessu, aut fortissimam belluarum, leoni praeferens, dixerit.

1319. לַיִשׁ nomen proprium Jes. X, 30.

Haec Laisa, non potest esse celebris illa ad Libanum, Judic. XVIII, 29. sita enim in proximo Hierosolymae, milliari circiter germanico ab urbe, Ramam inter, quae VII, et Anathotham, quae III milliaria Romana a septentrione Hierosolymae. Satis verisimiliter suspicatur Wernsdorfius, in scripto *de fide historica librorum Maccab.* §. 80. eam esse Laisam, quae 1 Macc. IX, 5. in Vulgata, pro Graeco Ἐλεάσα, vel Ἄλασα, legitur, ad quam Judas ante praelium commissum castra habuit. Situs sane locorum concinit. Vide adnotationes ad librum Maccabaeorum.

1320. לָכַד, הִתְלַכֵּד Job. XXXVIII, 30.

Verbum ipsum, לָכַד, *capere*, *prehendere*, satis notum: de uno dicendum Jobi loco, maria, glacie obducta, sic describente: *aqua tanquam sub lapide occultatur*, וּפְנֵי תְהוֹם יִתְלַכָּדוּ *et superficies maris cohaeret.* Huic explicando nota, Arabicum لَكِدَ esse, *adhaesit*, et in quin-

quinta تلكّك *junctis inter se compactisque partibus fuit res.* Forte prima verbi vis est Arabica, *adhaerendi*, *cohaerendi*, unde dein prehendere, capere dictum, omni usus latitudine. Aliquid ejusmodi habet Schultensius ad Job. IV, 13. nimis tamen etymologice, et coacte, *visco capiens sapientes:* contra nostrum locum, ac si tale nihil ei ante in mentem venisset, inconcinnius vertit, *facies Abyssi vinculis semet constringunt.* — — Adde et Job. XLI, 8. ubi de squamis seu scutulis crocodili: יתלכדו ולא יתפרדו *cohaerent sibi invicem*, *nec separantur.*

1321. לָכֵן, aliquando pro, לאכן.

Consveta significatio particulae frequentissimae, ex כן et praefixo ל, compositae, *propterea*, maneat, cujus, si volupe sit, exempla innumera in Noldii concordantiis reperies: sunt tamen aliqua loca, quibus haec significatio vix apta, atque ubi videtur SED esse, ut Arabum لَكِنْ pro لَاكِن (Hebr. לא כן). Nempe in verbis perquam frequentibus, ut, particulis, א quiescens omitti solet. Vide gram. Arab. §. 22. p. 102. Sic quidem accipere mallem, Jerem. XXX, 16. *propter peccata tua feci tibi haec omnia*, (לכן; *SED omnes devorantes te devorabuntur*, *et omnes hostes tui ibunt in exsilium:* — — et Mich. V, 2. *Bethlehemi nascetur rex* exoptatissimus, (לכן) *SED tradet illos* (Deus) *usque ad tempus quo puerpera pepererit.*

LXX adeo לכן bis in Genesi οὐχ οὕτως interpretati sunt: Genes. IV, 15. καὶ εἶπεν ὁ Κύριος ὁ Θεὸς, οὐχ οὕτως, *(non ita fiet)!* πᾶς ὁ ἀποκτείνας Κάϊν, ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει, et, perquam verisimiliter, ac valde probabili sententia, Genes. XXX, 15. εἶπε δὲ Λεία· οὐχ ἱκανόν σοι, ὅτι ἔλαβες τὸν ἄνδρα μου; καὶ τοὺς μανδραγόρας τοῦ υἱοῦ μου λήψῃ; Εἶπε δὲ Ῥαχὴλ· οὐχ οὕτως *(neutiquam ita)*: κοιμηθήτω μετά σου τὴν νύκτα ταύτην ἀντὶ τῶν μανδραγορῶν τοῦ υἱοῦ σου.

1322. למואל Proverb. XXXI, 1. 4.

Nomen proprium fictum regis, qualem votis concipere possis. Vera si scriptio, (suspicio enim subrepsit, לְמֻדָּאֵל, *doctus a deo* legendum) et ל si radicale; erit: *totus deo dicatus*, *deo sacer.* In vocali literae Vau varia-

variatio: Cholem, לְמוֹאֵל praetulerim. Lamed si praefixum, vide infra sub מואל.

כלמד quaere sub כ.

1323. למד et verbum, et nomen literae.

De verbo nemo dubitabit, quin למד sit, *didicit*, Syris (*) atque Arabibus, non verbum quidem hac significatione, sed tamen inde derivatum nomen, ܬܠܡܝܕܐ, تلميذ *discipulus*, habentibus, ex quo et ipsa verba denominativa faciunt.

At primam hanc vim verbi fuisse, quis credat? Primae notiones verborum aliquid in sensus incurrens habent, suntque rudioris seculi, non literis discendoque exculti: atque quod plus est, ipse literarum inventor suae undecimae nomen *Lamed* fecit, ut למד jam antequam vel literae essent, aliquid significasse, et vero perquam vulgare, videatur, reliquarum enim literarum nomina omnia a rebus obviis et notis petita.

Arabibus quidem لمك *percussit*: inde dictum putem לָמֵד *baculum*, cujus figuram, maxime si *ansam* illi dederis, Lamed litera pluribus in alphabetis imitatur. Bene ludens inventor alphabeti conjunxerat, יד *manum* exporrectam, כף *manum* incurvatam, atque aliquid prehendentem, למד *baculum*.

Omisissem haec, nisi ad sequens מלמד aliquid facerent. Caeterum, quo modo acciderit, ut eodem in verbo discendi notio deinde haeserit, non habeo dicere, nec enim velim turpissimorum hominum, qui nonnunquam ausi sunt baculo literas et linguas impingere, quos ipsos velim et justum pronuntiem, juvenibus vapulare, qui illis pueri vapularunt, DISCERE derivare. Absit blasphemia dicto: quaeratur alia *discendo* etymologia.

1324. מַלְמַד Jud. III, 31. *stimulus aratoris, quo bovem impellit.*

Accedo vix dubius lexicographis, jam a Kimchio inde *stimulum bovis* vertentibus, praeeuntibus Chaldaeo et Syro: nec tamen etymologia placet a Kimchio tralatitia, a docendo et adsvefaciendo bove: malim, a percutiendo, *baculum bovis* dictum esse. Descriptum illum vide ex Maundrello in *Hermanni Christiani Paulsen Nachrichten vom Ackerbau der Mor-*

(*) De his, quibus verbum male tribui solet, vide lex. Syr.

Morgenländer, §. 31. ſex fere pedum longitudine, cuſpide ferrea munitum. Telum ſane non ineptum, quo Samgar, non ſolus, ſed cum his quorum dux erat, ruſticis, fundere Philiſtaeos et ſexcentos humi ſternere poſſet. Veterum Germanorum arma, quibus non Philiſtaeos, ſed Romanos adgreſſi ſunt, et magno ad Amarim praelio vicerunt, his ſimillima, *haſtae i. e. frameae, anguſto et brevi ferro, ſed ita acri, et ad uſum habili, ut eodem telo, prout ratio poſcebat, vel cominus vel eminus pugnarent*, (Taciti German. c. 6.) atque adeo Germanicus illis objicit, *primam utcumque aciem haſtatam, caeteris praeuſta aut brevia tela*, ne his quidem Samgari armis comparanda. Vide Taciti Annal. l. II. c. 14. Alia dabit Bochartus in Hieroz. P. I. l. II. c. 38. p. 385.

Eſt tamen et de aliis dicendum veterum verſionibus. Arabs, neſcio unde, habet, فأس البقر *ſecurim boum*, Bocharto, ut videtur, non recte intellectus. De ſecuri accipere מלמד videtur, qua bovis mactandi frontem percutimus et elidimus: terribile ſane telum, et quod ipſum a *percutiendo* dici poſſit, ſeu potius dictum eſt Arabibus, quibus verbum فأس eſt, *percuſſit*. Opponit quidem Bochartus, ſcopo ſacri ſcriptoris hoc repugnare, qui hanc pugnam proponat ut rem inſolitam et paradoxam: verum quid hic, *ſecurim* inter lanionis et *ſtimulum* ruſtici intereſt, cujus ſimillimo, ut dixi telo, Arminio duce Germani non ſexcentos Philiſtaeos, ſed quinquaginta Romanorum millia ſtraverunt? Haec potius hiſtorici mens eſt, Iſraelitas, quibus gladiorum, aliorumque armorum, ferri adeo uſu interdixerant, his armis eos viciſſe, quae ſola relicta erant, quod illis ruſticus carere non poteſt: jam perinde, utrum ſint ſtimuli aratorum, an ſecures lanionis, quibus bovem mactaturus pater familias opus habet. Eſt et, quod explicationi favet, aliud ſtimulo aratorio nomen Hebraicum eſſe, דרבן.

Vomerem quod verterunt, cum LXX, tum ex illis Vulgata, et Bocharto mirum fuit viſum, nec mihi probatur. Suſpicor, eos *vomerem* intellexiſſe *cum eo aratri ligno, cui infixus eſt*, forte et ita aut erectum aut directum, ut hoſtem ferire poſſet: quamquam ne ſic quidem valde ſit metuendum, aut facile uſu, telum. Sed non video, quomodo a למד, ſive *diſcere*, ſive *percutere*, vomeri nomen duci potuerit, nec cur addatur, BOVIS.

1325. למס Job. VI, 14. verbumne?

Equidem ל pro praefixo habeo, et מס pro nomine; aut si hoc displiceat, quod in versione germanica secutus sum, tentaverim XXIII codicum Kennicottianorum lectionem למאס, *spernenti amicum suum sit opprobrium! is certe et timorem dei deseruit.* At videntur ex veteribus non pauci ל pro radicali habuisse, ut למס verbum sit: LXX ἀπείπατό με ἔλεος, Vulg. *qui tollit ab amico suo misericordiam*: eique simillime Chaldaeus, דְמָנַע מן חבריה חסדא *qui cohibet a socio suo misericordiam.* Haec quidem radix למס, *cohibendi abnegandive* notione, si unquam fuit, quod negare in hoc veterum consensu vix ausim, tota nobis periit: لمس Arabum, quod solum superest, alia omnia significat.

1326. לעב 2 Paral. XXXVI, 16.

מַלְעִבִים, quod ibi legitur, pro synonymo fere verbi מלעיגים, *sannas faciebant* legatis dei, habuerunt, nec recentiores modo, sed et, ut videtur, veteres: quos legens suspicari possis, מלעיגים olim scriptum fuisse. Nec tamen haec hucusque lectio nisi in duobus codicibus Kennicottianis inventa. Ergo potius contulerim Arabicum, لعب *ludere*, in secunda, *ludere*, *nugari*, *laetificari*, *irridere.* Exempla habe ex Corano, Sur. XLIV, 8 (vel 9) بَلْ هم في شكّ يلعبون *verum illi in dubitatione sunt, et irrident*, (doctrinam de uno deo et vita futura.) LXX, 42 *sine illos, ut errent* ويلعبوا *et irrideant, donec occurrant diei suo praedicto.* Primae significationis, ludendi, sat multa exempla dedit Castellus ut ab illis colligendis otium mihi factum videam.

Paulo aliter verbo Arabico usus est, illudque ad Hebraica transtulit S. R. Schulzius in lexico Hebr. Cum لعب inter alia sit, *salivare*, Hebraicum vertit, *inspuebant facies nuntiorum.* Quantum tamen ego video, لعب *salivare*, est puerorum ludentium, non, in faciem exspuentium.

1327. כְלַעַג, לַעַג Jes. XXXIII, 19.

Verbo לעג *subsannandi* significatio communi consensu tribuitur, et recte quidem: quaeri tamen cum de loco Jesaiae XXXIII, 19. tum de propria significatione verbi, a qua sannae dictae, posse video. Eodem ibi verbo, iisdem literis, uterque reddit Aramaeus interpres, מַלְעִיגִין בְּלִשָּׁנְהוֹן, ܡܠܥܓܝ ܠܫܢܗ, unde ex his linguis aliquid lucis sperandum.

Jam ܠܥܓ Syris est, *balbutire*, indeque et, *barbare loqui*: quin hoc ipsum Syriacum ܠܥܓ ܠܫܢܐ Barali in lexico suo reddidit, الثغلغ المسان الالثغ *barbarus lingua, impeditus vel balbutiens*. Nempe barbarus aut impedite nostra lingua utitur, aut incondite nobis loqui videtur. Jam cum in toto versu de barbaro populo sermo sit, obscuro labiis, quem non intellecturi sint Judaei, prope certum videtur, כלעג לשון *barbarum lingua* hic significare.

Sannas facere, unde ductum sit, quaeritur. Schultensio quidem prima vis verbi est in, *micante vibratione, linguae, scuticae* &c. ex mera conjectura sine teste exemploque: alii ad لعج *urere* retulerunt. Mihi quidem ab ipsa balbutie aut barbarie dictae sannae videntur, cui enim illudere volumus, barbara, blaesa, balbutientia, et quae intelligere nequit, respondemus aut occlamamus, inconditos sonos. Caeterum et hoc notemus, pluribus Orientalium verbis, לג vel לע (et vero per G gutturale لغ adpellatum) habentibus, hanc balbutiendi et barbariei notionem communem esse, לעז, לעג, ܠܥܓ, لثغ, لغلغ, ut videantur ex prima origine ὀνοματοποιητικὰ esse, obtusum sonum hujus syllabae imitantia. Sic et Arabibus فأفأ *balbutire*, quasi, identidem F F aliarum literarum loco proferre.

1328. לעג, לעגים Jes. XXVIII, 11. *barbaries*.

לעגי שפה verti solet, *sannae labiorum*, non malo fateor sensu, ita tamen, ut שפה *labium* melius abesse potuisset. Et hic quidem, *balbuties labii, barbaries*, aptior videtur, maxime cum statim sequatur, ut explicationis caussa additum, *et in lingua alia*. Sic quidem quodammodo praeivit Syrus, ܒܡܡܠܠܐ ܥܠܓܐ *sermone balbutiente*, (forte, ex ipsius sententia, qualis est ebriorum, quo respondemus per sarcasmum ebrio; vel etiam, *barbaro*, sunt enim *balbuties* et *barbaries* Orientalibus saepe idem) et manifeste Paulus apostolus, Gamalielis discipulus, 1 Cor. XIV, 21. ἐν ἑτερογλώσσοις, (*per barbaros*) καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις. Sententia Jesaiae: *per barbaros hostes irrumpentes, barbara lingua loquentes, hunc populum alloquetur*: aut si יְדַבֵּר efferas, *barbarum barbararum gentium sermonem audiet hic populus*. Vide bibl. Or. prior. T. XV. p. 74. 75.

1329. לעה *defatigatus fuit, linxit, avidus, gulosus fuit, temere loquutus est, effutivit.* Prov. XX, 25.

Tria verbum, a lexicographis Hebraicis praetermissum, ex quo interpretum aliqui Prov. XX, 25. Job VI, 3. explicant, linguis Orientalibus significat,

1) *defatigari,* Samaritanis Chaldaeisque. Hoc quidem manifeste ex לאה adscititium, literarum א et ע permutatione, quas Samaritani ne sono quidem distinguere valent. Nullus ejus in Hebraicis explicandis usus.

2) لعا pro لعو Arabibus est, *lingere*, unde et *avidum*, *voracem*, *gulosum* dicunt. Egregie Proverbiorum loco apta sententia: *tendicula viro, sacrorum avido*, vel, *voraci.*

3) لغى est, *peccare, vel errare in dicendo,* unde et *temerarium dictum* لاغية, ipsum forte ad ὀνοματοποιητικὰ sub n. 1327. memorata, transferendum. Sic quidem LXX Proverbiorum locum de voto temere effuso acceperunt, παγὶς ἀνδρὶ ταχύ τι τῶν ἰδίων ἁγιάσαι, μετὰ γὰρ τὸ εὔξασθαι μετανοεῖν γίνεται: paterque meus in adnotationibus uberioribus, *laqueus est homini si inconsiderate voveat sanctum;* addens Corani illud Sur. II, 225. لا يواخذكم الله باللغو في ايمانكم *non puniet vos deus ob jusjurandum vestrum inconsideratum seu temerarium.*

Utraque versio filo orationis egregie apta: suspensum tamen me habet dubium grammaticum, quod nulla adparet ratio futuri apocopati ילע pro ילעה positi; nec enim promiscue haec fit apocope, sed certis legibus. Ergo malim ad radicem ילע referre, de qua vide num. 988.

Et Job. VI, 3. aliqui huc retulerunt: ego malim ad לוע, quam radicem supra omisi, quod bene jam de ea egerat Simonis. Plura tamen de ea si cupias, evolve Schultensii commentarium.

1330. לעז Ps. CXIV, 1. *barbare loquutus est.*

Ἅπαξ λεγόμενον, ex iisdem, de quibus supra dixi, onomatopoëticis, primo balbutiem, deinde barbariem sermonis indicantibus. Habent et sub ܠܥܙ Syri, ut in lexico Syriaco dictum copiosius, et mutata, vel distincta duplicis soni notione Arabes, 1) لعز *vulgari lingua locutus est*, (forte, plebeje et ineleganter) et, *peregrina atque exotica ver-*

ba habuit. (Vide Castelli lex.) 2) لغّم in quarta, *involvit mentem, distorsitque sensum in sermone*, unde لُغْم *obscurum dictum, aenigma*, forte, quod intelligi nequit, a barbarie dictum. Adnotandum putavi, quod Thalmudici, exque illis aliqui lexicographi, לועז ita definiant, ut sit omnis, alia lingua, praeter sanctam, utens. Sic quidem accipitur, ubi Judaeus aliquem barbarum vocat, at secus, ubi Arabs vel Syrus, quibus ipsi adeo Judaei barbari esse possint, lingua Hebraica barbara.

Suspicio mihi saepius orta, pro עם נועז Jes. XXXIII, 19. legendum esse, עם לועז *populum barbarum non videbis.* Vide biblioth. Or. priorem, Adpendicem Tomi XIV. 121. 122. codex tamen hucusque nullus conjecturam firmavit.

1331. לעט *comedit* Genes. XXV, 30.

Omnia expedita, veteres legenti, mediocrem linguae Syriacae consvetudinem habenti, sive adeo, ex serie orationis conjicienti: si quid turbatum, turbarunt Rabbini, eosque secuti lexicographi, quod quomodo acciderit deinde videbimus.

Syris ܠܘܥܐ *mandibula*, et vero, inferior: incertum, utrum verbum a nomine, an nomen sit a verbo? mandibula a mandendo? ut apud Latinos, an mandere, a mandibula, *mandibula ac dentibus conficere cibum.* Utcumque sit, לעט erit, *mandere*, et הלעיט in Hiphil, mandendum dare, mandibulae avide praebere. Monent et domestici Syrorum lexicographi, Synonyma esse, mandibulamque significare, ܠܥܣܐ, ܠܥܘܣܐ, ܠܥܘܣܝܣܐ, ܠܥܘܣܬܐ, quae legens (dedi in meo lexico Syriaco, cum aliis desint) quis non aliquid iterum onomatopoëtici, imitationisque soni naturalis in literis לע suspicetur? biliteri prope dixerim, ex antiquiore lingua superstitis, cui tertia deinde litera accessit? Sed haec, obscurae disputationis de primis ante linguam Hebraicam elementis linguae antiquioris, pertinentia jam parum ad lexicon, grammaticae, cui materiem praebent, seponenda.

Praeivere et magno consensu veteres, licet non eodem verbo usi: LXX γεῦσόν με, *gustare me fac*, (gustamus, quae mandibula conficimus) sic et Chald. אטעימני, Syr. ܐܠܥܣܢܝ, Arabs uterque اطعمني, pauloque liberius Vulgata, *da mihi.*

Haec

Haec quidem expedita. Sed jam videamus, quid in lexica deinde irrepserit, quibusdam sapientiae visum reconditae, cum unde haberent lexica, ignorarent. Doctores Thalmudici verbo nostro utuntur, in quaestione, quid sabbatho circa cibationem animalium liceat, non, saginare, non ori ingerere, sed הלעיט *gustandum praebere*. Vide ipsum locum in Buxtorfii lex. Thalm. p. 1151. 1152. Est hic הלעיט, *mandibulae praebere*, oppositum, *violentae ingurgitioni et ingestioni, saginationi*. Mirum, verba a Buxtorfio recte exposita, ac perspicua, etiam a Rabbinorum quibusdam non recte intellecta esse. Hinc in lexica fluxit, quod Reuchlinus jam habet: "*fudit. Da mihi de coctione hac rufa, quod Rab-„bi Salomon exponit, ita scilicet: et dixit Esau ad Jacob, aperiam os me-„um, et tu funde, obsecro, hunc cibum in illud*". Mira interpretatio: ferventes enim coctione atque ex olla lentes ori suo quis infundi petat? Sed et in alia lexica, mutatis modo verbis, deliramentum Raschii fluxit, nisi quod recentiores, conjicere, quam talia ex Thalmude male intellecto sumta repetere maluerunt. — — *Sorbere*, quod alii habent, mere conjecturale.

Arabicum verbum hac significatione non habemus. Ex sono naturali si ortum, per Gain scribendum, لغط, quod quidem, seu potius لغط, ut plura alia a لغ incipientia *inconditas voces, quae intelligi nequeunt*, denotat, non *mandere*, nec mandibulam: alterum لعط, *ussit*, plane Hebraico לעט non cognatum.

1332. לַעֲנָה *absinthium.*

Notissimum vocabulum, ac certissimae explicationis, de quo vide Celsium P. I. hierobotanici p. 480-486. Amarum illud esse, et gustu ingratum, quis non novit? inde pleraeque phrases expediendae: at est, ubi venenis accenseri videtur, ut Deuteron. XXIX, 17. atque, quem librum, totum Hebraicae indolis, hic et attingere ausim, Apoc. VIII, 10. 11. Stella ibi nomine Ἄψινθος, in fluviorum ac fontium partem incidit, eaque pars aquarum convertitur εἰς ἄψινθον, unde multi hominum moriuntur, quod aquae amarae factae. Habent et sequioris aevi versiones Chaldaicae Deut. XXIX, 17. pro לענה, altera לענתא דמותא, altera אגרנא דמותא, *absinthium mortis*.

Mirum hoc videri possit, visumque est medicis (*), quibuscum colloquebar: sed meminerimus, primo venena et medicamenta, (virus Latini

(*) Vide quaestiones Arabiam adituris propositas, quaest. 49. pag. 148.

tini communi nomine vocant) ita conjuncta et vicina esse, ut vix ullum medicamentum non sit aliquando noxium, ac mortiferum, ne saluberrima quidem rhabarbara excepta; deinde, haec ipsa, venena aut medicamenta, generi humano, cum linguae conderentur, talia visa esse, qualia adparebant. Sic vel Plinius atrocius nullum novit argento vivo venenum, quod tamen jam in potentissimis est ejus morbi remediis, quem nunc prope per tria secula in Europa grassantem, (luem Veneream) lectores meos ignorare non aegre tulerim, sed gratuler ignorantiam.

Sed ut de absinthio ipso dicam, vix potuit illud ante aliquot annorum millia, in Palaestina, Aegypto, Arabia, Syria natis, nisi atrocissimum videri venenum, maxime, cum sit illo in climate fortius et efficacius, quam in nostro. Molestum illud vermibus in ventre hominum, illosque turbat, exagitat, in furorem agit, expellit, unde et nomen Germanicum, *Wermuth*, ex *Wurmwuth* ductum arbitrantur, sed hoc utcumque sit, medicis exploratum, vix ullo acriore medicamento vermes ex corpore humano expelli: hi ubi tam sibi inviso veneno cruciantur, furunt, ut medicis notum, hinc saepe terribilia morborum phantasmata, epilepsiae, mortes adeo. Illo sub coelo, sub quo linguae Orientales natae, vix quisquam a vermibus immunis, ob aquae stagnantis impuritatem, ac forte unius hominis ventre mundus aliquando reptilium continetur, ipsa, ne in ventre quidem residens, sed totum per corpus serpens, vena Medinensis, a Medina, Arabiae urbe, nomen accepit. Jam fac, illo tempore, quo absinthii vim salutarem non magis noverant, quam argenti vivi Plinius, aliquem vermibus, ut est fere illis regionibus commune, laborantem, absinthium comedere, quid quaeso adparuisse putas? Venenum! sequebantur enim, vomitus, dolores acerrimi ventris, convulsiones, epilepsiae, mortes.

1333. לַפִּיד *lampas*, *fax*.

Vocabulum sine dubio Graecum, Arabibus Syrisque plane ignotum, ac ne derivationem quidem habens Orientalem, Chaldaeorabbinicum enim, huic soli linguae privum, הִתְלַפֵּד *fulsit*, denominativum potius atque a לפיד ortum. Puto Phoenices, quorum lingua est ipsissima Hebraica, *lingua Canaan* Jesaiae, ultimis jam temporibus a Graecis accepisse, qui forte Pharum, qualem Phoenices in litoribus Graeciae exstruebant, vel etiam malum cum vase picis ardentis, λαμπάδα vocabant. Mos, ejusmodi malos, Arabice منار *luminare* dictos, erigendi, apud Phoenices

anti-

antiquissimus: dicitur, Abraha, coaevus Mosis, (filius enim ejus, Africus cognominatus, colonos Asiaticos, victos profugosque bello in Tingitanen deduxit, in quo quis non agnoscat Cananitarum ducem, Josuae arma fugientium (*)) vetustissimis Arabum historicis *Dulmenar*, ذو المنار, *dominus Phari*, cognomine dicitur, cujus hanc rationem reddit Nuweirius: *quod primus constituerit pharos in itinere* (pedestri) *pro expeditionibus suis. Nempe in Africae regiones et Nigritas penetrans, luminaria illa sibi parabat, ut ad ea reditum suum dirigeret.* Vide Alb. Schultens historiam antiquissimam Joctanidarum p. 52. 53.

1334. לַפִּידוֹת Jud. IV, 4.

Mihi quidem verisimillimum, nomen esse proprium mariti, cui juncta connubio Debora. Sic LXX. Syr. (sed librariis nomen in ܠܦܝܕܘܬ mutantibus, de quo vide lex. Syr.) Vulg. Chald. Quod autem Judaeorum aliqui fingunt, Kimchiusque in lexicon recepit, esse Lafidothum Baracum, quod בָּרָק *fulmen* significet, לַפִּידוֹת *faces*, facesque aliquando pro fulminibus ponantur, (Exod. XX, 18.) cui his ineptiis omniscioram non a pueris nutrito placeat?

Nec tamen praefracte negaverim, posse et adpellative accipi, modo significatio adferatur non inepta aut ridicula: quod enim habent Judaei, ut, ad hunc locum Raschius, *dictam fuisse* לַפִּידוֹת, *faces, quod faceret fila lampadibus sanctuaris*, quis praeter Judaeum, ejusque ineptiis adsvetum, verum censuerit? — — At quaeri possit, quid spectans Arabs, Hebraica alias interpretari non solitus, sed ex alio forte interprete interpolatus, إمرأة اليعسوب, ut Gabriel Sionita in Polyglottis voluit, *uxorem principis*, verterit. Arabicum quidem nomen, ut ex Golio disces, significat, 1) *maculas candicantes in facie equi*, unde et equis nomen ducunt. Sciendum autem, ejusmodi candicantes maculas pro viris, factisque insignibus poni. Vide Chrestom. p. 89. 2) *principes, caputque gentis*, sive ab hoc ipso, quod insignes et fortes sunt, sive 3) quod nomen et *admissarium* significaverit, ut ex verbo prope certum, principes enim *admissarios* poetae Arabum vocare solent. Denique, quod et cum hac, et ineundi notione, quam verbum عسب habet, conjunctissimum 4) *regem*, (reginam potius dixeris) *apium*. Jam nec haec placebit explica-

(*) Vide plura in biblioth. Or. priore T. IV. p. 148. 151. 152. 153.

plicatio. Voluit *Deboram*, cujus nomen *apem* ſignificat, aut *regis apum*, i. e. *principis uxorem* fuiſſe, aut ſi naturae fuit peritior, *reginam apum*, *ducem illarum in bello.* Nec haec putem, illis lectoribus, quibus ſcribo, probatum iri. Forte etymologia aliqua duce, לפידות *faces*, de lucentibus maculis et ſplendentibus intelligens, ad haec artificioſa pervenit.

Quodſi quis minus ludicra, et rei convenientia, conjiceret, ſive,

1) *feminam lampadum*, i. e. *lampades et lucem praeferentem*, *illuminatam a deo*, *illuminantemque populum*, ſynonymum ejus, quod praeceſſerat, אשה נביאה, *femina vatidica*, — ſive

2) *feminam*, *quae vaſa picis ex malis ſuſpenſa accendere*, *ſignumque belli populo dare*, *ad praelia illum convocare auderet*, quam Arabice ذات المنار diceres;

me ſane is non contradicentem haberet, ſed haec inter, nomenque proprium dubitantem. Verum nemo, quantum ſcio, haec praeivit.

1335. לפת *inflectere*, *deflectere*. Jud. XVI, 19. Ruth. III, 8. Job. VI, 18.

Mirum, quam lexica recentiora pleraque aberrarint, primo, Kimchi, ſed quod plerique ne viderunt quidem, licet alter alterum exſcribentes, veram habente interpretationem, ענינו הטה, *ſignificatio ejus eſt*, *inclinavit*.

Arabia quidem omnia hic expediet, nec aliqua recondita, ſed ut in Golii lexico, uſuque omnium librorum, verbum لفت habemus: *inflexit*, *torſit*, *intorſit*, *avertit*, *deflexit faciem ſuam.* Ex his, qualia ſunt, lectis, ſtatim loca omnia textus Hebraici, in quibus לפת occurrit, intelliges: — Judic. XVI, 29. DETORSIT *Simſon duas columnas*, *innitebaturque uni manu dextra*, *alteri ſiniſtra:* (mirum omnino id hic nullum ex veteribus habere interpretibus!) Ruth. III, 8. *media nocte cohorruit vir*, *et deflexit* (avertit ſe) *quod mulierem juxta ſe cubantem* animadverteret? an tetigiſſet? aut, ſi malis, *cohorruit*, *inflexit ſe*, (ut videret, quid eſſet) *et ecce mulier juxta illum cubabat.* In ſolo Jobi loco habeo, quod in punctis corrigam: יִלָּפְתוּ ut in impreſſis legimus, paſſivum, cum ארחות nominativo conſtruendum, ſed vitio grammaticali, cum nomen feminini, verbum maſculini ſit generis. Ergo malim: יְלַפְּתוּ אָרְחוֹת דרכם *inflectunt* viatores *ſemitas viae ſuae*, i. e. incurvant vias ſuas, rivos quaeſituri, ex quibus olim biberant.

Jam

Jam et veteres audiamus. Ex his quidem in Jobo proxime a mea sententia abesse, *curvandi* certe notionem agnovisse videntur, Vulg. *involutae sunt semitae gressuum ipsorum*, pauloque clarius Syrus, ܕܐܬܟܦܪܘ, exque eo Arabs تتعوج, *incurvantur viae ipsorum*, Chaldaeusque, מקלקלין. LXX plane alia hic legerunt. At in reliquis locis non nisi conjecisse ex serie orationis videntur: Jud. XVI, 29. LXX καὶ περιέλαβε, Vulg. *adprehendens*, Syrus, Chaldaeusque, אחד, *adprehendit* columnas; quod et in lexicon recepit Reuchlinus, *complexus*, *vel amplexatus est*, *comprehendit*, monens tamen, Kimchio esse, *inclinare*, *deflectere*: — Ruth. III, 8. omnes de *terrore* accipiunt, ἐταράχθη, *conturbatus est*, ܬܘܗ, تعجب (obstupuit), forte idem cum לבט putantes, quod non pauci de *perturbatione* et *terrore* accipere solent.

In recentiora lexica plerumque illud Vulgatae, *amplexari*, receptum, additum tamen in recentissimis Kimchianum, *inclinare*, Arabicumque لفت, idque cum *amplectendi*, *terrorisque* significatione, quam totam non abdicant, conjunctum.

1336. לקח, *accepit*, *accipere fecit*, *dedit*, *concepit semen*, *foecundavit*, *docuit*, *adsumsit beata morte deus*.

Verbum, *accipiendi* significatione Hebraeis notissimum et frequentissimum, a quibus et Thalmudici et Rabbini alii acceperunt, Aramaeis vero, id est, Chaldaeis, Syris, Samaritanis plane ignotum, ܠܩܘܚܐ enim, de quo vide lexicon Syriacum, nulla illud significationis, forte ne originis quidem, cognatione attingit. In sola superest Arabica lingua, ejusque filia, Aethiopica, in hac quidem eadem prope significatione, est enim exigua ejus inflexione, aut potius determinatione, *mutuum accipere*, atque etiam transitive, *mutuum dare*, qua duplici ejus vi infra fortassis uti poterimus. Arabica significatio prima fronte diversa, لَقَحَ *foecundavit palmam*, لَقِحَ *admissarium passa fuit*, *concepit*: sed haec facillima cum Hebraicis comparatu, si sic digeras,

1) لَقِحَ forma intransitiva, (quae Hebraice לָקֵחַ scribenda, sed quod ob gutturalem sequentem in לָקַח transiturum erat) *accepit*, sed

addita speciali determinatione, et subintellecto: *semen!* Sic *συλλαμβάνειν*, *concipere*, eadem ellipsi dicunt Graeci Latinique, nos, *empfangen*.

2) لَقَّحَ transitive, *accipere fecit*, *dedit*, id est, indidit palmae feminae semen palmae masculae, quod quidem duplici modo fit, sive, spatham palmae masculae in palma femina suspendendo, ut ejus semen in illam aura perferatur, (vide Kaempferi amoenitates exoticas, fasc. IV. relat. V. cum adjecta icone) sive adeo manu, qua semen spathae masculae inspergunt ingeruntque femineae. Mirum, potest hoc modo semen palmae per plura adeo milliaria dimitti. Ante quadraginta circiter annos palma femina Berolinensis, virgo antea nec fructus efferens, semine masculae, Lipsia transmisso, impraegnabatur, dactylosque efferebat: quod si quis in genere quoque humano accidere posse probet medicus, transmissumque per literas semen absentium maritorum uxores concipere, Croesi illi divitias polliceor.

Erant et haec de Arabico verbo disputatu necessaria, quod eo, minus intellecto, ad Hebraica explicanda aliqui aut usi sint, aut aliquando abusi. Tentavit ad Proverb. XI, 30. Schultensius, satis verisimiliter, quod fructuum arboris praecesserat mentio, unde et eum in versione germanica sequutus sum: *fructus justi sunt fructus arboris vitae*, (fructus salutares) *foecundatque animas sapiens.* Haec certe reliquis interpretationibus lectionis consvetae concinnitate praestat. Certi tamen nihil habeo, quod ipsa lectio dubia. Pro חכם enim, LXX et Syr. legisse videntur, חמס, eximia sententia, atque adeo concinniore et elegantiore: *fructus justi sunt fructus arboris vitae*, (salutares) *sed abripit vitas* חמס, i. e. aliqua dictionis quaesita ambiguitate et allusione, sive, *injustitia*, sive, *acerbi* et *immaturi fructus*. Vide num. 766. – – Alia ratio verborum Jerem. XXIII, 31. *ego contra prophetas sum*, הלקחים לשׁנם, quod Venema interpretatur, *qui foecundant linguas suas*, *et idemtidem* נְאֻם *dicunt.* Hic quidem, ut fere semper, aurium gustusque judicio, a Venema dissentio.

Est jam aliquid de significationibus verbi dicendum, a lexicographis praetermissis:

1) Hoc ipso in loco, ab illo enim ordiar, suspicor, denominativum esse a לֶקַח *doctrina*, vertoque, *docere*, *adsvefacere*: sententia, *qui docent* perpetuaque exercitatione adsvefaciunt linguas suas, *ad* נְאֻם נְאֻם identidem repetendum.

2) Ps.

2) Pſ. LXVIII, 19. לָקַחְתָּ מַתָּנוֹת בָּאָדָם, quomodo vertendum, quae verbi ſignificatio ex pluribus loco aptiſſima, non hic diſputo, ſed in ipſius pſalmi interpretatione: rationem modo verſionis Paulinae Eph. IV, 8. reddo, in qua laboratum. LXX vertentibus, *ἔλαβες δόματα ἐν ἀνθρώποις*, Paulus, alias eos ſequi ſolitus, non imprudens ſane, ſed tanquam de induſtria, aliter, *ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις*, nec ille ſolum, ſed, quem ex Paulo ſua hauſiſſe haud ſuſpicabimur, Chaldaeus, יהבת להון מתנן *dediſti illis dona:* alios enim, qui Paulum ſequuti videri poſſunt, non numero, Juſtinum Martyrem, in dialogo cum Tryphone habentem, *ἔδωκε δόματα*, ſicque et aliqua Graecorum bibliorum exempla, Syrum quoque, ܝܗܒܬ ܠܗܘܢ ܡܘܗܒܬܐ, et utrumque Arabem. Ergo et, *dare*, לָקַח ſignificaverit? Adſerunt quidem Rabbini, et vero primarii, ſylleptica conſtructione ſibi conſulentes, collato Exod. XXV, 2. וְיִקְחוּ לִי תְּרוּמָה *ſumant mihi* (i. e. dent mihi) *oblationem*, et Raſchius, לקחת מן העליונים לתתם לבני אדם *ſumſiſti ab excelſis, ut dares filiis hominum.* Sic tamen לאדם dicendum fuiſſet. His artificiis non opus, modo meminerimus, ut multa alia verba Arabica ac Syriaca, duplicem ſignificationem לקח habere potuiſſe, ſemipaſſivam לָקַח *accepit*, et tranſitivam לִקַּח *accipere fecit*, *dedit*: nec potuit modo habere, ſed et habuit, Arabes enim et Aethiopes pro dando etiam ponere vixdum vidimus. Sic et alio in loco antiquiſſima verſio Graeca, tranſitive accepit, Jerem. XXIII, 31. *ἐκβάλλοντας προφητείας γλώσσης*, *proferentes vaticinia linguae.* Ergo, ſi filo orationis aptum, DARE, ſequere Paulum, grammatica non occinet.

3) De phraſi, לָקַח *adſumſit eum deus*, per euphemismum pro morte beata poſita, Geneſ. V, 24. Pſ. XLIX, 16. LXXIII, 24. Hagg. II, 23. vide notam 388. ad Hebr. XI, 5. et verſionem horum locorum germanicam.

1337. מַלְקוֹחַ *praeda.*

A בַּז diſtingui Num. XXXI, 11. 26. 32. monet Coccejus, in quo aliquis eſt memoriae lapſus, certum tamen nomen מַלְקוֹחַ ſpecialiore ſenſu poni, et ab aliis praedae generibus diſtingui. Nempe v. 11. diſtinguitur, שָׁלָל et מַלְקוֹחַ, ac vero ita, ut מַלְקוֹחַ videatur proprie ad praedam animatam, jumenta et captivos, pertinere, ויקחו את כל השלל ואת כל המלקוח באדם ובבהמה. Sic et v. 26. ejusdem capitis legimus,

mus, מלקוח השבי באדם ובבהמה, atque v. 32. sed adjecto בז ut synonymo, ויהי המלקוח יתר הבז אשר בזזו עם הצבא, numerantur enim *oves*, *boves*, *asini*, *feminaeque captivae*. Jes. XLIX, 24. 25. de captivis, ut synonymum שבי ponitur. Est ergo angustioris, quam שלל significationis.

1338. לקט *humi legere*, *colligere*, proprie de *spicilegio*.

Legendi, colligendique notionem lexica recte habent, patetque ea sine dubio latius, ponitur enim de mannae, lapidum, liliorum &c. collectione. At propriam tamen aliquam vim habet in *spicilegio*, opponiturque adeo messi, Jes. XVII, 5. כמלקט שבלים בעמק רפאים *ut spicas* (singulas post messem) *colligens in valle Refaim*. Vide versionem germanicam, adjectasque notas. Illustrior adhuc locus Levit. XIX, 9. לקט קצירך לא תלקט *spicilegium messis tuae non colliges*, et v. 10. ubi et ad collectionem uvarum relictarum post vindemiam refertur. Norunt hoc, credo plerique, in lexicis tamen desidero. Habent et Syri Arabesque verbum eadem significatione: his adeo لقط السنبل est, *spicilegium*, et لقاط *spicae*, *quae effugiunt falcem messoris*.

1339. לקש *postremum*, *serum*, *tardum*.

Omnia sive nomina sive verba Hebraica, has literas habentia, ad eam redeunt significationem, quam habent apud Syros, *postremi*, *tardi*, *serotini*. Vide lexicon Syriacum. Est autem in calendario Orientalium serotinum, ὄψιμον, idem quod nobis vernum, nempe quod annum ab Octobri mense incipiunt. Arabibus, paululum mutata significatione superest in لقش quod lexicographi illorum vertunt, بال *vetus*, quae notio a Syriaca facile oriri potuit, atque inde يابس *aridus*.

1340. מלקש, *pluvia serotina*, ὑετὸς ὄψιμος

ex versione Graeca et Vulgata, id est, pluvia vernalis quae Martio maxime et Aprili mense ante messem cadit, opposita autumnali יורה (num. 1058.) Nempe duo tempora pluviae in Palaestina, quae per aestivos menses plane nulla est. De hac verna pluvia vide Walchii et Buhlii calendaria Palaestinae, aut ex illis excerpta in biblioth. nova Or. T. I. p. 185. 186.

186. Habent ejus nomen ſub iisdem literis Aramaei, ac pro מלקשׁ Deut. XI, 14. reponunt, Chaldaeus et Samaritanus, לקישׁ, Syrus, ܡܘܩܘ ܠܩܝܫܐ. Soli cum non habeant Arabes, alio interpretibus ibi vocabulo uti neceſſe fuit, poſueruntque, Maurus, مواخر *poſteriorem, ſerotinam*, Saadias, ربيعة quod male in Polyglottis verſum eſt, *autumnalem*, cum potius ſit *vernalis*. Sed haec hic non disputare poſſum, lexicon jam Arabicum non ſcribens: aliqua huc pertinentia ſub وسمي meo Golii exemplo adnotavi.

1341. לֶקֶשׁ *gramen vernum* Amos VII, 1.

Vocabulum, non niſi hoc unico in loco obvium, et harmonice redditum ab Aramaeis, Chald. לקישׁ, Syro ܠܩܫܐ. Ex linguae Syriacae uſu, et his quae num. 1337. diximus aeſtimatum, gramen erit vernum, Martii, forte et jam Februarii menſis, atque res ſic inſtituenda: gramen praeteriti anni, foenum, aut etiam primum novi, erat regis, illud reſecantis, poſt has tonſuras regis, (גזי המלך) *gramen jam vernum* laete revireſcebat. Abdico ergo, quod in verſione germanica de *gramine autumnali*, (*Grummet*, Germanis) ſcripſi. Eſt id nobis ſerotinum, non Hebraeis, ab autumno annum incipientibus. Poſſis forte et de foeno cogitare, quod تغش, ut p. 1460. monui, يابس *aridum* vertunt: verum hujus loci plane non eſt foenum, לקשׁ enim ſuccreſcere dicitur poſt tonſuram regis.

Ὄψιμον, (vernale) generatim vertit Aquila, *ſerotinum imbrem*, (i. e. vernalem) Hieronymus, ut idem ſit, quod מלקשׁ. LXX habent, *ἐπιγονὴν ἀκρίδων ἑωθινὴν*, *foetum locuſtarum matutinum*, i. e. mane erumpentem, male ut puto et *αὐτοκατάκριτοι*, cum alias derivata a לקשׁ illis ὄψιμα eſſe ſoleant: ſecundo adeo loco ex לקשׁ *βροῦχον* faciunt, et אחר גזי המלך abſurdiuſcule vertunt, *εἷς, Γὼγ, ὁ βασιλεὺς*, ut unus his locuſtis rex fuerit, Gogus. Legebant, aut legendum conjiciebant אחר גג המלך. Ex his parum proficiemus.

1342. רָקַשׁ Job. XXIV, 6. *gramen vere nascens colligere, vel, evellere.*

Ἅπαξ λεγόμενον, quod et hic, ut suae linguae domesticum retinuere Syrus et Arabs, ܢܠܩܫܘܢ, تَلَقَّشَ. Certi nihil habemus, omnisque interpretatio conjecturalis, in quo molestum, quod plures se conjecturae offerunt.

LXX ἠργάσαντο, *colunt*, (vineam injusti), id plane conjecturale, nec quidquam habet in linguis cognatis subsidii.

Proxima ab his Vulgata, *vindemiare*, ponens: *vineam ejus, quem vi oppresserint, vindemiant.* Id quidem Hebraicis, וכרם רשׁע ילקשׁו, plane non aptum: רשׁע, *injustum*, *oppressorem*, quis mutaverit, in, *eum quem vi oppresserunt?* aut in qua uspiam lingua Orientali sub לקשׁ *vindemiandi* reperta significatio? Ergo haec, ut plane inepta, et ex sola conjectura, nulla duce philologia, arrepta, seponantur!

Haec repudiare facile, sed difficilius aliquid melius, et quod probetur anquirenti, dare.

Fuerunt, qui ad *racemationem* referrent, ut miseri vineas injusti domini racement, in quibus ille nihil, ut lex Mosaica Levit. XIX, 10. aut antiqua aequitas ac mos fieri jubebant, reliquerit. Veri perquam dissimile. *Racemare* semper Hebraeis est, עולל, nec ulla linguarum Orientalium pro illo literas לקשׁ ponit, adde, racemationem fieri, autumno, ineunte anno Hebraeorum, non vere: (quamquam video, hic reponi posse, omnia *vetera* et *arescere incipientia*, ex usu Arabici لَقِيشَ sub hanc radicem referri posse.) Mirum tamen, si, quod *vernum* alias Hebraeis, ab ipso inde Mose, idem contra usum linguae Aramaeae Jobi libro sit autumnale. Ergo et hoc abdicemus.

Jam verisimilius, quod in versione germanica sequutus sum, esse denominativum ab Arabico لَقِشَ, *aridum et vetus*, i. e. *foenum*, *foenum colligere.* Foenum autem intelligebam autumnale, post peractam vindemiam arescens ac marcescens, quo tempore vel avarissimus vineae custodes non adponit, ut facile sit pauperi, foenum auferre, sive adeo furari. Sic scena post Octobrem, quo omnis in Palaestina vindemia peracta, id vero est sub ipsum initium anni.

Haec

Haec licet teneri, et Arabico verbi usu defendi possint, suspecta tamen mihi fieri coeperunt, quod Hebraei Syrique alias huic ipsi tempori, his mensibus ineuntis anni, Novembri et Decembri, לקש opponunt, verni temporis donis proprium. Quid ergo, si sit potius denominativum praecedentis, לֶקֶשׁ, *gramen vernum legunt*, vel, *evellunt?* Id quidem forte vel avarus in sua vinea pauperibus permittat, est enim gramen, et omnis luxurians herba, vitibus noxia: sed fac, non permittere, describuntur pauperes, fame ad aliena rapienda adacti. Verno tempore nondum custoditae vineae; custodes enim adponuntur, uvis maturescentibus.

1343. לְשַׁד *succus* Ps. XXXII, 4. (Num. XI, 8?)

לשד satis unanimiter *succum*, interpretantur recentiores, dubitantibus passim lexicographorum primis, et antiquis interpretibus nihil ejusmodi habentibus. Est sane filo orationis Ps. XXXII, 4. eximie apta versio, ubi de succi pleno et vegeto corpore cogitandum, *convertebatur succus meus in siccitates aestivas*. Nec etymon deest, quod olim ignari aliarum linguarum frustra quaesierant, cumque non occurreret, adliterationibus commenti erant, sed ultro se offert, ut monuerunt recentiores, a لسد, *lingere*, *sugere*.

Licetne hic, antequam ulterius progrediar, primorum lexicographorum sententias aut verba excerpere? Kimchius in libro radicum, ipse quidem dubius, docet, Abenezrae Lamed in לשד radicale visum, significationemque sic esse oppositum *siccitatis* (החרב והיבוש) ipse tamen potius ad שדד referre videtur, ibique iterum se de hoc vocabulo pollicetur acturum. — — Reuchlinus: „ לְשַׁד *subactum et quasi panificatum, si li-* „*cet ita loqui. Num. XI. saporis quasi panis oleati. Sed magistri Hebraeo-* „*rum exponunt idem vocabulum pro humido atque recenti.*" Sumserat sua ex Vulgata, ut plerumque, possemque illi suppetias ferre ex Arabico لثد *congesta offa, seu maceratis panis frustis implevit pateram.* Forte ex ejusmodi usu superstite linguarum Orientalium, vel per traditionem modo Rabbinorum ad Hieronymum pervenerit: displicet tamen magnopere. *Panificium olei* primo loco vix aptum, quis enim gustum mannae ei comparaverit? at in psalmo cui probetur, *panificium?* quae sententia, *vertitur panificium meum*, (offa mea) *in siccitates aestivas*.

Mirum, veterum neminem de succo, succulenti nempe et sani corporis, tam loco apta, cogitasse, sed omnes ל pro praefixo habuisse. In eo, quod relinquitur, שד vertendo, dissident. LXX ut saepe alias,

τα-

ταλαιπωρίαν, reddunt, unde Vulg. et Hieronymus, *miseriam meam*: Aquila παρανομήν, Symmachus διαφθοράν, a שדד *vastavit*: Syrus, *pectus*, (*versus est in pectore meo dolor*) conferens שָׁדַיִם. Ita accepti vocabuli synonymum, vel interpretationem, forte ex scholio, posuit codex Kenn. primus, כהפך לבי *versum est cor meum.*

Alteri loco, Num. XI, 8. plane inepta olei notio: *succus olei*, quid est, cum omne oleum sit fluidum? aut mannae sapor oleine similis? Ergo ibi, cum veteribus, muto lectionem, לִישׁ דבש *placenta mellis.* Vide biblioth. Or. Nov. T. III. p. 223. itemque lexicon sub לִישׁ placenta, et דהש.

1344. לָשׁוֹן *lingua, auri, maris, flammae, crocodili.*

Feminini generis esse monent lexicographi, atque sic plerumque construitur: semel tamen et cum verbo masculino יהגה Job. XXVII, 4. ut multa alia membrorum nomina generis sunt communis. Quamquam quatuor codices Kennicotti ibi quoque feminine תהגה habent.

לשון זהב Jos. VII, 21. 24. *ligulam*, vel, *fibulam* auri esse, in certis prope habeo, sicque et accepisse Arabs videtur, شَبْكَة vertens, reliqui, *linguae*, nomen servant. Miror, Vulgatam habere, *regulam auream.* Suspicor, lapsum esse amanuensis, versionem Hieronymi calamo excipientis, et *regulam*, pro, *ligula*, audientis.

Irrepsit tamen hinc insignis in Reuchlini lexicon error, qui, "*significat*, inquit, *etiam radium seu baculum geometrae, vel lineam agrimensorum, vel etiam lapidem terminalem, qui limitaris dicitur*, quod sit *ad similitudinem linguae. Jos. XV. a lingua ejus, quae respicit meridiem.*" Condonemus magno et bono viro! Hebraica qui poterat intelligere, ignoratis adhuc reliquis linguis Orientalibus, atque ex solis Rabbinis et Vulgata sapiens?

Monuerunt jam lexicographi, dici etiam:

1) לשון אש *linguam ignis*, i. e. flammam linguae similem Jes. V, 24. Addo modo Arabicum, لِسَانُ النَّار, *flamma*, pec. *fumi expers.*

2) לשון ים *linguam maris*, i. e. *sinum maris*, angustiorem et in linguae formam desinentem. Hic vero magis etiam necesse puto, addere

re usum linguae Arabicae, cum in Jes. XI, 15. doctiores etiam adhaesisse videam. Ponunt ita suum لسان geographi Arabum. Mare Arabicum cum in duos sinus angustiores desinat, Heroopolitanum et Aelaniticum, Abulfeda p. 10. Aegypti Heroopolitanum vocat, لسان البحر الداخل بين الطور وبين بلاد مصر *linguam maris inter Tor et Aegyptum:* idemque p. 30. num. 62. sinum, per quem transierunt Israelitae, اللسان الغربي *linguam occidentalem.* Jam literae Hebraicae לשון ים ponunt:

primo, de hoc ipso sinu Heroopolitano maris Erythraei, Jes. XI, 15. ubi mirum, fuisse, qui mare mediterraneum intellexerint. Et forma ejus, et magnitudo, et ipsa deterrere absurditas rei debuisset. Arabes geographos unquam si legissent, talia non confinxissent. Facilius condonandum Hieronymo, qui Arabicae lingua doctus esse per temporis rationes non poterat, quod consvetam et quotidianam phrasin interpretatus in commentario est artificiosius, de *lingua maris Aegypti, quae prius contra deum blasphemabat, et superstitioni Aegyptiae praeerat.*

deinde, de septentrionali maris mortui sinu, ubi Jordanes in illud influit. Jos. XV, 5. XVIII, 19.

לשון Leviathani tribuitur Job. XL, 25. quod crocodilo opposuerunt, linguam ei negantes. Contra hos vide Bochartum, qui P. II. hieroz. l. V. cap. 16. p. 770. 771. antiquis testibus planum fecit, esse ei linguam, sed immobilem, et inferiori maxillae adhaerentem. Res jam dubio caret, post Parisiensium adcuratiorem crocodili descriptionem. Vide *Memoires pour servir à l'histoire naturelle des animaux, dressez par Mr. Perrault,* T. III. *seconde partie* p. 253. sqq. et *troisieme partie* p. 161. sqq. — Ῥῖνα, *nasum,* verterunt LXX, incertum, utrum Leviathani linguam negantes ex consveto errore, an, ut in Jobo saepe, aliud legentes.

1345. מֶלְתָּחָה *vestium thesaurus, vestiarium.* 2 Reg. X, 22.

Vestes, vel *vestium thesaurum, locum ubi illae adservabantur,* jam inde a Kimchio recte verterunt lexicographi, ex quibus posterius ob formam nominis a מ incipientis, praefero. Nempe erat veteribus vestium ingens copia in divitiis, cum nondum ita et singulis corporibus aptarentur, et mutabilis esset gustus seculi, ut nostri, vestibus praeteriti decennii, atque adeo anni, hoc quo haec scribo anno, aut minus placentibus, aut obsoletis et ridiculis. Ergo olim,

chlamydes Lucullus, ut ajunt,
Num posset scenae centum praebere? rogatus,
Qui possum tot? ait: tamen et quaeram, et quot habebo
Mittam. Post paulo scribit, sibi millia quinque
Esse domi chlamydum, partem, vel tolleret omnes.

(Horatius, Epist. libr. I. VI, 40-44.) Festos dies agentibus, immo et ad convivia regum invitatis, ex ejusmodi thesauris vestes praebebantur, ut ad Matth. XXI, 11. moneri ab interpretibus solet, mosque in hunc usque diem in Asia superest.

Contulit jam vocabulo illustrando Castellus, Aethiopicum, לתחה, *vestis byssina*, atque hoc unum sane suffecerit. Dictas putem vestes splendidiores, ab *exsuendo*, plane ut מחלצה, خلعة num. 748. Arabicique verbi לתח primam vim fuisse in *excoriando*, hinc لتح *spoliare, coire cum puella*, proprie, illam exsuere, *intelligere obscura et velata*, et لتح *excoriare verberibus*.

Praeiverunt veteres prope omnes, solis exceptis LXX, qui ut nomen proprium τοῖς ἐπὶ τοῦ μισθάαλ expresserunt, Syrus, ܐܡܝܢ *gazae praefectus*, Chaldaeus, *qui constitutus erat* על קוּבְמָרָא vel ex alia lectione קמטריא, quod vocabulum in Thalmude *involucra librorum*, hic sive *vestes ipsas*, sive *thecas vestium* significat, Vulgata, *qui erat super vestes*, Arabs, صاحب الكسوة *praefectus vestium.*

Haec ita cum se habeant, atque omnia videantur plana et explorata, novum tamen aliquid tentavit, ex sola etymologia, *Georgius Costardus* in dissertatione critica ad hunc locum, Oxonii 1753. sed de quo jam referre, cum librum ad manus non habeam, nec reperire Goettingae possim, haud ausim. Id unum profiteor, olim cum legerem, displicuisse. Quantum recordor, *lupanar* interpretabatur.

1346. לתע.

Ad hoc verbum, quod volunt esse, *frangere, commolere*, referre solent Job. IV, 10. *dentes leonum juvenum* נִתָּעוּ pro נִתְּעוּ *fracti sunt*. Veri perquam dissimile, cum ל primae radicalis in nullo verbo Hebraico praeter לקח, inque reliquis linguis Orientalibus plane non excidat. Potius hoc נִתָּעוּ infra quaere, sive sub נתע, sive sub תעע.

Est

Est tamen ob sequens nomen scitu necessarium, quid verbum Arabibus significet. Nihil ejus novimus, praeter id, quod lexica Arabum habent, لتغ jam esse idem quod لدغ *momordit*, jam لتك *percussit*, manu. Multa praeter haec habet ad Jobi locum Schultensius, ut, *commolere*, nempe, quod מלתעות sint *dentes molares*, sed hoc gratis sumtum, et reliqua omnia conjecturae etymologicae. Ipse quidem لتغ nullo in libro Arabico legisse videtur, nec ego legi.

1347. מלתעות *dentes canini* Ps. LVIII, 6.

Ἅπαξ λεγόμενον, reliquis enim locis (Joel. I, 6. Prov. XXX, 14. Job. XXX, 17.) מתלעות scriptum, ad radicem תלע pertinet. Male *dentes molares* vertere solent, filoque orationis, *elide* מלתעות *leonum juvenum*; parum apte: molares enim dentes in leonibus aliisque bestiis carnivoris parum metuendi, nec faciles elisu, ac ne juvaret quidem illos elidere: ne derivatio quidem favet, a לתע (لتغ) enim, mordere, dentes potius morsores erunt, i. e. anteriores et acuti, quos caninos dicimus. Jam supra dictum, Geuhario et Camuso testibus لتغ idem esse quod لدغ, hoc vero explicant, *punxit cauda scorpio*, *momordit serpens*, ut facile intelligas, ubi vel *mordere* est, de acuto morsu poni: inde لَدِيغ *punctus vel morsus a serpente*, et لُدَّاغ *acuta spina, aculeus*.

Ergo omnino *dentes* sunt *acuti et anteriores*, terribiles in leonibus. Praeiverunt mihi Orientales interpretes, Syrus ܢܟܬܘܗܝ, eumque hic sequutus Arabs Polyglottus (Antiochenus enim minus distincto vocabulo utitur) انياب *dentes anteriores*, similiterque Chaldaeus, ניבי.

Error lexicographorum et interpretum ex LXX fluxit, quorum versio psalmorum miserrrima: hi enim τὰς μύλους τῶν λεόντων verterunt, quod in Vulgatam, Lutheri versionem, et lexica immigravit.

Caeterum duo Kennicotti codices hic habent, ut in reliquis locis reperitur, מתלעות. Utrumque vocabulum significatione idem, sola derivatione diversum.

1348. מְאֹד *aeternum. Incurvatio, onus? Inclinatio. Contentio virium.*

Particula Hebraeis frequentissima, ut vel Noldius contra suum institutum omnia loca ubi occurrit indicare non auderet, ignota reliquis

 lin-

linguis Orientalibus, forma, nomen ſubſtantivum, atque adeo, licet rarius, ut nomen occurrens. VALDE, vertunt, recte plerumque, ſed et alia ſignificare videtur, eo magis neglecta, quod nimia copia deterritus Noldius hanc particulam elaborandam non ſuſcepit.

Aeternum, perpetuum, praecedente עד ſignificare videtur, Jeſ. LXIV, 8: *noli iraſci Jehova* עד מאד *in aeternum*, cui in altero membro reſpondet, ואל לעד תזכר עון, *et ne in aeternum memor eſto culpae:* verſuque 11, *num propter hoc ſilebis*, ותענגו עד מאד *et humiliari nos ſines in aeternum.* Sic ſaepe in pſalmis poni videtur, ut CXIX, 43. ubi et Kimchius in lexico interpretatur עד עולם. Aliquid hujus rei monuit Caſtellus, ſed reliqui, etiam qui ejus lexicon legere potuiſſent, ac lexica ſcribere auſi debuiſſent, omiſerunt.

Ejus loco etymologias dederunt, alias opinabiles, veri diſſimillimas alias. De utriſque dicendum. Ad veri diſſimiles refero, quod in plura lexica irrepſit, a מדד, *ut notet*, (Cocceji verbis utor,) *commenſum et συμμετρίαν virium et actionis, ita ut actio habeat virium uſum et contentionem.* Non queror de nimis artificioſa ac prope metaphyſica etymologia, ſed de grammatica, cujus leges in promtu: א unde, ſi particula eſt a radice מדד? More Syrorum dicunt, qui has conjecturas ſequuntur, additum. Syri vero participio Kal verborum mediae rad. geminatae א literam inſerunt, ܦܐܫ pro ܦܫ, (vide grammat. Syr. p. 143.) hoc quid ad rem noſtram? cum nemo מְאֹד pro participio Kal habuerit. Alicubi et א quieſcens ſuperflue nominibus inſerunt, ex vitio ſcriptionis recentiore, (ibidem p. 66.), ſed illud ſemper quieſcens, ergo quid ad מְאֹד cum Aleph mobili? Nec juſſeris, punctis mutatis quieſcere, מֹאד, quieſcens enim א ſi eſſet, omitteretur aliquando: at ſemper integram ſcriptionem מאד editiones noſtrae habent. Aliter, ad interpretationem loci in quo laborabatur, Deut. VI, 5. comminiſcendam eadem etymologia uſus Raſchius, בכל מאדך ſignificare dicens, בכל מדה ומדה, *in qualibet menſura quam tibi Deus admenſuraverit, ſive beneficentiae, ſive poenae:* cui cum neminem, Moſaica legentem, aut grammaticae modice peritum, conſenſurum putem, refero, non refello.

Hoc quidem commentum Rabbinorum, in meliora etiam lexica, Coccejanum adeo, receptum, plane repudiandum. Multo veriſimilius recentiorum non pauci ad radicem אוד retulerunt, Arabice أود *curvari, curvato corpore conniti.* Egregie ſane ex hac derivatione מְאֹד ut nomen

ac-

acceptum, locum tuebitur, Pf. CXIX, 107. נעניתי עד מאד *humiliatus fum usque ad incurvationem fub onere*, itemque Pf. XXXI, 12. ubi idem effe poffit, quod Arabicum أَوْن *onus*. Particulae quidem vix ibi locus, fed expedita fententia: *factus fum* לשכני מאד *vicinis meis onus, horror amicis, et qui me in platea vident, fugiunt me.*

Deut. VI, 5. מאד fimpliciter nomen effe, (*amato Jehovam* בכל מאדך) manifeftum, de fignificatione tamen nominis multus diffenfus, nec hactenus expofitus, quod verbum nimia copia opprimens lexicographi tractarunt negligentius.

1) Mihi verifimillimum, *inclinationem* fignificare, ab أون quod et incurvari eft, et inde *inclinari* (مال Arabes ipfi exponunt) *amato Jehovam deum tuum, toto corde tuo, tota anima tua, tota* (mentis tuae) *inclinatione*, germanice diceres, *mit deiner gantzen Neigung*. Sic, ni fallor, ex veteribus Saadias, جهدك *ftudio tuo*, Arabs Erpenianus, retento etiam verbo, quod vixdum ut interpretationem lexicographorum Arabum pofueram, في جميع مالك *tota inclinatione tua*, (nifi forte, ut aliqui deinceps indicandi, *opes*, intellexit, nam et hae Arabice مال dicuntur,) quodque Matthaeus habet c. XXII, 37. ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου, forte eodem pertinet.

2) Poffit et, *vires, totam contentionem virium* fignificare, collato أَيِّد *validus*, quamquam forte hoc cum priore أون origine idem, viribus a connitendo toto corpore dictis. Sic LXX ἐξ ὅλης τῆς δυνάμεώς σου, Marcus c. XII, 30. 33. et Lucas c. X, 27. ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, Vulg. *ex tota fortitudine tua.*

3) Haec quidem duo conjunxit Marcus XII, 30. ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, itemque v. 33. ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος, atque Lucas, X, 27. ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου: quam duplicem ejusdem vocabuli verfionem non puto Marci aut Lucae effe, de Hebraicis interpretandis haud folicitorum, fed exemplorum quibus illi utebantur feptuagintaviralis verfionis.

4) Magnopere difplicet, quod habet Chaldaeus, בכל נכסך, Syrusque, ܒܟܠܗ ܩܢܝܢܟ *omnibus opibus tuis*: fequutus etiam Chal-

Chaldaeum Kimchius in lexico, בכל ממנך, *toto Mammone tuo.* Non ſolum poſt, *totum cor, totamque animam*, hoc valde ſubſidit: ſed ne ratio quidem philologica verſionis aut etymologica reddi poteſt.

1349. מאס *ſprevit*, ex prima notione, *repulit, everrit.* Pſ. LVIII, 8.

Spernendi, repudiandi ſignificatio nota et certa: vix tamen illa locum tueri videtur Pſ. LVIII, 8. יִמָּאֲסוּ כְמוֹ מַיִם *ſpernantur ut aqua praeterfluens*, (ſic LXX) aut, *ut aqua effuſa*, Syro duce, ܢܬܡܣܘܢ ܐܝܟ ܡ̈ܝܐ ܕܡܬܐܫܕܝܢ. Aliter Vulgata, *ad nihilum deveniant, tanquam aqua decurrens:* non inepta conjectura, ſed מאס nec Hebraeis nec linguis Orientalibus eſt, *ad nihilum devenire.* — — Recentiorum plerique arrepto Judaico de א epenthetico ſtatuto, voluerunt, idem eſſe ac יִמַּסּוּ *liqueſcent*, praeiveruntque quodammodo ex veteribus Symmachus, διαλυθήσονται ὡς ὕδωρ παραπορευόμενον ἑαυτῷ, Chaldaeus, *liqueſcent* (יתמסון) *in peccatis ſuis ut aqua abit*, incertum, utrum eodem artificio commentitiae grammaticae uſi, an, quod aliqui Kennicotti codices habent, ימסו legentes. Eſt tamen incondita phraſis, et ſententia inepta. Aquam quis dicat liqueſcere? Glacies, nix, liquefiunt, non aqua, quae jam liquida eſt.

Prima verbi ſignificatio ea eſſe videtur, quam Golius p. 2910. ſub Arabico مأس prodidit, 1) idem quod دحا *repulit*, unde et ſpernendi ac repudiandi notionem fluxiſſe arbitror, 2) سحا *raſit pluvia terram.* Ex hac quidem pſalmi verba egregie vertes: *radantur*, i. e. *eluantur tanquam aqua, et abeant ſibi.*

Videris etiam, haecne repellendi notio aptior quam altera ſpernendi ſit Prov. III, 11. *ne repelle caſtigationem domini*, et Job. XXXIV, 33. Sed dubitans ſcribo.

1350. מאר Levit. XIII, 51. Ezech. XXVIII, 24.

Primus, quantum memini, ex lexicographis verum dixit, idem eſſe quod Arabicum مأر *recruduit*, Simonis. Male olim ex Kimchii lexico receptum erat, *dolorificus fuit*, unde Levit. XIII, 51. verti ſolebat, *lepra dolorifica*; inſcite et contra hiſtoriam morbi, lepra enim ſine dolore eſſe ſolet, non dolent partes ea adfectae, ſed omnem ſenſum amittunt.

Nec

Nec melius erat, quod habebat ſub hac radice Reuchlinus, *pupugit*. Ezech. XXVIII, 24. ממאיר poſſit eſſe, ſive, *recrudeſcere faciens antiqua vulnera*, ſive et, *hoſtilis*, *irritans*, nam et hoc مأر ſignificat.

1351. מבט 2 Par. IV, 16.

Pro נחשת־מרוק loco quem citavi in codice Kennicotti 188 (Mediolanenſi, ſeculi ut putant, duodecimi) eſt נחשת ממבט. Non praefero aut probo lectionem, explico tamen. Extulerim, מְמֻבָּט *aes ita fulgidum ut intueri vix poſſis*. Sic ad radicem נבט pertinebit, ſed hic poſui, ubi quaeſitum iri putabam.

1352. מגוג *Scythia* Geneſ. X, 2. Ezech. XXXVIII, 2. &c.

Egi de hoc nomine in Spicilegio T. I. p. 28–32. in qua tractatione tamen ſunt, quae nunc diſplicent, ut, quod a Syrorum ſcriptoribus ſeculi dicimi tertii novae quid lucis ſperavi, qui tamen in uſu vocabulorum Gog et Magog non niſi Arabes ſequuti ſunt, ad quos redeundum erat. Eſt mihi jam impoſita neceſſitas, de hoc nomine paulo agendi copioſius.

Primus nomen gentis, aut regionis, a Japhetitis habitatae poſuit Moſes, medio inter Cimmerios et Medos loco: ipſiusne autem tempore populi horum tractuum hoc ſe nomine vocarint, an fuerit illis ab Aramaeis, Hebraeis, Phoenicibus inditum, pro certo non dixerim: Scythae ſi ſunt, ortu linguaque gentes diverſiſſimae quas uno complecti nomine Graeci ſolent, ne potuerunt quidem omnes commune et unum ſibi nomen indere. Unum certum, in omni geographia Graecorum Latinorumque (*), nullam gentem MAGOG reperiri, nec hucusque, qui Ruſſici imperii Aſiaeque ſeptentrionalis hiſtoriam ac geographiam magna diligentia et felicitate ſcrutati ſunt, in ulla nominis *Magog*, ut gentium alicui vernaculi, veſtigia incidiſſe. Quodſi ea, quae ſub גוג ut conjecturalia diſputavi, lectoribus videantur veriſimilia, גוג idem eſſe ac, durius

(*) Plinius quidem Hiſt. nat. l. V. §. 19. Coeleſyria, inquit, *habet — Bambycen, quae alio nomine Hierapolis vocatur, Syris vero Magog*, quae ad verba mira lectu commentatus eſt Harduinus: ſed eſt manifeſtum ſphalma librariorum, pro, *MABOG*, ſic enim, ܡܒܘܓ Hierapolis Syriace vocatur. Jamdudum monuit, ac, niſi fallor, omnium calculum tulit, qui eum legerunt, Aſſemanus in diſſertatione de monophyſitis T. II. bibl. Or. praemiſſa, ſub *Mabug*.

rius paulo adpellatum, *Chakan*, regis in magna borealis Asiae parte nomen; מגוג esse possit, *regio Chakanorum*, i. e. earum gentium, quae regem suum *Chak* vel *Chakan* vocabant, earumque adeo, quae ultra eas sunt ad septentrionem et Orientem, icognitarum et barbararum. מ literam formandis nominibus praemissam, locum plerumque significare, ex initiis grammaticis notum. Nulla post Mosen gentis, a Palaestina remotissimae, mentio usque ad Ezechielem, de Gogo, rege, et Magogo, populo, aliquando Palaestinam invasuro, vaticinantem.

Praecipuas nominis explicationes verbis Bocharti indico, ex ejus geographia S. l. III. c. 13. sumtis: *Magog Ambrosio Gothorum, Eusebio Celtarum et Galatarum, auctori chronici Alexandrini Aquitanorum, Chaldaeis Germanorum, Arabibus Tatarorum, Josepho, Eustathio, Hieronymo et Theodoreto Scytharum pater fuit, quod verissimum.* Liceat mihi in haec commentari, antequam sententiam dicam.

Primo et mihi verisimillimum, *Magog Scythiam, Scythasque* esse, nec tamen Scytharum patrem: gentes tam lingua diversas, quas omnes Scytharum nomine complectimur, cur ad unum patrem referamus? Verum jam vix opus disputatu, video enim plerisque recentiorum probari, quod ante multos annos in spicilegii geographiae initio disputavi, non haec nomina genealogiasque singulorum hominum esse, sed populorum eo tempore notorum. Quod de Arabum et Josephi sententia habet, sono diversum, re idem, qui enim alii Tatari vulgariter sic dicti, quam Scythae? Sed de Arabibus infra videbimus. *Gothos* qui volunt, non opponendi Scythas interpretantibus: Gothos in Scythis censent, nobilissimamque sui temporis gentem Scythiae Europaeae nominant. De *Germanis* quae habet, de iis in spicilegio T. I. p. 11–15. dictum; גרמניא Garamaei sunt, Assyriae populus, non Germani. Caeterum si quis in Scythis etiam censeat Germanos, non obstrepo, gentes enim nostra lingua utentes in Scythia et Europaea habitarunt, et in Asiatica habitasse visi sunt eruditis. Sed haec non est hujus loci quaestio.

Facit pro Scythis, praeter eorum quos Bochartus citavit auctorum nomen et auctoritatem, vicinia aliarum gentium, quibuscum מגוג componitur: Moses medium habet inter Cimmerios et Medos, quibus utrisque a septentrione erant Scythae, utrisque etiam, sed multa post secula, cum ex septentrione erumperent, bello terribiles. Ezechieli Magog populus est valde septentrionalis, cum Rossis Moschis et Tibarenis, eundem aliquando regem habituris, compositus, cap. XXXVIII, 2. 3. 15. itidemque

cum

cum Cimmeriis et Thogarma. Vide, quae his de populis, חבל, משך, ראש, תגרמה, גמר, aut diximus, aut suo loco dicemus, intelligesque in vicinia illorum, sed borealiorem, Scythiam esse.

Scythiae nomen cum immensos terrarum tractus, populosque ortu ac linguis diversissimos complectatur, primo facile intelligitur, nihil hos ita definiti respondere, qui dicunt, Magog Scythiam esse, ut, qua lingua Magogitae usi sint, quo in tractu mediocribus circumscripto finibus habitarint, inde colligi possit. Sed jam nova quaestio, מגוג eademne sit latitudine sumendum, qua Scythia Graecorum Latinorumque, an ad aliquem certum populum tractumque Scythiae restringendum?

Mihi quidem prius videtur non verisimilius modo, sed a certo proximum. Nihil Mosi, Ezechieli, Hebraeis, ultra Magogum, tantosque illi dat Ezechiel exercitus, ut mediocriter magna regio vix sufficiat. Ultima septentrionis et Orientis septentrionalis Mosis tempore nondum satis cognita; verisimillimum, eum haec omnia, plane ut Graeci Latinique fecerunt, utque et nos seculo adhuc superiore faciebamus, Scythiae et Tatariae, uno nomine complecti, Magog.

Sed accedit Arabum usus, de quo autem ante omnia monendum, Hebraeis cum גוג regis, מגוג gentis vel regionis nomen sit, eos *Jagog et Magog* ياجوج وماجوج ut duo gentis nomina componere, atque interdum alterum, sive *Jagog*, sive *Magog* solum ponere. Erroris hic aliquid subesse videtur, ac forte, ut Sina vel China in Tschin et Matschin distinguebantur, ita et Scythiam in Gog et Magog divisam putabant fuisse, priore *Gog*, nescio quam ob caussam, in *Jagog* mutato. Arabibus quidem inde a Muhammedis tempore Jagog et Magog multo celebrior, quam nobis christianis Gog et Magog, inque theologiam receptus. Muhammedes, non bonus historicus, hic tamen quam alias excusatior, Sur. XVIII, 94-99. de Alexandro Magno refert, populos barbaros ac saevos, vicinis graves, *Jagog et Magog*, muro ferreo aeneoque includente, quem aliquando perruptum iri praedicit. Vult theologia Muhammedana, id brevi ante extremum judicium eventurum, (vides unde sumtum) sed Jesum, equo fulmineo Alborac vectum, Jagogum et Magogum victurum et prostraturum esse. Disputavit de hoc muro copiose, atque, ut mihi videtur, vere, Theophilus Sigfr. Bayer, in scripto academico, cui titulus *de muro Caucaseo*, quod in opusculis ejus a Klotzio editis habes p. 94-125. Est illi, murus per ea Caucasi, quae non plane sunt inaccessa superarique possent, a Caspio mari ad Pontum Euxinum ductus,

ctus, in historia perquam celebris, cujus in hunc usque diem partes ac rudera supersunt. Hunc quidem, ut alia multa fabulose ad Alexandrum Magnum refert Asia, quod quam fiat male docet Bayerus: ipse quidem arbitratur, a Medis jam exstrui coeptum, oppositumque fuisse incursionibus Scytharum barbararumque ultra Caucasum gentium. Ab urbe Derbent murus incipit, quem et αὐτόπτης descripsit Joannes Jacobus Lerch in itineris diario, tabulaque geographica adjecta ejus initium expressit. (Vide *Büschings Magazin* T. III. p. 8. tabulamque adjectam.) Alii tamen, quos olim in spicilegio sequutus eram, ipseque adeo geographus Nubiensis, murum a septentrione Sinae *Jagogi Magogique murum* vocant. Vathecus Chalifa anno Christi 842 virum eruditum, Salamum misisse dicitur, ipsas terras Jagog et Magog aditurum, deque illis relaturum certiora: quo in itinere quid viderit Salamus, de eo refertur in Nubiensis geographia p. 267-270. sub nona orbis sectione, i. e. sub China, atque in Herbeloti bibliotheca Orientali p. 470. 471. Ipsos libros, ex quibus sive hic sive ille hausit, non vidi, unum video, fabulosa multa admixta esse: Herbelotum si sequamur, Salamus, Derbento proficiscens versus septentrionem, post 27 et 10 dierum iter ad loca pervenit, quae quaerebat: monstrabantur illi urbium rudera, quae dicebantur olim a Jagog et Magog fuisse habitatae. 27 + 10, id vero est 37 dierum iter, facere 148 usque ad 288 aut plura milliaria germanica potest, (vide num. 971. p. 1065. 1066. scripta) ubi ergo haec Gogi rudera invenerit Salamus, a geographiae imperii Russici perito discere malim, in quo quidem scio ingentia cultarum olim ac florentium gentium, quarum ne nomina quidem certo novimus, rudera superesse. Mihi manus de tabula esto, maxime, cum libros Arabicos non habeam, ex quibus Herbelotus et Nubiensis hauserunt. Id unum intelligo, murum si quem Salamus post longum iter vidit, non hunc esse, a quo iter exorsus est, a Derbent incipientem, sed alium longe remotiorem.

Sed de hoc muro utcunque esto, id video, Arabum geographis *Jagog et Magog* ad ultimum usque Orientem pertinere. Quod antequam expediam, scire velim lectores, Nubiensi terrarum orbes non in septem modo climata latitudinis, ut geographis veteribus omnibus, sed et in decem segmenta (جزء) ab Occidente ad Orientem dividi. Horum segmentorum septimum complectitur (*) mare Caspium, urbemque Derbent, seu, ut Nubiensi

(*) Nubiens. p. 243.

bienſi vocatur Babulabvab, ex quo Magogitas quaeſitum verſus ſeptentrionem Vatheci juſſu Salamus proficiſcebatur. Jam, ſub

octavo ſegmento, Indiae jam quodammodo parallelo, in climate ſexto p. 264. Nubienſis habet terram Siſian, (سيسيان) quae olim vaſtata ſit a Jagog et Magog, (eadem, ut videtur, rudera, quae Salamus deſcribit, ſed ab hoc explicando mihi tempero, quod fontes adire nequeo.)

In *nona ſectione* Indiae adhuc et parti Sinae parallela, p. 267. 268. ſub climate VIto, *murum* habet *Jagogi et Magogi*, quem putat a Salemo viſum fuiſſe, nec obloquor, ſed fontibus diſtitutus his me longis immergere quaeſtionibus nolim. Porro ſub climate VII. p. 278. *continet haec pars nona climatis ſeptimi portionem terrae Jagog et Magog interioris, et portionem maris picei.* (Sic vocat mare Chinam inter et Coream, *la mer jaune* in Danvillii mappis) Hic quis non videt, de barbaris illum loqui qui Chinae a ſeptentrione erant?

Denique in *decimo ſegmento*, quod cum mari pacifico deſinit, ſub climate quinto, p. 249. habet. *Jagogi partes ſuperiores, quae ſit regio perquam habitata, praeclaras urbes habens:* itemque p. 271. ſub climate ſexto. Manifeſtum, hic intelligi, quae Chinae a ſeptentrione ſunt. Sic et p. 36. Clim. I. Sect. X. mare pacificum dixerat, *attingere Oceanum, qui attingit regiones Jagog.* Abulfeda etiam, verſionis Reiskianae a Büſchingio (*) editae p. 275. Chinae a ſeptentrione eſſe dicit Jagug et Magug.

Plura non colligo, veritus, ne lectores fatigem, fiamque quam optarint liberalior.

1353. מָגַד *abundavit* &c.

Verbum מגד in codice Hebraico non occurrit, eſt tamen de ejus ſignificationibus ob nomina inde derivata dicendum. مجد plerumque *gloriam* et *nobilitatem* ſignificat, ut ex lexicis Arabicis intellectu facile, ſed et alias notiones habet. Schultenſius ad anthologiam Arabicam, Hamaſa, p. 477–481. et 542. de verbo egit, addens et Geuharii et Tebrizii excerpta, quae in chreſtomathia Arabica typis deſcribi feci p. 91. licet in etymo, quod Schultenſio eſt, *turgere*, ab illo diſſentiam.

Tebri-

(*) In, Büſching. *Magazin* T. IV.

Tebrizio أمجد in quarta, idem quod أكثر *abundanter dedit*, *multum dedit*, unde poetae Arabici Abdolmelech illa (chrest. p. 119.) أمجدنا قرى explicat, *copiose nobis praebuit cibum doloris*, conferens Arabicum, أمجد الدابة *copiose praebere jumento cibum*, vel pabulum. Id mihi, licet Schultensio displicuerit, verum, videoque et alias huic verbo abundantiae notionem inesse. Geuhari citat sub decima conjugatione proverbium Arabum, *in omni ligno ignis*, واستمجد المرخ والعفار *sed abundat eo, vel abundantius praebet eum March et Gafar*. Primum omnino etymon investigare non ausim, sed notarum mihi significationum haec series esse videtur, 1) *abundavit*, et in transitivis conjugationibus 2) *abundanter dedit, liberalis fuit* 3) a liberalitate, quam virtutem fere unice admirari Arabes solent, dicta *gloria*, *decus*, *nobilitas*, *excellens quidque*.

Schultensius, nemine Arabum praeeunte, vult, ex prima notione esse, *tursit*, quia أمجد *(cibum largiter praebuit jumento)* de eo dicatur, qui virente illud pabulo pascit, nempe, quod virore turgeat. Haec nimis conjecturalia: opponunt sibi Arabes aliquando أمجد *viride pabulum praebere jumento*, et علف *paleam pro pabulo dedit jumento*, sed non inde sequitur, ut prima vis verbi in *viriditate turgente* sit. Syris ܡܓܕܐ *fructus aridus*, *pomum siccatum*, sed non inde effecerim primam vim verbi in ariditate esse.

Jam ab hoc verbo Hebraei habent

1354. מֶגֶד *abundantia*, *larga dona*.

Sic occurrit, varia constructione, jam ad coeli, jam ad terrae larga dona restrictum, Deut. XXXIII, 13. מגד שמים *largum donum coeli*, i. e. pluvia et ros, statim per טל, explicatum, v. 14. bis de *ubere dono fructuum annuorum et quovis adeo mense sibi succedentium*, v. 15. 16. de *ubere dono montium et terrae* i. e. de fructibus ex ea nascentium. Mire Schultensius ex suo gratis sumto etymo, Arabibus ignoto, מגד שמים *turgorem coeli* vertit, *influxum coeli* intelligens *qui turgere facit omnia*. Melius in rei summa veterum non pauci, *fructus* vel *poma*, intelligentes, licet ubi de coelo sermo, rorem et pluviam praetulerim: Syrus, ܐܒܐ Maurus, jam ثمر jam فواكه, Symmachus, ὀπώρας, Vulg. v. 13. *de pomis coeli et rore*, 14. *de pomis fructuum solis ac lunae*, 16. *de frugibus ter-*

terrae. Meminerimus ex ſupra obiter dictis, Syris ܡܓܕܐ *pomum* eſſe, tanquam donum terrae κατ᾽ ἐξοχήν. LXX ὥρας habent, jam quidem *tempora anni quo fructus matureſcunt*, jam forte et *ipſam maturitatem* fructuum intelligentes, v. 13. ἀπὸ ὡρῶν οὐρανοῦ καὶ δρόσου, v. 14. καὶ καθ᾽ ὥραν γενημάτων ἡλίου τροπῶν, v. 16. καὶ καθ᾽ ὥραν γῆς πληρώσεως. Sed de Graeco vocabulo diſputandi, hic non locus.

In Cantico bis cum פרי componitur, פרי מגדים IV, 13. 16. *fructus uberes arborum* deſignans, ſemel VII, 14. כל מגדים ſimpliciter ſunt, *omnis generis poma*, additurque חדשים גם ישנים *nova atque etiam vetera*, ex quo liquet, non ad ſola *poma arida* et adſervata, ut vult Caſtelli lexicon Syriacum ſub ܡܓܕܐ, ſed et ad recentia Hebraeis pertinuiſſe.

Haec ergo mihi ſignificationum ſeries: 1) *donum liberale*, 2) coeli, *ros et pluvia* 3) terrae, *fruges et poma* 4) antonomaſtice, *poma*, cum in arboribus adhuc haerentia, tum ſervata atque ſiccata.

Judaei de vocabulo utcunque conjiciebant et varie. Ex his Raſchium ſequutus Reuchlinus, *delicatum*, *dulce*, vertit, reprehendens adeo Vulgatam, cujus auctor Hieronymus ex multo antiquioribus Rabbinis profecerat, ut ſi auctoritate Rabbinorum ſtandum, Vulgata Raſchii conjecturis magnopere praeferenda videatur. Recentiores fere *pretioſum*, *excellens* vertunt, aliqui ad linguam provocantes Arabicam, nempe quod in Golii lexico inter alia legerunt, مَجُدَ *gloria et honore excelluit.* Atqui hoc non omnia excellentia et pretioſa denotat, ſed eſt denominativum a مَجْدٌ *nobilitas*, *honor*, *gloria*, unde active مَجَدَ *ſuperavit gloria*, paſſive, مُجِدَ *praelatus eſt honore et exiſtimatione.*

1355. מגדנות Gen. XXIV, 53. Ezr. I, 6. 2 Paralip. XXI, 3. XXXII, 23. *larga dona*, *largi reditus annui.*

Geneſ. 20. non dubitans *liberalia* interpretor et *magnifica dona*, in quo ſi a lexicographis recentioribus fere deſtituor, praeeuntes habeo veteres, LXX, δῶρα, Vulg. *dona*, Syrum ܡܘܗܒܬܐ reddentes. (Arabs Erpenianus قواكي ibi habet, quod non intelligo, ſcripſeritne فواكه fructus, ut eum מגד vertere ſupra vidimus.) Eodem modo et Ezr. I, 6. acceperunt LXX. ξένια, Syr. ܡܘܗܒܬܐ. 2 Paral. XXXII, 23. ipſa res

 clamat

clamat, dona intelligi: ſic et ibi LXX. *δόματα*, Vulg. *munera*, Syr. ܡܘܗܒܬܐ.

At 2 Paral. XXI, 3. ex lectione conſveta, ולמגדנות a donis (מתנות) diſtingui, atque ut ſpecies eorum poni videtur, ut conſveta verſio, *et pretioſa*, illi loco ſatis apta. Unus quidem codex Kennicotti, ל ommittit, habetque ומגדנות: ſic erit aliud donorum et majus nomen, *dedit illis dona auri et argenti, et magnifica dona cum urbibus*. Sic ibi Syrus, *donum multum* (ܡܘܗܒܬܐ ܣܓܝܐܐ.). LXX ibi *ὅπλα* verterunt, ſuſpicante patre meo eos מגנים legiſſe. De hoc quidem loco certi nihil adhuc ſtatuo, verum tamen aut attigiſſe, aut proxima eſſe, Vulgata videtur, *penſitationes* vertens: nempe Arabibus أمجد inter alia eſt, *copioſe cibavit*, vel *nutrivit*, hinc מגדנות *copioſa nutrimenta, reditus annui.*

1356. מגדנים 2 Paral. XXXII, 27.

Pro מגנים *clypeis*, in quo aliquid me offendebat, ſuſpicabar olim, legendum מגדנים eſſe, ac quod vix auſus eſſem ſperare, in duobus codicibus, 150 et 170, hanc lectionem Kennicottus reperit. Ergo et de ſententia, quam lectio fundit, dicendum. Habuimus ſupra מגדים *poma*, nec in arbore modo pendentia, ſed et adſervata, atque adeo Syris arefacta: idemne et מגדנים ſignificat? Ad ſeriem orationis egregie ea notio apta. Sunt Hiskiae theſauri, primo, auri, argenti, et lapidum pretioſorum, deinde בשמים et מגדנים i. e. *aromatum*, et *pomorum* futuro tempori ſervatorum.

Ad eandemne radicem referendum et

1357. מגיד Zach. IX, 12?

ſed mutatis vocalibus מַגִּיד efferendum? Sic, *liberale donum*, ſignificaret, verbaque מַגִּיד משנה אשיב לך, vertenda, *altera tibi dabo liberalia dona*, uberrimas benedictiones ſecundas iterum tibi dabo.

מִגְדּוֹ quaere ſub גדד num. 395.

מִגְדַּל ſub גדל.

1358. מִגֵּן *donavit, tradidit hoſti.*

Praeter loca in lexicis citata, Geneſ. XIV, 20. Hoſ. XI, 8. Prov. IV, 9. lectum quoque olim, ut Lowthus in notis ad Jeſaiam monuit, videtur,

tur; Jes. LXIV. 6. וַתְּמַגְּנֵנוּ *tradidisti nos in manum*, i. e. potestatem peccatorum nostrorum. Sic sane LXX *παρέδωκας ἡμᾶς*, Chal. מסרתנא, Syr. ܐܫܠܡܬܢ. Nullus tamen ita codex Hebraicus nobis servatus.

Verbum hac notione non habent Syri, Arabesve, derivata tamen ejus ܡܓܢ, et مَجَّان *gratis*. Suspicor, aliquas a nostra plane remotas significationes quas aliae linguae Orientales habent, non ad hanc radicem sed ad גנן pertinere, ut مجن *durus fuit*, denominativum forte a מגן, ܡܓܢܐ *habitatio*, a ܓܢ in Aphel ܐܓܢ habitavit.

Ad verbum, soli Hebraismo superstes, pertinere etiam videtur,

1359. מָגֵן *liberalis*, *munificus*, *beneficus*, *nobilis*.

Nempe aliquoties מָגֵן legitur, ubi clypeo non bene locus, mallesque מָגֵן *munificum*, *liberalem*. Genes. XV, 1. ubi deus victori Abrahamo, אנכי מגן לך, vide utrum praeplaceat, *ego clypeus sum tibi*, quo in ultimumOrientem fugientibus hostibus victori vix opus, an, *ego liberalis tibi ero?* maxime cum statim sequatur, שכרך הרבה מאד *praemium perquam magnum tibi dabo*, inque reliquo capite totius aliquando Palaestinae possessio praemium magnanimo ejus liberatori promittatur.

Ps. LXXXIV, 12. displicet omnino, שֶׁמֶשׁ וּמָגֵן יהוה, *sol et clypeus est Jehova*: quae imaginum disjunctissimarum compositio? At si efferas מָגֵן *sol*, *et beneficus* (proprie, donator) *est Jehova*, omnia apta, maxime cum sequatur, *gratiam dabit et honorem*, *nec quidquam boni negabit integre euntibus*. Sol communis benefactor omnium.

Prov. VI, 11. XXIV, 33. אִישׁ מָגֵן *vir clypei*, displicet: intelligunt *praedonem armatum*, cui paupertas comparetur segnes invasura: at praedonis arma non clypeus, sed gladius, sed tela. Malim ergo vertere, ausus etiam in bibliis germanicis, *superveniet tibi paupertas*, *ut viator*, *et egestas* כְּאִישׁ מָגֵן *ut viro liberali*. Desumta imago a viatoribus, hospitium quaerentibus, atque ad bonos et liberales divertentibus. Vide notas germ. Obiter et hic aliquid adnotare lubet de Chaldaeo et Syro, c. XXIV, אִישׁ מָגֵן *tabellarium* interpretantibus: de jure angariarum cogitarunt; nuntii regis Persiae, armati, cogunt angariarum jure eum, cujus equus illis placet, ex equo descendere. Verum hoc jus a Persis excogitatum,

atque

atque adeo nomen Persicum retinens, seu potius haec injuria, Salomonis tempore nondum fuit.

Ps. LXXXIV, 10. Davidem Israelitae dicunt, מגננו: et hic fere *benefactor*, σωτὴρ, magis placeret, quam *clypeus*.

Ps. XLVII, 10. *Dei esse dicuntur* מָגִנֵּי ארץ *clypei terrae*. Magnates, clypeos dici volunt. Id mihi parum verisimile: nec tamen ipse certi quid habeo. Mallem et hic מְגַנֵּי efferre, atque intelligere, sive, *nobiles terrae*, liberalitas enim Arabibus nobilissima virtus, atque pro ipsa nobilitate poni solet, sive, *ultro se donantes Deo*, sponte ex aliis populis deo adgregatos. Sed adhuc dubito.

1360. מגר Ps. LXXXIX, 45. Ezech. XXI, 17. (et Chald. Ezr. VI, 12.)

Vertunt fere, *projecit*, *humi prostravit*, aptissime certe psalmi loco, cujus versionis rationem satis dilucide ex Chaldaismo reddidit Coccejus. Non obmitor, atque in versione germanica sequutus sum: Arabia tamen cum nullum hujus significationis vestigium habeat, Chaldaismusque Rabbinicus, (purum enim non habemus) aliquando verbis significationem induat ex Rabbinica Hebraicorum interpretatione, dubitare, et certiora desiderare liceat. Haec habituri eramus, si certum esset, quod tradit Castellus, ܡܓܰܪ Syriacum esse, *cecidit:* verum unde id sumtum? nullum enim nec auctorem nec exemplum addidit.

Arabibus مجر idem quod Hebraicum מכר *vendidit*: hoc perquam aptum loco Ezechielis, *venditi gladio*, et Ezrae, *vendat deus omnem regem*, i. e. in potestatem hostium tradat, ut מכר Hebraicum frequentissime ponitur, sed psalmus respuere videtur, duriusculum enim, *vendidisti in terram*, licet constructionis sylleptícae nomen praetexere possis. Nihil definio: interrogo, nec mihi, qui forte responsum non audiam, sed aliis.

ממגרה quaere sub גור n. 351. licet ad hanc radicem pertineat.

1361. איש מִדָּה.

Interpretantur aliqui, *virum majoris staturae*, Jes. XLV, 14. quod si probes, (mihi quidem germanice vertenti Jesaiam haud se adprobavit) conferes Arabicum, مديد *procerus*, a مدّ *extendere*. Ab extendendo

do ipsa etiam mensura dicta, extendimus enim funem mensurantes. *Sabaei* quidem *homines majoris staturae*, Aethiopes Herodoti Macrobii esse possint, de quibus ille, libr. III. §. 20. λέγονται εἶναι μέγιστοι ἀνθρώπων πάντων. Quamquam ea legenti, quae de Macrobiis narrat, non incerta solum, sed et pleraque falsa ac fabulosa videbuntur.

1362. מִדִּין Jud. V, 10.

Difficillimus est locus, ac nemini praeter antiquissimum interpretem intellectus, punctis etiam, ut mihi videtur, vocalibus impeditus, Jud. V, 10. ישבי על מדין *sedentes super Middin.* Hic non nisi eas recenseo interpretationes, quae mihi non probantur, meliorem et antiquissimam sub מיד dabo in מד pluraliter מִדִּין. Hoc autem ante omnia notent lectores, in describenda festiva pompa *sedentes super* מדין medio loco poni, inter, *vectos asinabus variegatis*, et, *euntes in via.* Ipse locus inspiciendus, ac, si lubeat, versio mea germanica in subsidium vocanda.

Jam ergo,

1) Κριτήρια *locum judicii* interpretantur, LXX, illisque hic consentientes Vulgata, et Chaldaeus. Sic jam a vocalibus recedendum, efferendumque, מְדִין, quod cum facere ausus esset Clericus, audaciam vocat Lettius, in observationibus criticis ad Deborae canticum. Puncta si non sunt antiqua, nulla in illorum mutatione audacia. Sic sententia prodibit, *sedentes ad judicia*, i. e. *vos, judices, viri primarii senatores:* ad seriem orationis satis apta, nec repudianda, nisi melior illustriorque jubeat illam loco cedere.

2) Syrus et Arabs vertunt, *sedentes domi.* His מדין singularis numeri visum est, idemque significare, quod מדינה, *civitas.* מְדִין adpellasse videntur. Vix tamen mihi persvaserim, nomen urbium מדינה, quod alias semper femininum est, masculine contra usum linguae efferri.

3) Hanc quidem sententiam amplexus Schnurrer in canticum Deborae, alio modo ex his literis effecit. מַדִּין vult esse, *stragulas vestes*, a مدّ extendere: in his qui sedeant, otiosos esse, ac sedere domi.

4) Coccejus de מִדָּה mensura cogitavit, *custodes mensurae et aequitatis* intelligens.

5) *Kall* in dissertatione in hunc locum eos intelligit, *qui modico frumento ac tanquam mensura sua* contenti sint.

6) *Lette*, eos qui tributis praesident. Male et incogitanter. Illo in initio rei publicae liberae nondum erant tributa, nec eorum exactores, nisi forte hostes tributa victo imposuissent populo: nec sane victis Israelitis sub Jabino licuisset, tributa colligere contra victorem. Hostiles autem tributorum axactores solemnem pompam ob victoriam ab his ipsis hostibus reportatam non comitabuntur. Haec omnium miserrima interpretatio; verte quaeso germanice,

ihr die ihr auf scheckigten Eselinnen reitet;
ihr Licent-Einnehmer,
und ihr die ihr zu Fusse gehet,
wallfarthet,

et gustu aliquo judica.

7) Hillerus vestes intelligebat, asinis impositas, ut Christi discipuli fecerunt, Matth. XXI, 7. Id mihi parum verisimile: rarius factum discipulorum Christi, defectu stragulorum solitorum in novam verso honoris significationem: nec uspiam usitatum legimus, vestibus insidere, stragulis suppetentibus.

Ex his interpretationibus si eligere optimam necesse esset, primam praeferrem. Mihi vero consuli posse obscuro vocabulo videtur, mutatis vocalibus, מִדִּין, a singulari מַד, quod quaere infra sub מיד.

1363. מַדּוּחַ *encomium, laus*, Thren. II, 14.

מדוחים Thren. II, 14. LXX. ἐξώσματα, Vulgata *ejectiones*, Syrus et Chaldaeus *deceptiones* verterunt, referentes nisi fallor, ad quam radicem et Coccejus retulit, ad נדח. Ego malim, *laudes et encomia*, a ܡܕܚ *laudavit*, ܡܕܝܚ *laus*: nec tamen certus sum, aurium judicio *encomia*, et *impulsiones ad errorem* comparentur.

1364. מַדָּן *urceus vini* Zeph. I, 9.

Pro בית אדניהם Zeph. I, 9. Syrus legisse videri possit בית מדניהם idque vertit, ܒܝܬ ܡܕܢܝܗܘܢ *cellaria sua*. Referendum, si vera lectio, nomen, ad ܕܢ *urceus vini, qualis sub terra recondi solet*: hinc בֵּית מַדָּנִים *domus urceorum*, cellarium erit subterraneum, *reconditorium vini*. Vide et lexicon Syriacum p. 485. ac bibliothecam Or. novam T. II. p. 229.

229. 230. ubi moneo, forte Syrum legiſſe, ut noſtra exempla habent, ארכיהם, ſed Aleph pro Heemantico habito cum Syriaco ܡܪ̈ܟܝܗܘܢ comparaſſe.

1365. הִתְמַהְמַהּ *cunctatus eſt.*

Notiſſimum verbum, ſed de cujus etymo aliquid dicendum. Fuerunt qui ad מָה interrogativum, QUID? referrent, ut cunctator ſit, qui innumeras ex quaeſtionibus quaeſtiones nectit: huic derivationi obſtat He Mappikatum, ac, ſi nullam punctorum rationem habeas, certe mobile, nec enim in flexione verbi ante incrementum finale excidit.

Recte ergo Simonis Arabicum مَهَّ contulit, ſed de quo paulo agendum diſtinctius ac plenius.

Ergo Arabibus Syriſque מַה particula eſt prohibentis: مَهْ Geuhari dicit eſſe, *particulam prohibentis, abſtine, deſine,* et ܡܗܐ Syrorum lexicographi explicant, *cave.* Equos, camelos, cum ejuſmodi humani ſermonis particulis alloqui ſoleamus, quas crebro uſu intelligere diſcunt, verbum ex ea denominativum مَهَّ eſt *conſiſtere fecit camelum*, atque inde intranſitive, *leniter*, vel potius, *tarde ac ſequius inceſſit camelus.* Quadriliterum مَهْمَهَ *increpando abſtinuit*, indeque تَمَهْمَهَ Hebraeorum Hithpael ſimillimum, *abſtinuit, deſtitit.*

Ad noſtrum התמהמה, non ad radicem תמה, referendum התמהמהו Jeſ. XXIX, 9. Duo verba, inertiae ſignificationem habentia, ſono ſimilia, componuntur, התמהמהו ותמהו *cunctamini et ſocordes eſtote.*

1366. מהל *perfudit, miſcuit aqua vinum.* Jeſ. I, 22.

Miſcendi ſignificatio certa, nec cuiquam dubium, quin סבאך מהול במים ſit, *vinum tuum mixtum eſt aqua:* ſed quod addere ſolent lexicographi etymon, מהל Thalmudicis idem eſſe quod מול *circumcidere*, valde ſupectum ſemperque diſplicuit. Nos quidem Germani per jocum dicimus, *vinum baptizari (der Wein iſt getaufft)* quod facile omnes intellexerint, at, *circumcidere vinum*, quae phraſis, quam abſona? Malim conferre Arabicum مُهْلٌ quod de lente fluentibus poni ſolet, eſtque, *minera, metallum, aes fuſum, amurca olei, oleum ipſum, ſanies.* Ipſumque

que verbum مَهَلَ quod, *sensim*, *quiete incessit*, explicant, proprie esse videtur, *lente vel leniter fluere.* Hinc transitive etiam erit, *lente perfundere*, et סבא מהול במים *vinum perfusum aqua*, cui clanculum aqua adfusa est.

Arabicae linguae usum jam contulerat Josephus Kimchius, sed brevior, quam vellemus, lexicis Arabum hic nos destituentibus. Sic ejus filius, David Kimchi, in libro radicum: *significatio verbi* מהול, *est, mixtus, attulitque pater meus demonstrationem ex lingua Arabica, in qua de mixto dicitur*, مهل, مهلي.

1367. מֹהַל *venenum*, Prov. XIX, 29.

مُهْلٌ Arabibus inter alia est *venenum*, nempe quod lente et clam potui adfunditur. Monui jam p. 549. מהלמות לגו כסילים Prov. XIX, 29. mutatis vocalibus et vocibus aliter divisis, eximiam sententiam fundere, ומֹהַל מָוֶת לְגוֹ כסילים *venenum mortiferum* (paratum vel destinatum est a providentia) *visceribus stultorum.* Plures una probabiles illa verba ferunt explicationes, prout aliter dispertiris voces.

1368. מֹהַר *dos, a sponso oblata*, מָהַר *dotavit.*

Est haec *dotis*, et *dotandi* notio, quam nomen habet Genes. XXXIV, 12. Exod. XXII, 17. 1 Sam. XVIII, 25. verbumque denominativum Exod. XXII, 16. non certa modo et dubii expers, sed et pluribus communis linguis Orientalibus. Habent Syri ܡܗܪܐ *dos*, Arabes, مَهْر *dos, vel donum sponsalitium, quod futurae uxori promittitur*, مَهَرَ *scripsit dotem donumve sponsale mulieri, et ita eam duxit uxorem*, مَمْهُورَة *dotata, vel eum* مَهِيرَ *in uxorem ducta mulier.* Caveant autem sibi lectores ab errore, manifesto, quem doctissimi etiam interpretum lexicographorumque commiserunt, ambiguitate eos latini nominis DOS fallente. מהר non est dos, quam marito sponsa offert, sed quam sponsus virgini dat, eamque hac dote emit. Ac ne dotem quidem proprie vocaveris, sed pretium virginis, quo a patre emitur, a quo מַתָּן *donum* ultra pretium emtionis stipulatum, diversum. Vide loca supra citata. Ergo Ps. XVI, 4. אחר ימהרו

non

non debebat verti, *qui alium dotant*, Coccejo interprete, *qui cum alio sponso et rege scortantur, dotem ei dantes, quum a me dotem, nempe spiritum, justitiam, vitam accipere nolint.* Nec tamen est, ut ex his Coccejanis suspicari possis, inter christianos nata, sed jam a Judaeis tralatitia versio, error satis antiquus ac Rabbinicus, nisi quod Rabbini ad idololatriam munus datum amasiis retulerunt. Nomina non addo errantium, quod infinita: fraudi etiam Judaeis interpretibus mutati temporis longo lapsu et exsiliis mores, ex quibus jam diu sponsa Judaica dotem marito adfert, quod olim non sic erat, nec jam est apud Orientales.

Caeterum cum מֹהַר *dos, qua uxor emitur*, et מָהַר *festinare*, significationes sint, toto coelo diversissimae: suspicor, *dotis*, et, *dotem promittendi* aut *dandi* notionem huic radici adscititiam esse, et ex cognata sono, מור, *permutare, emere*, mutata media rad. Vau in He ortam.

1369. מָהִיר Jes. XVI, 5. Ps. XLV, 2. Prov. XXII, 29. Ezr. VII, 6.

Proprie, *festinus:* hinc vero, *rei peritus*, *expertus*, dicitur. Sic quidem Syris ܐܣܝܐ ܡܗܝܪܐ *medicus praestans atque experientissimus*; ܡܗܝܪܘܬܐ *exercitatio*, *doctrina*. Arabibus jam ingenium, jam exercitationem rei, notat: مهر *acutus ingenio et solers fuit, in re exercitatus fuit et excultus*, مهور في الماء (celer in aqua) *natandi peritus*, مُتَمَهِّرَة *leo praedando exercitatus*, quin et medicos peritos, plane ut Syri, Avicenna مَهَرَة (singulariter, ماهر) vocat. Aethiopibus verbum cum derivatis plane totum ad doctrinae notionem transiit, *docuit*, *erudivit*, *doctus*, *legis peritus*, *doctrina*, *doctor*, *magister*, &c. Vide lexicon Aethiopicum, sive Ludolfi, sive Castelli. Nempe rem artemque qui didicit et doctrina et usu, promte eam facit. Ergo non ex sola derivatione, sed ex usu Orientalium rem si existimes, Ezr. VII, 6. Ezram, סופר מהיר בתורת משה non tachygraphum facies, quinque, ut volunt fabulae, legis exempla una manu simul describentem, sed plane ex Aethiopico usu, legis peritissimum et doctissimum: nec Ps. XLV, 2 celeritatem scriptionis laudari putem, sed praestantiam, ingenium, doctrinam scribentis. Jes. XVI, 5. מהיר צדק *peritus juris* erit, non proprie festinans, festinationem enim in jure dicundo nec laudare solemus nec optare. Prov. XXII, 29. possit quidem מהיר במלאכתו non inepte esse, *promtus et alacer*

alacer in negotio suo, ex reliquorum tamen locorum usu malim et hic, *negotii sui peritum* intelligere, ita tamen ut *doctrinae et exercitationi* acumen quoque ingenii, ex usu Arabum, si adjungere lubeat, me contradicentem non habeas.

1370. מואב, num aliquando nomen urbis?

מואב et nomen gentis esse, et regionis, illud masculino, hoc feminino genere, satis notum. At Jerem. XLVIII, 4. ubi legimus, נשברה מואב *fracta est Moab*, vix regio esse possit, cui verbum frangi haud competit, nec, sine magna anomalia, populi, quia verbum est generis feminini. Estne ergo hic nomen urbis, ejusdem quae alias Hebraeis ער מואב, Graecis Ἀρεόπολις? Sic quidem Arabes eam vocant, contracto illi quidem nomine, MAB. Abulfeda pag. 90. Syriae, مآب وهي الربّة مدينة قديمة *Mab, eadem quae Rabba* (רבת מואב) *urbs antiqua, sed nunc vicus Rabba dictus.* Quod si hic verum, forte et transferri ad alios ejusdem capitis versus possit, in quibus urbis nomen quam totius regionis legere malis, quia cum aliarum urbium nominibus componitur. Est tamen perquam incerta de his et Jesaiae et Jeremiae capitibus, quibus vaticinia contra Moabum continentur, disputatio, quod ex alio forte antiquiore propheta tralatitia et renovata aliam prope syntaxin generis habere videri possunt, quam reliqui Hebraeorum libri, maxime in populorum, regionum, urbium nominibus.

1371. מואל Prov. XXX, 1. 4.

Jam de hoc nomine boni regis, si ל ejus pars sit, sub למואל num. 1322. egimus. Quodsi Lamed praefixum censeas, מואל esse possit, sive, *a deo datus*, *Theodorus*, *Dieudonné*, pro מֵאֵל, plane ut Mem in Moabi nomine, מוֹאָב, *a patre*, Genes. XIX, 37. per Cholem praefigitur, sive, *asylum*, *perfugium civium*, Arabice مَوْئِل vel مَوْئِل, de quo vide sub radice יאל num 936. scripta.

1372. מוג *fluctuare.*

מוג *liquescere* vertunt, atque ubi transitive ponitur, *liquefacere*, ex conjectura potius, non improbabili, quam linguarum orientalium usu et auctoritate. Arabibus quidem ماج pro موج est, *fluctibus commotum fuit*,

fuit, *et undas jactavit mare*, ac nomen notissimum, مَوج *fluctus*. Jam vide, haecne significatio locis Hebraicis conveniat. Ps. XLVI, 7. post gravem terrae motum descriptum, et magnorum regnorum mutationem, sequitur, תָּמוּג אֶרֶץ. Hic utrum malis *liquescit terra*? an, *fluctuat terra*, *retro-citroque movetur*? ut vere in terrae motibus accidere solet. Confer et Amos IX, 5. — Ps. LXV, 11. בִּרְבִיבִים תְּמֹגְגֶנָּה erit jam, *imbribus fluctuare facis terram*, i. e. in stagna eam fluctuantia convertis: quo loco quid spectantes LXX et Vulg. verterint, εὐφρανθήσεται *laetabitur*, Syrus ܬܪܒܐ *crescet*, (germen terrae) non adsequor: forte solam et hi conjecturam sequuti sunt. Ps. CVII, 26. egregie ac proprie de his qui procella fluctibusque jactantur: *adscendebant in coelum*, *subsidebant in abyssum*, נַפְשָׁם בְּרָעָה תִתְמוֹגָג, *anima ipsorum in malo fluctuabat*. Praeiverunt tamen hic solitum recentiorum, *liquescebat*, LXX et Vulg. ἐτήκετο, *tabescebat*. — — De acie positum, *fluctuat*, *huc illuc movetur*, bene locum tuetur 1 Sam. XIV, 16. Plerumque translate de magno terrore et fluctuatione animi ponitur, ut Exod. XV, 15. Jos. II, 9. &c. &c.

Jes. LXIV, 6. וַתְּמוּגֵנוּ, seu, ut habent aliqui codices Kennicottiani ac de Rossiani duaeque a de Rossio citatae editiones, וַתְּמוֹגְגֵנוּ erit, *fluctuare nos facis in peccatis nostris*, ita peccatis nostris nos permisisti, ut omnibus libidinum fluctibus abripiamur ac jactemur. *Tradidisti*, verterunt, LXX. Syr. Chald ad rem satis bene, traditur enim a deo peccatis, qui his abripitur: sed forte legerunt aut legendum censuerunt, וַתְּמַגְּנֵנוּ. Ex consveta lectione unum modo Gimel habente וַתְּמוּגֵנוּ Kal erit, hocque, ut multis in verbis, Arabum maxime, praeter intransitivam significationem, *fluctuavit*, et transitivam adsciscet, *fluctuare fecit*.

1373. מוֹדִעִים.

Sic Hebraice scribendum esse urbis nomen in historia Maccabaica celeberrimae μωδεεὶν, 1 Macc. II, 1. XIII, 29. 30. ex Syro interprete liquet, qui ex Hebraico exemplo librum vertens, his literis, ܡܘܕܥܝܢ nomen exhibet. Notandum id ob errorem Porphyrii, qui Deum מָעֻזִּים Dan. XI, 38. *deum in Modiim jussu Antiochi cultum esse* putabat. Aliae sunt literae, alius et literarum ordo. Vide plura in nota ad 1 Macc. II, 1.

מֹחַ *medulla*, quaere sub מחח.

1374. מוט *vectis*, *feretrum*, Num. IV, 10. 12. XIII, 24.

Vectem vertere solent, nec negaverim hanc vocabulo notionem, Num. XIII, 24. aptissimam: at parum apta reliquis duobus locis, candelabrum enim aureum, velo involutum, cum omni suo vario adparatu, vecti et vero uni impositum quis portet? aut quis vasa omnia altaris, velo involuta? Hic potius *feretrum*, quadratum illud, vertendum erit. Caeterum sive feretrum, sive vectis, quo aliquid gestatur, a nutatione et tanquam claudicatione nomen accepisse videtur, in qua dum gestatur, est.

1375. מוך Levit. XXV, 25. 47.

Ad hanc radicem, non ad מכך, referunt lexicographi, cum ob vocales, מָךְ (v. 47.) tum ob scriptionem cum Vau, ימוך (v. 25). Sic ergo conferendum Syriacum ܡܟܝܪ, Hebr. II, 9. pro Graeco ἠλαττωμένος positum. Est tamen hoc ipsum Syriacum dubium, aliis enim vocalibus scriptum ܡܟܝܪ, radicis consvetae מכך erit. In Hebraicis codicibus v. 25. nullam lectionis varietatem reperit Kennicottus, at Samaritani sine Vau ימך habent, i. e. יָמֵךְ.

1376. מול et מיל *inclinare, deflectere.*

Circumcidendi significationem, Syris, Samaritanis Arabibusque ignotam, in sola habet lingua Hebraica et Chaldaicorabbinica, nec, ut mihi quidem videtur, a secando aut caedendo ortam, quod מול vel מיל nulli linguae Orientali significat, sed a radice cognata מלל, 1) *urere*, 2) *stigmate notare*, tralatitiam. Ergo nec ex hac commentitia caedendi significatione, loca Ps. LVIII, 8. CXVIII, 10. 11. explicanda putem, sed potius conferendum Arabicum مال *inclinare, deflectere.* Priore loco, de telis positum, erit, *tela ejus deflectunt*, i. e. ad metam non perveniunt: posteriore de hostibus, אֲמִילַם *inclinabo illos*, i. e. in fugam conjiciam. Monuerim, his ipsis locis veterum neminem, de *caedendo*, quod recentiores habent, cogitasse, licet, in difficili verbo laborantes, varia conjecerint. In psalmo 58. LXX et Vulg. ἀσθενεῖν, *infirmari*, vertunt, Syrus, *absumi* (*jaculabitur sagittas, donec absumtae sint, nullas amplius sagittas habeat*, sicque idem et altero in loco:). Symmachus, ὡς θρυπτόμενα, *ut comminuta*, sicque idem in psalmo 118, συντρίβειν: inque hoc ipso psalmo 118, LXX et Vulg. ἀμύνασθαι, *ulcisci*, Chald. *evellere.*

1377.

1377. מום *labes, macula corporis.*

Habent eadem ſignificatione Syri, Arabesque, illis ܡܘܡܐ *macula*, his صيم *variolae plumbei coloris.* Hoc tamen legens, noli, ut fecit Cromayerus, Job. XI, 15. de *variolis* cogitare, Jobi morbo. Vix videntur illo tempore variolae jam notae fuiſſe, ſilent certe de illis medici. Potius, ſi qua in loco ineſt ad morbum Jobi alluſio, *maculae leproſorum* purpureae aliaeque intelligendae. Ad hoc nomen et retulerim, mutatis vocalibus, Sophon. III, 18. מֻמֵּךְ הָיוּ *macula tua erant*, atque

1378. ממזר Deut. XXIII, 2. Zach. IX, 6.

i. e. מֻם זָר *labes peregrini*, turpis exterus, populo maculae et dedecori futurus. Occupaverat jam ſententiam pater meus, cujus verba, bibliis ſuis adſcripta, vide in jure Moſaico T. II. §. 139. p. 452.

1379. תמונה Num. XII, 8. Pſ. XVII, 15.

Imaginis ſignificatio, notiſſima vocabuli תמונה, his quoque duobus locis non inepta, ſed tamen plus aliquid, quam *imaginem Dei* exſpectes, cum Num. XII, 8. aliis prophetis Moſes opponatur, quibuscum in ſomnio Deus aut viſione colloquitur.

Eſtne ergo his locis תמונה, *eſſentia*, *ſubſtantia*, *IPSE*, ut loco pronominis IPSE Arabes صورة, *forma*, *imago*, ponere ſolent. Ejusmodi auxiliaria nomina pro IPSE multa Orientales habent. *Ipſum* Deum, i. e. ut alias vocari ſolet, ejus gloriam videbat Moſes: *ipſum* deum etiam magis proprio ſenſu, in futura a nobis viſum iri vita ſperamus. In Numerorum quidem citato capite *gloriam* Dei habent, LXX. Chald. Syr. inque pſalmo LXX. Saadias in Numeris eadem, quae eſt in Hebraicis ambiguitate vertit, صور الله, quod poſſit, ſive *forma dei* eſſe, ſive, صور idem quod صورة ſignificante, *ipſe deus.*

1380. מוץ *gluma.*

Glumam, (folliculum ſeu thecam grani) intelligunt plerique, idque mihi vel ob derivationem probare videor, eſt enim ab Arabico موص *fricare.* Nec tamen diſſimulandum, veteres non plane hic eſſe unanimes. Ut exemplo utar Jeſ. XXIX, 4. Syrus quidem, ܟܘܣܐ i. e. *glu-*

 mam,

mam, vel, *festucam* habet: at LXX, cum hic, tum alibi (e. g. Pf. I, 4.) latiore vocabulo uſi, χνοῦς, *pulverem* reddunt. Eſt de hoc Graeco vocabulo dicendum, quod in eo pleroſque labi video, ac *favillam* interpretari, quae pleriſque locis, in quibus χνοῦς legitur, plane inepta. Solent LXX et pro עָפָר ponere, id eſt ſimpliciter pro pulvere. Arabs Jeſ. 29, 4. قبا i. e. *pulverem*, vertit. Hieronymus vero, hoc ipſo in Jeſaiae loco verſionem Graecam latine exhibens, *favillam* vertit, idemque vocabulum et in Vulgata retinuit: quod quomodo acciderit, ex Julio Polluce diſces, l. X, §. 111. Nempe *cinerem album in carbonibus dici* tradit, χνοῦν τῶν ἀνθράκων, pulverem carbonum. Haec vera, ſed non ideo ſemper χνοῦς, *favilla*. Non tam haec Hebraico vocabulo illuſtrando poſui, quod recte *glumam* interpretari ſolemus, quam Graeco χνοῦς pro eo ſubſtituto.

1381. מיץ Prov. XXX, 33.

חמאה cum mihi ob rationes num. 757. expoſitas non butyrum videatur, ſed lac, illis non accedo, qui מיץ חלב יוציא חמאה vertunt, *preſſio lactis elicit butyrum*. Potius cum موص ſit *fricare* manu, qui actus eſt mulgentis, et حلب *mulſit lac*, malim mutatis vocalibus מִיץ חָלָב vertere, *frictio mulgentis elicit lac*. Praeiviſſe aliqua parte video, et מיץ de mulgendi actu accepiſſe, Vulgatam, *qui fortiter premit ubera* ad eliciendum lac, et Chaldaeum מַן דְּמָיֵץ חַלְבָּא *qui premit*, ſive etiam ex uſu verbi מוץ apud Chaldaeos Syroſque, *qui exſugit, emungit lac*. Ipſum Chaldaicum Syriacumque *exſugere, emungere*, a fricando videtur ductum.

1382. מֹק Jeſ. V, 24.

מק hoc quidem loco ad radicem מקק tabeſcere vix videtur referendum, de arbore enim igne combuſta et in cinerem reſoluta ſermo: malis ergo, *pulverem* vel *cinerem* eſſe. Praeiverunt alterutrum, LXX. ὡς χνοῦς ἔσται, quod nomen jam de *lanugine*, jam de *pulvere* ponunt, ſepties quidem ut ex Trommio diſces, pro עָפָר, Syrus ܐܝܟ ܐܒܩܐ *ut pulvis* Vulg. *quaſi favilla erit*. Poteſt id מק ſignificare, ad radicem מוק relatum, eſt enim موق Arabibus *pulvis*; nec tamen מַק per Patach ſcribendum erit, ſed, ut Stephani biblia in folio minore, Vanderhoogthiana, Maji aliaeque editiones habent, מָק per Kamets. Poſſis eandem cum ſcriptionem tum ſignificationem.

tionem, alteri quoque Jesaiae loco, in quo מַק occurrit, c. III, 22. commodare, atque adeo praeiverunt ibi LXX *κονιορτὸν*, Syrus ܚܠܐ vertentes, verum nec consveta interpretatio, *foetor, foeda tabes*, ei inepta.

1383. מֹורְאָה Sophon. III, 1.

De obscurrissimo vocabulo, ad plures ab interpretibus radices relato, ante omnia notandum, XLIII illud Kennicotti codices sine Vau מראה scribere: alias interpretationes מוראה, alias מראה admissuro. Sophonias cum et alias ad nomina Hierosolymae alludat, eaque literarum mutatione in pejus flectat, cujus rei exemplum num. 1246. sub מכתש habuimus, perquam mihi verisimile, idem illum et in nomine proprio, *Moria*, montis in quo templum exstructum, facere, maxime cum hoc in textu Samaritano Genes. XXII, 2. iisdem literis המוראה scribatur. Placeret ergo, modo se offerat, hujus nominis in deterius mutatio, displicent interpretationes, quae in laude poni sumunt, quod ne filo quidem orationis satis aptum.

1) Ad radicem מרא, et vero ad מֻרְאָה ingluvies, retulit Raschi, *pollutam* explicans: ex quo forte Lutherus, *du Scheusliche*. Id quidem sequenti ונגאלה aptum, sed parum verisimilis derivatio, cum ingluvies non, ut ipse putat, a sordibus et stercore, sed a مرؤ *bene cibum concoquere, saginare*, nomen habeat. Ad hanc radicem relatum, posset potius,

2) *saginatam*, *bene pastam* significare: sed nec id auribus se meis adprobat.

3) Hieronymus, *provocatricem*, vertens, in commentario haec habet: *vae civitas provocatrix, quod significantius in Hebraeis dicitur, MARA*, (intelligis ex his vocalibus eum sine Vau legisse) *id est, παραπικραίνουσα, quod nos possemus dicere, Deum amarum faciens*. Retulit ergo ad radicem מרה vel מרר, idemque fecit aliqua in Hexaplis servata graeca versio, *ἀθετοῦσα*. Placeret explicatio, ut urbs in deterius accepto nomine, *Moria*, rebellis diceretur et refractaria, sed obstat scriptio per Aleph, refractaria enim, provocatrix, amaritudine adficiens, מרה foret, quod nullus omnino codex habet.

4) Quid spectaverit Chaldaeus, מוחיא, *festinam*, vertens, aut quid sibi velit, *urbs festinans*, obscurum. Contulitne תַּמְרִיא Job. XXXIX, 18. idque putavit esse, *festinare*?

5) LXX ἡ ἐπιφανής, et Syrus ܢܨܝܚܐ nobilis, illustris. Nempe ad radicem sive ראה, sive אור retulerunt, ut sit, sive eminus conspicua, sive, lucida: ut saepius, (exempla dabit Trommius p. 607. concordant.) mali grammatici נורא ἐπιφανής verterunt. In Sophoniae quidem loco errati illos grammatici non adcusaverim, sine Vau enim מראה si legerunt, poterat omnino radicis ראה esse: malim tamen vituperium, quam urbem illustrem, laudem, habere.

6) Ad ירא timuit, si referas, possis terribilem vertere, eique et sequens נגאלה adcommodare, collato Arabico جال, unde جيلان terror. Sed displicet, convicium exspecto, non laudem.

7) Ab eadem radice tentaveram olim, idololatrica, superstitiosa. Nempe idola Hebraeis terriculamenta audiunt, ipsumque ירא ita Thalmudicis usurpatur, ut vel idolum et idololatria יראה dicatur. Vide Buxtorfii lexicon p. 980. Jam tamen magis placet,

8) ad Arabicum وراء, post, pone, referre, illi, quod ante nos, oppositum, notissimam particulam, a qua et Transoxanam ما وراء النهر (Mavaralnahar) id quod est trans fluvium, dixerunt. Sic erit oppositio ad faustam nominis מריה interpretationem, vidit Jehova, vel visus est Jehova, significabitque, rejectam a deo, cui tergum obvertit. Ex textu Samaritano Genes. XXII, 2. suspicari licet, hoc dicterium Samaritanorum in Hierosolymam fuisse, plane ut מקדש in מכתש convertebant.

1384. מות mori.

Ezechieli saepe pro omni supplicio graviore ponitur, ut cap. III, 18. &c. Non eum de morte, quam recentiores habent, spirituali cogitasse arbitrer, sed per aliquem Aramaeismum omnia graviora supplicia mortis nomine complecti. Notio secundae mortis, serior, post reditum demum ex Babylone invecta, novi foederis tabulis frequens, ex Hebraicis prisci vix certo exemplo probanda.

Coaevus Ezechieli Jeremias semel eodem modo ponere videtur c. XXXI, 30. asperiore etiam constructione, ante stuporem dentium, איש בעונו ימות כל האדם האוכל הבסר תקהינה שניו quisque ob suam culpam morietur, et qui comederit omphacem ejus stupebunt dentes: et utroque antiquior Hoseas, c. XIII, 1. Ephraimus ויאשם בבעל וימת reus factus est Baalis

Baalis cultu, et mortuus est, statim pergens, *et nunc addunt peccare.* Hic nec de vera morte, nec de ea, quam aeternam, nec de spirituali quam dicunt, quisquam cogitaverit.

Terribilis olim theologia scholastica, volens ob solum Adami peccatum aeternis suppliciis omnes ejus posteros obnoxios esse, triplicem quam statuebat mortem, primo adeo loco ubi mortis mentio fit, Genes. II, 17. obtrusit: qui significatus verbi nullo Hebraico exemplo stabiliri potest. Vide quae contra sententiam crudelem, ne carnifice quidem dignam, copiosius disputavi in, *Gedanken über die Lehre der heiligen Schrift von der Sünde und Genugthuung* §. 40. Non nisi de morte proprie sic dicta verba, *quo die comederis ex arbore moriendo morieris*, accipienda, ita tamen, ut, *mori*, hic sit, *mori incipere, mortalem fieri.*

In Scholis theologorum cum saepe traditum sit, MORI proprie *separationem* significare, ut, *separationem animae a corpore*, quae sit naturalis, *animae a Deo*, quae sit spiritualis mors, sciendum, ejusmodi significationis verbi מות nullum vestigium, nullum indicium in lingua Hebraica aliisque Orientalibus repertum esse. Omnia sumta ex Platonica philosophia, ac vero ab iis male intellecta et mutata, qui haec theologiae, ipsique adeo (nefas dictu) catechismo inferebant. Ex Platonis sententia *mors* est, dissolutio animae a corpore, non ex etymologia, sed ex definitione; sed addit, hanc potius solutionem animi a corpore *vitam* esse, ac suae philosophiae finem, *mori*, i. e. corporis imperio et vinculis exsolvi, contra, unionem corporis et vitae vere mortem esse. Cupisne haec, nimis quidem acute et mystice, ad Genes. II, 17. translata? invenies apud Philonem de legibus allegoricis, T. I. ed. Mang. p. 65. seqq.

1385. מָוֶת *pestis.*

מָוֶת *mors*, ex serie orationis Jerem. XV, 2. XVIII, 21. *pestis* est: lege verba integra, nec meis argumentis opus habebis. Sic et Arabibus مُوتَان morbus epidemicus, et *θάνατος* Apoc. II, 23. VI, 8. *pestis.* דבר כבד מאד Exod. IX, 3. Graeci reddiderunt, *θάνατος μέγας σφόδρα.* Ipsum latinum, *pestis*, ejusdem etymi est, Gallicum, *la mortalité*, Germanicum, *der schwartze Tod*, nomen funestissimae, quae Germaniam medio aevo vastavit, pestis.

Hanc significationem et ad Jes. XXV, 8. transtulit Houbigantius et verba, בלע המות לנצח vertit, *tollet pestilentiam ad multos annos.* Ennoto, sed non probo.

1386. מְזֵי רָעָב Deut. XXXII, 24.

Multum in ἅπαξ λεγομένῳ ſudatum. Mihi, ſi vera lectio, optime placet Graecorum, τηκόμενοι λιμῷ, quo et forte referri poſſit, quod habet Syrus, ܢܠܐܘܢ ܒܟܦܢܐ, ſi vertas, *fatigabuntur, langueſcent fame.* Poſſis conferre Arabicum, مذى *laxavit:* laxati fame erunt, ſoluti fame ac debiles, ἐκλυόμενοι, ut Graeca phraſi utar.

Recentiores plerumque, praeeuntibus Judaeis, et Mauro (محروقون) ad radicem Chald. אזא referunt, quam volunt eſſe, *accendere* ut ſit, *uſti fame.* Diſplicet: ne certa quidem verbi אזא, quam ſumunt, ſignificatio, quod Danieli c. III, 19. potius eſt, *coacervari:* nec ab אזא recte feceris, מְזֵי, ſed potius מאזי: nec placet phraſis; ſiti *urimur*, non fame. Ab eadem radice, ſed quam *exſufflare* interpretabatur, Onkelos, נפיחי כפן *ſufflati fame:* obſcurum, quod ne Raſchius quidem, fidus Chaldaei interpres, expedire potuit. Alii, mira phraſi, *tumidi fame.*

Saadias سَجّار الجُوع, quod et, *uſti fame*, et, *exinaniti fame*, eſſe poſſit.

Omni hac diſputatione non opus, ſi elegantem praeferamus Samaritanorum lectionem, ab uno etiam firmatam codice Hebraico, ſed recentiore, (343 Kenn.) מזה רעב *hinc fames.* Vereri tamen poſſis, ne ſit ingenioſa difficilioris vocabuli correctio, quales Samaritani multas habent.

1287. מֵזַח.

Non nego, Pſ. CIX, 19. *cingulum* eſſe, ut ibi LXX. Vulg. Chald. Syr. Hieron. ſatis vertunt unanimiter, nullas tamen interpretationi ſuppetias ex linguis ſororiis ferre poſſum. مَذِحَ Arabibus eſt, *mutuum femorum confrictum pati inter eundum,* تَمَذَّحَ *ſugere, intumeſcere,* أَمْذَحُ *foetens.* مزح cum ſuis derivatis, *jocari.* Haec quid ad cingulum? Suſpectam potius faciunt, ex conjectura interpretum perantiqua receptam ſignificationem, cui ne derivationem quidem ex linguis Orientalibus invenire aut conjicere licet. Ut plane fatear, et mihi res ſuſpecta, ipſaque conſtructio vocabuli, non per כ ut praeceſſerat, תהי לו כבגד, ſed per ל, למזח, ſuſpicionem auget, cingulo enim ſi compararetur maledictio,

dictio, ex prioris membri analogia ſcribendum fuiſſet, וכמוח תמיד יחגרה. Conjicere ſi mihi liceret, ut licuit, quos ſequi ſolemus, veteribus, collato Arabico أَمْكَخَ *foetens, foedum* quid et *turpe* intelligerem: *ſit illi* (maledictio) *qua ſe involvit, et in dedecus ſempiternum accingat illam ſibi.*

Cingulum, linguis Orientalibus ignotum, ſi vel in pſalmo mihi ſuſpectum ubi veteres in illud omnes conſenſerunt, multo minus placere poterit Jeſ. XXIII, 10. ubi ſola praeivit Vulgata ab Hieronymi manu habens, *tranſi terram tuam quaſi flumen, filia maris, non eſt cingulum ultra tibi.* In commentario quidem Hieronymus nihil ad eam, locum ibi ex LXX interpretatione explicans. Alii ibi aliter: Chaldaeus, תקוף, *robur, vires,* quod unde ductum aut arreptum, non conjicio. Syrus, *(tranſi in terram tuam filia Tharſchiſch, non eſt amplius)* ܕܢܕܚܟܝ ܠܟܝ *qui propellat te:* extuliſſe videtur, מֵזַח, ut participium a זחח, زَحَّ *impulit.* LXX *navigia* intellexerunt, πλοῖα οὐκέτι ἔρχεται. Id quidem ab eodem زَحَّ vocabulum ſignificare poſſit, naveſque ab impellendo dici, quod *remis impelluntur.* Hoc quidem in verſione Germanica, ſed ita mutata lectione verſus, עִבְדִי אַרְצֵךְ כִּי אָבְדָה תַרְשִׁישׁ אֵין מֵזַח עוֹד, *cole cum indigueris terram tuam, Tarteſſum, nec enim navigatio porro,* ob rationes in bibliotheca Orientali priore, ſuppl. T. XIV. p. 46–49. redditas, ſequutus ſum. Sententia eximia: unum tamen deeſſe adhuc ſentio, exemplum Arabici زَحَّ de impulſu *navium*, i. e. de remigando poſiti.

1388. מזיח *ſitula* Job. XII, 21.

Et huic ἅπαξ λεγομένῳ ignotam reliquis linguis Orientalibus *cinguli* ſignificationem recentiores dare ſolent, nemine ex veteribus praeeunte, niſi forte Syri ܡܬܝܚܘܬܐ huc traxeris, quamquam id alias *alacritatem* ſignificare ſolet, atque ab Arabe مَرَانَة, *alacritas* vertitur. LXX et Vulg. plane in vertendo omittunt, Chaldaeus ut ſupra Jeſ. XXIII, 10. תקוף robur vertit. *Cingula ſcaturiginum ſolvere,* cum ſit paulo audacior phraſis, אפיקים, quod vide num. 142. in *promtiſſimos* Schultenſius mutat: *cingulum promtiſſimorum relaxat.*

Mihi

Mihi quidem egregie *ſcaturiginibus* מזיח convenire videtur, modo ad radicem נזח relatum, aliis vocalibus מְזִיחִים efferas: a نزح hauſit Arabes faciunt منزحة *ſitula*, inprimis, *ex ligno pendens atque in puteum immiſſa*. Verte: *ſitulam ſcaturiginum laxat*, vel, *ſolvit*, i. e. ſcaturigines exſiccat. Fluviorum Diis ſolebant amphoras dare, quibus aquam hauriunt ex ſubterraneo theſauro et effundunt, quod apud veteres uſitatiſſimum, vel in hunc diem apud nos non inſolitum. Eandem habes apud Moſen imaginem, Num. XXIV, 7. *fluat aqua ex amphora ejus*, ad quem locum, itemque ad hunc Jobi, vide notas noſtras germanicas.

1389. מזן *nituit* Jerem. V, 8.

Chethib Jerem. V, 8. מוזנים, ſi his vocalibus inſtruxeris, מוּזָנִים, radicis erit זון, atque equos *bene paſtos et nutritos* ſignificabit: poſſis vero et מוֹזְנִים, ut participium Poel radicis מזן efferre, ſic erunt (equi) *nitentes*, a مزن *nituit* Keri, מיוזנים quaere ſupra num. 976.

1390. מזר?

Habuiſſe hoc verbum Hebraeos, ut Arabes مزر et مذر habent, vix mihi dubium: ſed in noſtris Hebraicarum literarum reliquiis num occurrat, id valde dubium. Dederunt partem quaeſtionis et vero minus probabilem, lexicographi, partem omiſerunt.

ממזר Deut. XXIII, 2. Zach. IX, 6. huc retulerunt, *ex proſtibulo genitum*, intelligentes, poſſitque conferri Arabicum مذر *corruptum fuit, computruit ovum*. Mihi veroſimilius, מום זר *labes peregrina*, ſcribendum, aliter diviſis literis. Longa diſputatio, quam hic expedire nequeo. Legat, cujus intereſt, ipſa Hebraica, et expendat, utrum veriſimilius, Judaeis ne credat ſine argumentis. Vide num. 1378.

Ad hoc Arabicum مذر *foetuit*, bene referre poſſis, מזור *foedum et purulentum ulcus*, Hoſ. V, 13. Verum et bene a זור faſtidire, (p. 604.) derivari poteſt.

Prov. I, 17. מְזֹרָה ex punctis maſorethicis non ad radicem זרה referendum, ſed ad מזר, Arab. مزر, *aequaliter diſtendit: fruſtra rete* ten-

tenditur. LXX ἐκτείνεται δίκτυα. A punctis autem si discedas, et מְזֹרָה (partic. Püal) efferas, aut cum non paucis codicibus, מזרה legas, recte ex זרה interpretaberis, sive, *rete spargitur*, sive, ut fecit Schultensius, *gratis rete ventilatur in conspectu omnium alitum.* Rete ventilare erit, illud *jactare atque agitare*, quod si facias diffugiunt aves.

1391. מְזָרִים Job. XXXVII, 9. et מַזָּרוֹת Job. XXXVIII, 22.

Ejusdem mihi sideris nomen esse videtur, ac puncta Job. XXXVII, 9. alteri loco conformanda מַזָּרוֹת. Haec quidem legens, *a penetrali*, (i. e. ut mihi videtur penetralibus Austri, illa coeli australis parte quam videre non possumus, Job. IX, 9.) *procella venit, et a* מזרים *frigus:* — — atque, *educisne* מזרות *tempore suo, et sidus polare ob filios amissos solaris?* de sidere aliquo illustri, et vero boreali cogitabit. Sideris nomina esse, satis consentiunt veteres, cujus autem, de eo valde dissentiunt.

1) Ignorantiam fassi, nomen retinent, Aquila c. 37. μαζουρ, et LXX. c. 38. μαζουρωθ.

2) Chaldaeus, utrumque vocabulum distiguens, מזרים cap. 37. retinet, כות מזרים *catarrhactas Mezarim* ponens, quo nomine quid intellexerit, non liquet, מזרות cap. 38. שטרי מזלוהי interpretatur, quod ipsum quid sit, ambigitur. Schultensius Zodiacum intelligit, inque easdem partes it.

3) Vulgata, ipsa quoque nomina distinguens, מזרים c. 37. *Arcturum* interpretatur, מזרות c. 38. *Vesperum.*

4) Syrus, eumque sequutus Arabs, מזרים cap. 37. *pluvias*, interpretantur: מזרות *plaustrum* (ܥܓܠܐ, ܥܓܠܬܐ) i. e. ursam sive majorem sive minorem.

Hi omnes cum conjecerint, licetne et mihi conjecturam proponere, paulo verisimiliorem, etymo certe non destitutam. Estne utrumque מְזָרִים et מַזָּרוֹת, *corona borealis*, a נֵזֶר *diadema?* Haec et recte potest penetralibus Austri opponi, et septentrionibus componi, ab hac et frigus venit.

Veterum equidem interpretum sententias recensui, meamque addidi. Alias si cupis, ac dicta Rabbinorum, reperies in notis Hydii ad tabulas Ulughbeigi p. 70–72.

1392. מֹחַ *medulla*,

non ad radicem מוח referendum, ut faciunt lexicographorum plerique, sed ad מחח, Arabice enim fcribitur, مُخّ, indeque faciunt denominativum مَخَّخَ *emedullare*. Error grammaticus eo pertinuit, ut vel pro מֵחִים Jef. V, 17. in Cocceji lexico מֵיחִים legatur, quod codex nullus habet.

De מְמֻחָיִם Jef. XXV, 6. male et contra grammaticam punctato, quafi effet a radice מחח, vide biblioth. Or. fuppl. T. XIV. p. 60. Poffis five מְמֻחָיִם efferre five מְמֻחִים *adipes ex medulla*.

Mera haec funt grammatica, de fcriptione vocis: fignificatio difputationis non eget.

1393. מחץ.

Percutiendi fignificatio, quam verbo dant, indubia: funt tamen duo loca, Num. XXIV, 8. et Pf. LXVIII, 24. in quibus laborare poffis. De priore vide fupra num. 822. fub חֲלָצַיִם, *lumbi*, dicta: de hoc fic habe. مَحَصَ *percutere* terram, Arabibus eft, ita currere vehementer, ut veftigia pedum terrae imprimas. In Arabica chreftomathia p. 92. ubi nunc in textu legitur, (de fugientibus mulieribus, veftigia fua in nidorum formam arenae imprimentibus) لَمَّا رَأَيْنَ نِسَاءَنَا يَفْحَصْنَ بِالْمَعْزَاءِ شَدًّا *cum viderem mulieres noftras nidos facere in arena currendo*, tefte Tebrizio alii legerunt يَمْحَصْنَ *quod percuterent in arena currendo*. Eft ergo et hic, *ire per fanguinem*, *pedem fanguini imprimere*.

Idem verbum fi in fequente membro ante לְשׁוֹן כְּלָבֶיךָ fubintelligere lubeat, *hauriendi* et *bibendi* fignificatione, de qua aliqui a Rafchio nimis breviter excerpti interpretes cogitarunt, accipiendum erit. مَحَضَ *aliquid merum bibere*, aut, *bibendum porrigere:* (תמחץ) לְשׁוֹן כְּלָבֶיךָ מֵאוֹיְבִים erit, ubi antea de fanguine fermo: *ut merum fanguinem de hoftibus linguae canum tuorum praebeas.*

1394.

1394. מחות Prov. XXXI, 3.

Varias explicationes vocabuli dedit Schultensius ad hunc locum. Mihi non videtur ad מחה *percussit*, *delevit*, sed ad מחת referendum, ita ut ת radicale sit, et nomen singularis numeri. محت et intransitive est, *aestuare*, et transitive, *accendere*, hinc מחות מלכין possit esse, *fomes*, vel, *ignis regum*. Placet sententia: *noli dare vires tuas mulieribus, viasque tuas igni regum.* Fateor tamen, quoties haec Salamonis verba lego, adblandiri suspicionem, a nullo firmatam codice, eum scripsisse: לאמהות מלכין, *ancillis regum.*

1395. מטיל Job. XL, 18. (al. 13.)

Non *vectem* intelligo, ut plerique, sed *cusum*, *fabricatum*: ne auribus quidem placet, *ossa ejus sunt ut vectis ferreus*, vecti enim ossa non similia, at placet, *ossa ejus sunt ut ex ferro fabricata.* مَطَلَ est, *cudere*, مَطَّال *qui cudendo conficit cassides et similia*, مَمْطُول *cusum.* (Suspicari possis Arabum lexica legens, cum طول *longus fuit*, cognatum aut inde ortum esse, sed id jam mea non refert, dispiciant alii aut disputent.)

1396. מִי vel potius מָי *quid? num?*

Statuerunt jam dudum grammaticorum haud pauci, מִי *quis?* interrogativum de persona, aliquando et idem esse quod מה *quid?* ut 1 Sam. XVIII, 18. מי חיי *quid est vita mea.* Ab his olim dissensi, sed exemplorum, quae omnia aliter interpretari difficile, victus multitudine, sententiam mutavi. Sunt non pauca loca, in quibus idem esse videtur, quod Thalmudicum מַאי 1) *quid?* 2) *num?* (Buxtorfii lex. p. 1163.) quod si est, malim eadem ei puncta substernere, מָי, atque sic a מִי, *quis?* distinguere. Transtulit ad Cantic. III, 6. feliciter, ut mihi videtur, Velthusenius מי זאת עולה מן המדבר, in quo jam ante eum Percyo displicuerat, *quaenam est haec ascendens ex deserto*, unde lectionem mutabat מה. Hac mutatione, nullius codicis suffragio confirmata, jam non opus: possis et מי vertere, *quid hoc est quod ex deserto ascendit? quem ibi fumum ascendere video?* Plura vide in auctorum quos citavi *interpretationibus Cantici Canticorum.*

Insigne exemplum, Jud. XIII, 17. מי שמך, *quodnam est nomen tuum?* nec tamen sine lectionis varietate, aliqui enim codices, ut ex Kennicotto et de Rossio disces, מה שמך habent, unus משמך. Jes. LI, 19. מי אנחמך jam erit, *quid solabor te? cur solari te tentem?* Est tamen et in eo loco varietas lectionis, LXX, Syro, Vulgata, et codice Kenn. 384. habentibus מי ינחמך, *quis te solabitur?* Huc et referenda, falsa quidem nec nisi unius codicis lectio, pro איכה יועם Thren. IV, 1. habentis, מי יועם, *num obscuratum est aurum bonum:* verbum Rabbinis usitatissimum textui Hebraico intulit librarius.

1397. מיד *moveri, agitari.*

ميد Arabum lexicographi exponunt, *mota, agitata fuit res.* Occurrere videtur, sed verbo mediae rad. Jod cum mediae radicalis Vau, ut frequens est Orientalibus, permutato, Habac. III, 6. עמד וַיְמֹדֶד ארץ, vel, ut plene habent XXV Kennicottiani codices וַיְמוֹדֵד, *stetit et commovit, fluctuare fecit, terram;* pedem ubi figebat, sub eo terra intremiscebat. Sic jam ex veteribus LXX, καὶ ἐσαλεύθη ἡ γῆ, Chaldaeusque, ואזיע ארעא *et commovit terram.* Recentiores, praeeuntem tamen habentes Syrum, Graecum anonymum et Vulgatam, multique Judaeorum, ad מדד retulerunt, vertuntque, *mensus est terram.* Utrum filo orationis aptius sit, quisque perlecto hoc versu et praecedente judicet. Certe nec puncta, nec plenior scriptio, *mensus est*, admittunt, quod וַיְמַדֵּד scribendum fuisset.

In hoc versu si מור vel מיד placeat, possis forte et ad quartum transferre, mutatisque vocalibus legere, קרנים מָיְדוּ לו *radii fluctuabant seu undabant ipsi.* Est certe, quod in מִיָּדוֹ displiceat, non illud quidem de quo questus est Houbigantius, textum correcturus, verba sententia cassa esse, sed quod ex communi ejus interpretatione potius scribendum fuisset, קרנים מידים לו, *radii ab utroque ejus latere erant.*

Ad hanc et radicem, sed mutatis vocalibus, refero

1398. מְדִין (*lecticae*) Jud. V, 10.

de quo ab aliis radicibus derivato, aliorum sententias, parum mihi probabiles, supra num. 1362. exposui. LXX. ex lectione codicis Alexandrini vertunt, καθήμενοι ἐπὶ λαμπηνῶν, *sedentes in lecticis.* Haec ex omnibus

nibus interpretationibus verissima, certe filo orationis aptissima videtur: *vos maculosis vecti asinabus, vos in mollibus sedentes lecticis, vos pedites, sanctam pompam celebrate.* Lecticas intelligo illas, quae a camelis gestantur, supra n. 1209. sub כר descriptas. Nomeu habere videntur a perpetua agitatione et motu in quo sunt.

1399. מיכל *exiguus rivulus* 2 Sam, XVII, 20.

Ad radicem יכל alii referunt, ego malim ad מכל, quae Arabibus significat (مَكَلَ) *parum aquae continuit* puteus, unde ejusmodi *pauperem aquae puteum*, مَكِلٌ et مَكُولٌ, *parum aquae* مَكْلَةٌ vocant. Forte מיכל המים ad literam recte verteris, *paucitas aquae*, vel sic tamen erit, rivus exiguus, parum aquae habens. Forte is ipse torrens, quem ibi locorum in via Hierosolymis Hierichuntem ducente, siccum vidit Schultzius, et descripsit in, *Leitungen des Hoechsten* T. V. p. 81. De varietate lectionis מי כל המים vide biblioth. Or. priorem T. XIII. p. 233. 234.

1400. מכמש nomen urbis.

Seriori Hebraismo per Samech scribitur מכמס, Ezr. II, 27. Neh. VII, 31. sicque et Syrus, librum Maccabaeorum ex Hebraico textu vertens, 1 Macc. IX, 73. ܡܟܡܣ habet.

1401. מכר.

Verbum מכר praeter notissimam, vendendi, alias quoque habet in linguis Orientalibus notiones, ob sequens מכרות enotandas. Syris ܡܟܰܪ est, *desponsare virginem*, proprie, illam vendere: vide lexic. Syr. p. 498. 499. Arabibus مَكَرَ cum derivatis, *machinatus est, dolum struxit, decepit*, quas significationes exemplis firmatas invenies in Castelli Heptaglotto. Aethiopibus, *machinatus est, consilium cepit*..

Decipiendi notione Hebraice quoque occurrere videtur Nahum. III, 4. *decipiens gentes scortationibus et nationes praestigiis suis*, vix enim apta sententia, *vendens gentes scortationibus suis*. Suspicor, Syrum mihi praeeuntem vertisse, ܕܡܰܟܪܳܐ, *quae decipit*; quod enim in editis legitur, ܕܡܪܰܒܝܳܐ, Gabriele Sionita interprete, *quae nutrit gentes scortatione*

 sua,

sua, *et nationes magiis suis*, nec expeditam fundit sententiam, nec linguae Hebraicae alias satis peritus Syrus verbo notissimo מכר significationem *nutriendi vel educandi* dare potuisset, nescio certe unde arreptam.

1402. מְכֵרֹות Genes. XLIX, 5. *sponsalia fraudulenta.*

Plane accedo Clerico, qui Syriacum ܡܟܪ conferens, *pacta sponsalia* intelligit, hoc unum addens, quaesitam inesse vocabulo ambiguitatem, fraudisque opprobrium, ex altera decipiendi notione. Latine *fraudulenta sponsalia* diceres, quod nempe in pactis sponsalibus exigerent, ut circumciderentur Sichemitae, circumcisos nec resistere valentes trucidarent.

Videri possunt aliqui ex veteribus Rabbinisque aut in eadem cum Clerico sententia, aut illi proximi fuisse. In his Jonathanem numero, qui *cognationem* vel potius agnationem *eorum* אשתמודעותהון vertit. Samaritanus, ut in Polyglottis legitur, vertit *perfecerunt fraudem* קימין *vitae suae*: hunc cum et obscuriusculum sit, *fraus vitae*, nec videam, quomodo מכרות *vitam* interpretari potuerit, suspicor scripsisse, קיאמין *fraudem pacti sui*, in rei summa mecum consensurum. Aliqui, ab Abenezra memorati, *venditiones eorum*: hae venditiones quae sunt? num sponsae? Arabs Erpenii فرضتهم, quod nomen primo *portum*, deinde apud geographos Arabum *emporium ad flumen* situm significat. Et hic ergo videtur de mercatura, nescio qua, cogitasse, ac forte Arabs Polygl. فرصة cum Sad puro habens, eodem modo corrigendus.

Sed jam aliorum aliqua cogitata colligamus.

1) Arabicam Aethiopicamque *machinandi* et *consiliandi* notionem, quae recentiorum non paucis, et vero eruditissimis placuit, aliqui jam veterum verbo dederunt, nec soli quos recentiores nominare solent, LXX, *ἀδικίαν ἐξαιρέσεως αὐτῶν*, quod Hieronymus in quaestionibus in Genesin p. 546. vertit, *adinventionis suae*, sed et Arabes Samaritani, مقاطعها, proprie, *telae*, i. e. consilia *eorum*.

2) *Arma* Hieronymus in quaestionibus in Genes. p. 546. "*legitur enim in Hebraica veritate*, – – *vasa iniquitatis arma eorum.* Idem ex Rabbino suo audivisse videtur, quod habet Raschius: *significat instrumenta bellica*, *gladius enim lingua Graeca vocatur*, *μάχαιρα*. Parum verisimiliter, in antiquissimo carmine quis nomen Hebraicum a Graeco μάχαιρα ductum exspectarit? In suam tamen versionem recepit Lutherus.

3) Vul-

3) Vulgata quod habet, *bellantia (vasa iniquitatis bellantia)* magis etiam ab Hebraico abludit: sed forte eo, quo ita interpretabatur, tempore aliter legit Hieronymus, codice ejus מכרתים *exscindentia* habente, quam lectionem in codice 127, Samaritano, anno 1362 scripto, invenit Kennicottus.

4) Inepta interpretatio Onkelosi, *in terra peregrinationis.* Monet Raschi ad hunc locum, aliquos ea ratione interpretantes adferre Ezech. XXIX, 14. מכורותיך ומולדותיך *peregrinationes tuae et nativitates tuae.* Nisi fallor, hi כ pro ג poni arbitrati sunt, ut sit a גור *peregrinari.*

5) Syrus, מ pro praefixo habens, vertit, *a natura sua*, ac si כרות sit natura, a radice כרה, sive *effodere*, sive *parare.*

6) Alii apud Abenezram, *adquisitiones*, verterunt, (קניניהם) a כרה, quibus recte opponit, כרה non esse, *adquirere*, sed *fodere.*

7) Raschbam, *sorores* interpretabatur.

1403. מכרות vel מכורות Ezech. XVI, 3. XXI, 35. XXIX, 14.

Jam sine, jam cum Vau scribitur, sed multa ubique varietate lectionis: cap. 16. מְכֹרֹתַיִךְ sed XVI. codicibus מכורותיך vel מכורתיך habentibus, c. 21. מְכֻרוֹתַיִךְ, sed in XXIII codicibus plene, cap. 29. מְכוּרֹתָם, sed in VII מכרתם. Varias explicationes dedit Coccejus. Mihi vocabulum, Ezechieli peculiare, ex filo orationis, *patriam*, significare videtur, verum haec unde dicta? Licetne aliorum conjecturis et meam addere, atque ad כר *regio*, pag. 1248. 1249. referre?

1404. מלא.

1) Difficili loco, Job. XV, 32. בלא יומו תִּמָּלֵא, *dum nondum est dies ejus implebitur*, lucem adfundere possis, si praecedens תְּמוּרָתוֹ *palmam feminam* vertas, quod ad seriem orationis perquam aptum, maxime cum statim sequatur כִּפָּתוֹ, quod nomen in spathis palmarum proprium. Levit. XXIII, 40. *Palmam feminam implere*, est, *eam semine palmae masculae conspergere, et foecundare*, quod teste Kämpfero in amoenitatibus exoticis p. 708. Persae vocant, *ANBAR DADAN i. e implere*, seu, *conferre plenitudinem.* Hoc si ante tempus fiat, palma femina non concipit. De re ipsa vide notas ad versionem germanicam, aut si plura cupis, Kämpferi amoenitates exoticas, fascic. IV. relat. 4. ubi in tabula aenea pagi-

paginae 697. adjecta, num. 16., ipſum hunc foecundandi actum expreſſum videbis, judicabisque rectene dici poſſit, palmam implere.

2) מִלֵּא אחרי Num. XIV, 24. Deut. I, 36. Joſ. XIV, 8. 9. 14. *ſequutus eſt*, non, ut haud intellectam phraſin aliqui explicant, *plene ſequutus eſt*. Qui quem ſequitur, *implet quae ſunt poſt ipſum*, ejus veſtigia, ſeu, ut ſimillima phraſi Latini dicunt, ejus *veſtigia premit*. Conferre forte lubuerit Syriacam phraſin, ܫܠܡ ܠܥܩܒܬܐ, ſed vereor, ne illa vertenda ſit, *conſenſit veſtigiis*. Vide lex. Syr. Jerem. XII, 6. Graeci legiſſe videntur, אחריך מלאו (ἐκ τῶν ὀπίσω σου ἐπισυνήχθησαν) quae ſi lectio, nullo alio teſte firmata, vera eſſet, גם המה קראו אחריך מלאו verterem, *tibi* (officioſe) *occurrunt, te honorifice comitantur: ſed ne crede illis.* Egregia ſententia.

3) Facilis et expedita conſtructio 2 Reg. IX, 24. מִלֵּא יָדוֹ בקשת *implevit manum ſuam arcu*, i. e. arcum in manum ſuam ſumſit eumque tetendit: at paulo difficilior, ideoque pleriſque non intellecta ejusdem nominis et verbi, Zachar. IX, 13. *Judam tetendi mihi*, בקשת מִלֵּאתִי אפרים *ut arcum implevi Ephraimum.* Eſt hic, ſvadente paralleliſmo, מִלֵּא idem quod antea דרך, habentque Syri eadem conſtructione ܩܫܬܐ ܕܡܬܝܚܐ *arcus tenſus* pro Hebr. קשת דרוכה Jeſ. XXI, 5. et ܡܬܚܘ ܩܫܬܐ Pſ. XI, 2. pro ידרכו קשת, Arabe Antiocheno Syriaca reddente أوتروا قسيّهم *intenderunt arcum ſuum*, ut adeo prope ſynonyma ſint דרך et מלא cum קשת conſtructa. Phraſis ita videtur expedienda, ut proprie ſit, *implere arcum ſagitta*, i. e. *ſagittam arcui imponere.*

4) התמלא in Hithpael Job. XVI, 10. eſſe putem, *congregare ſe*, a מְלֹא *multitudo* Jeſ. XXXI, 4. Arabicoque ملاء *turba, conventus:* יחד עלי יתמלאון *una omnes contra me congregantur.* — — Schultenſius, mihi hic proximus, *conſpirant contra me unanimiter*, a تمالأ *concors cum alio fuit*: verum haec ſignificatio ex conjugatione ſexta Arabica pendet, quam Hebraei plane non habent, eſtque ideo Arabicae linguae peculiaris.

5) מִלְאוּ Jerem. IV, 5. eſſe videtur, *plena voce clamare, vocem quantum poſſis intendere*: קִרְאוּ מַלְאוּ, *proclamate, vocem quantum poteſtis inten-*

tendite, LXX. *κεκράξατε μέγα*, Vulg. *clamate fortiter*, Syr. *proclamate voce alta.* Idem verbum מַמְלָא et habuisse videtur textus Hebraicus primi Maccabaeorum libri c. IV, 19. tribus qui eum interpretati sunt ponentibus, Graecis, *ἔτι πληροῦντος Ἰούδου ταῦτα* (nimis literaliter, *adhuc implente* (*), i. e. alta voce proclamante haec Juda) Josepho, (Antiqu. XII, 7, 4) *ἔτι δὲ αὐτοῦ διαλεγομένου ταῦτα,* Syro ܘܟܕ ܝܗܘܕܐ ܡܡܠܠ ܗܠܝܢ, *cum Judas haec loqueretur*, ac si מָלֵא et מַלֵּל idem essent. Nempe, verba sono et significatione vicina facile inter se confunduntur.

Concinit his, quae dixi lingua Arabica, cui ملو inter alia est, *loqui*, *dictare*, et cum مَلّ nonnunquam ejusdem significationis. Lexica habent ملو in conj. 3 esse, *dictavit*, in 10, *rogavit ut dictaret*, remittentia simul ad مَلّ, quod in 3 est, *dictatum scribendo excipere.* Aliud addo illis neglectum, *praelegere* alicui librum: Sur. XXV, 6. adcusatores Muhammedis dicunt, *historias, quas in Corano habeat, non Dei dono eum accepisse, ut gloriabatur, sed historias veterum compilasse,* فهي تُمْلَى عليه بكرا واصيلا *quae praeleguntur illi mane et vesperi.*

1405. מְלֹא vox *alta.*

Nahum. II, 14. מַלְאָכֵכֵה, minus grammatice positum, ut putant, pro מַלְאָכַיִךְ, aliter distinxerim, ולא יִשָּׁמַע עוד קול מְלֹא כָּכָה *nec audietur porro ita vox plena, i. e. alta,* minarum et superbiae plena. — In codice Regiomontano secundo legitur et Jerem. IV, 5. קִרְאוּ מְלֹא *proclamate alta voce*, vultque Lilienthalius, LXX. Vulg. Syrum, quorum verba p. 1504. dedi, hanc lectionem interpretatos esse: cum tamen illo in solo reperta hucusque codice sit, vix putem, tres antiquos interpretes in suis illam codicibus habuisse, sed potius crediderim, libertate concessa eos uti, verbum per nomen aut adverbium exprimendi, eadem manente sententia.

1406.

(*) Quae phrasis et in N. T. recepta, cui *πληρόω* aliquando idem quod *κηρύσσω*, alta voce praedico. Vide Matth. V, 17. Rom. XV, 19. et introductionem in N. T. §. 20. pag. 137. editionis quartae.

1406. מלח *cito abire*, et *salire* Jes. LI, 6.

Duas hoc verbum, sono etiam et scriptione Arabum diversum, significationes habet.

1) مَلَحَ (*Malahh*) est *salire*, sicque et apud Hebraeos Levit. II, 13. Ezech. XVI, 4. ponitur. Est tamen illa plane inepta loco Jesaiae, LI, 6. *coelum ut fumus*, vel, *ut fumo salietur*, in quo quid sudarint interpretes, non jam meum est dicere, legantur ipsi.

2) مَلَخَ (*Malach*) *longe et cito abire.* Hinc jam lucebit Jes. LI, 6. שמים כעשן נמלחו, *coelum ut fumus abibit*, proprie, *abigetur*, petita a fumo imagine, quem ventus dispellit.

Habet hoc verbum مَلَخَ et alias cum abeundo cognatas significationes, ut *trahendi*, *extrahendi*, *evellendi*, quae et in Aethiopicam linguam transiverunt, quin et oppositas priori salire, ut, مَلُخَ *insipidus fuit*, مَلِيخ *insipida caro*, *corruptus*, *imbecillis*. Nihil illae ad locum Jesaiae, memoro tamen, quod forte ad nomina hinc derivata transferri illisque lucem adfundere posse speres.

1407. מֶלַח *sal.*

מֶלַח *salem* esse, de eo nullum dubium: irrepserunt tamen miri errores in scripta eruditorum, ut מלח bituminis quoque nomen esse, alia aut ignorantur, aut minus nota sunt, lectori sacri codicis scitu perquam necessaria. Haec quidem perpurgare, nec hujus loci est, nec necessarium, jam enim occupavi, copiosiusque, quae disputanda videbantur, disputavi in tribus commentationibus, 1) *de natura et origine maris mortui*, 2) *de nitro Plinii*, 3) *de nitro Hebraeorum seu* ברית, commentationum mearum, in societate scientiarum per annos 1758-1762. praelectarum, quarta, sexta, et septima. Ad has ergo ablego lectores, et quidem ad secundam editionem, anno 1774. factam, hic modo haec pauca enotans.

1) ים המלח mare salis, mare mortuum seu lacus Asphaltites dicitur ob summam salsitatem, qua omnia hucusque nota maria, ditissimasque salinas superat. Mera est salsugo, ita sale saturata, ut sal in ejus aquam conjectus non liquescat, cujus pondus ad aquam dulcem est, ut 5 ad 4: hinc et fit, ut animalia vel maxima in illo submergi nequeant,

pisces

pisces nulli vivere possint, atque adeo homines ne recte quidem natare, quod commotis pedibus altius justo attolluntur. Hoc mare, vere Jordane plus in illud aquae deferente, ripas supergressum, vallibus vicinis innatat: in quibus, recedens deinde, stratum salis relinquit, accedente etiam arte accolarum, fossis capientium aquam maris, quae in vapores solis aestu resoluta tantum salis relinquit, quantum Palaestinae sufficit, ac forte pluribus regionibus sufficeret. Haec גיא המלח *vallis salis*. Commentatio de natura maris mortui §. 3. 4. 7. 8. Hunc ipsum Sodomitici maris salem et Thalmudici intelligunt, ubi de מלח סדומית, sale Sodomitico loquuntur, §. 5. neutiquam bitumen, in eo tamen, me judice, a mente Mosis aberrantes, quod eum et sacrificiis, et suffitui parando, ut legitimum permittunt, §. 6.

2) *Salem* in sterilis terrae descriptione memorari, hancque inde ארץ מְלֵחָה terram salsuginosam vocari, notum. Id vero non inde, quod sal terram faciat sterilem, aut quod terra salsuginosa, ut alii volunt, non nisi salsas herbas efferat, cibo ineptas, sed totum a valle circa lacum Asphaltiten, eversaque quae in eo olim fuerat, Pentapoli petitum. Has urbium olim magnarum ruinas, cum oculis usurpent Hebraei, sterili valle circumdatas, quae nihil praeter salem et bitumen habet, in imagine eversionis et vastationis salem ponere consveverunt. Manifestus locus est Deut. XXIX, 22. ubi et nominatim Sodomorum fit mentio: *calamitatem videbunt terrae: sulphur, et salem, omnemque terram exustam, quae non conseminatur nec virescit, nec proveniunt in illa herbae, similem eversis Sodomis atque Gomorrhae.* Hinc et factum ut victores Hebraei eversas urbes sale consererent: Judic. IX, 45. Vide plura in nota 42 Lowtho de poesi Hebraeorum adjecta.

3) Aegyptiis sal marinus, (*sal culinaris* nobis, aut *muria*) impurus habebatur, nec usus ejus in sacrificiis permissus: in his sale puro, i. e. nitro, utebantur. Jam et intelliges, quis Mosi *sal purus*, suffimento admiscendus, quod vult esse מְמֻלָּח טָהוֹר *salitum pure*, *sanctum*, Exod. XXX, 35. Erat nitrum saliendo suffimento aptissimum, quippe cujus dissultu et ignis celerius, et fumus latius spargitur. (De nitro Hebraeorum §. 7.)

4) Hic cum *salem purum* in Mose habeamus, et Levit. II, 13. ubi omne sacrificium farreum sale saliendum esse praecipit, nec in eo omittendum מלח בְּרִית, malim בְּרִית efferre, et intelligere salem *salem*

nitri, (purum) *Dei*. (de nitro Hebr. §. 7.) Nec nitrum parandis placentis, quae ex ſacrificio farreo parabantur, ineptum. Forskål, pag. 46. Florae Aegyptiacae: *magna olim copia natron* ex Aegypto *deferebatur in Galliam; piſtoribus gratum ad augendam fermentationem panis.* Jam et intelliges cur adhibeatur placentis ſacrificialibus, in quibus fermento uti vetitum. *Wansleben* in manuſcripto itinerario, quod ſervat bibliotheca Goettingenſis p. 132. *Ich habe gehört, ſie thun neitrûn* d. i. *nitrum oder Salpeter in den Teig, davon pflegt das Brodt aufzulaufen einer Fauſt hoch, und wird auswendig hübſch braun, wenn man es aber nicht gleich eine halbe Stunde darnach iſst, wenns gebacken iſt, ſo iſts nichts nutze: des andern Tages iſt es zähe, wie Leder, und lauter Teig.* Talis ſal conveniebat ſacrificiis, quae ſtatim comedi, non parce ſervari futuro diei volebat Moſes.

5) Ex punctis maſorethicis hic ipſe מֶלַח בְּרִית eſt, *ſal foederis*, voluntque et hunc locum, et alia explicantes, ſalis in foederibus percutiendis uſum fuiſſe, varie illum interpretantes. Sal quidem hoſpitii notiſſimus, de quo aliqua §. 7. de nitro Hebraeorum monui, ſed multo de illo copioſius egit Schultzius in *Leitungen des Höchſten* P. V. p. 247–249. quem excerpſi in bibliotheca Orientali priore, T. X. p. 79. Sale Arabum qui veſcitur, vel latronibus inviolabilis interque eos tutus. Num vero de ejusmodi hoſpitii jure, quod Israelitas vel ſacerdotes, vel alios, Deo inviolabiles faciat, ſermo ſit Levit. II, 13. Num. XVIII, 19. 2 Paralip. XIII, 5. facile, vel me facem non praeferente, lectores judicabunt. Nec tamen negaverim et in aliis foederibus ſalem ab Arabibus adhiberi, ut hoſpitii ſanctitatem habeant. Vide Roſenmüller in notis ad Arvioſum de Beduinis p. 170–173. Videtur tamen horum ipſorum locorum alia ſe offerre explicatio.

6) *Salem* pro omni cibo atque alimento, indeque pro *ſalario* ponere Orientales ſolent, in hunc usque diem phraſis illis uſitata, *ſalem regis comedere*, eademque in Chaldaicis jam Ezr. IV, 14. occurrit, *ſale regis ſalimus*, ſc. cibos noſtros, id eſt, ſalarium regis accipimus, eoque nutrimur. Ex hoc uſu verbi מלח mihi ſalarium eſſe videtur, Num. XVIII, 19. ubi pars ſacerdoti ex ſacrificiis conceſſa eſſe dicitur, 1) חק עולם *ſtatutum* vel *demenſum ſempiternum* 2) ברית מלח עולם *foedus ſalarii* i. e. *ſtipulatum ſalarium in aeternum*, aut, ſi בָּרִית efferas, *ſal purus* i. e. *ſalarium ſanctum et purum in aeternum*.

2 Paralip.

2 Paralip. XIII, 5. ubi deus dedisse dicitur regnum Israelis familiae Davidis, לברית מלח, quod explicant, *in foedus salis*, i. e. *foedus aeternum*, lectio mihi, ut saepe in toto libro, suspecta, atque praeplacet ea quam expressit Syrus, licet in nullo hucusque codice inventa, לברית מלך *in foedus regium*. Vera si lectio, Hebraismus est sequioris aetatis, quales in illo libro multi, phrasinque antiquam Mosis ברית מלח ita intellexit, ut ex Rabbinis aliisque interpretibus plerique. (De nitro Hebr. §. 9.)

1408. מְלָחִים Jerem. XXXVIII, 11. 12.

Non sunt, ut vulgo explicari in lexicis solent, *veteramenta*, sed aliqua veteramentorum species, ab altera סחבים distincta. Lege ipsa verba, בלויי הסחבות ובלויי מלחים, videbisque בלויי esse veteramenta, in duas species divisa, quae quomodo differant non nisi ex conjectura atque etymologia dixeris. Nostrum מלחים retulerim ad ملخ pag. 1506. *trahere*, *extrahere*, lacerata diuturno usu intelligens, סחבים ut infra dicam, ad شحب *alteravit*, ut sint, expallida, quae colorem mutarunt: *zerrissene und verschossene Kleider*. In veteribus parum opis: מלחים LXX vertunt σχοινία *funes*, a trahendo, male, versu enim 12 a funibus distinguuntur, sub funibus ponenda: Vulg. *antiqua quae computruerunt*, quod quidem vocabulum significare possit, collato مليخ *corruptus*, verum et ubi de vestibus sermo, *quae computruerunt*, non satis intelligo, nec video quomodo a סחבים differant.

1409. מַלּוּחַ *halimus*. Job. XXX, 4. dubium vocabulum.

Ἅπαξ λεγόμενον, si puncta sequaris, in quo multa interpretibus bivia, quorum sententias et divergia enarrata videbis a Bocharto, P. I. hierozoici libr. III. c. 16. p. 872. seqq. et Schultensio ad Jobi locum. Parum copiosus Celsius, hierobotanici P. II. 96. 97. nempe quod veram sententiam a Bocharto occupatam videbat, post quem ab ullo מלוח pro herbae nomine habente, dubitari potuisse, miror: sed tamen, ut solent in botanicis, hujus scientiae imperitia dubitarunt ac titubarunt lexicographi, primarii etiam, ac commentatores. Id unum adhuc ex Bocharto addo, Judicum quoque IX, 45. מלח Syro interpreti, מַלַּח adpellanti, et ܡܠܘܚܐ vertenti, nomen herbae aut fruticis visum fuisse.

In eo est Jobus, ut perditissimorum hominum, latronum troglodytarum ex societate humana exsulum, miserrimum victum describat, qui, si puncta Hebraica sequaris, decerpunt מַלּוּחִים. Hoc si herbae nomen aut fruticis, verissima sine dubio ea interpretatio, quae antiquissima, quamque in patrocinium suscepit atque ornavit Bochartus.

Nempe ἅλιμον *halimum* verterunt LXX, herbam et fruticem sine dubio edulem, sed de quo Bochartus jam adnotavit, pauperum cibum esse, atque ab illis colligi, adferens Athenaei locum, lib. IV. c. 16. *E Pythagoricis forte quidam pauperes* ἅλιμα τρώγοντες, καὶ κακὰ τοιαῦτα συλλέγοντες, *halima comedentes, atque ejusmodi ingrata colligentes.* Addo nomen Germanicum et Gallicum, *Melte*, *Arroche*, atque, ut in botanicorum libris evolvi possit, nec, ut factum a quibusdam videtur, ignorantia repudietur, botanicum quoque, *atriplex*. Monuerat jam Bochartus, ut Graeci ἅλιμον a sale, sic et Hebraeos a מֶלַח dixisse: sed quod maximum est, atque, si de herba sermo, irrefragabile, Syris ܡܠܘܚܐ atque Arabibus ملوخ, *halimum* esse. Vide eum p. 874. 875. His si quid addi possit, troglodytas describens Jobus, in valle Damascena habitans, vix potest de aliis intelligi, quam de vicinae *Auranitidis* troglodytis: qua in regione, n. 694. sub חורן descripta, halimum, rudera amans, et saxosa ubi humore alitur, non poterat non crescere. — — Ergo jam *malvam*, ex Graeco μαλάχη audacter Hebraismo illatam abdicemus, et Thalmudicum quod adferunt alii מלוח, de quo ipso quid sit, non constat. Vide et de hoc Bochartum.

Habent quidem et Arabes aliam, a sale i. e. a sapido denominatam plantam مَلُّوخِيَّة, quod nomen a botanicis etiam nostris receptum, *Melochia*, (vide hortum Cliffortianum p. 209. et *Joannis Friderici Gronovii floram Orientalem* p. 68. librum primarium, sub, *corchorus.*) De hac cogitasse video *Hufnagelium* in sua Jobi versione et notis: sed suffecerit ejus, quem ipse citavit, adscribere verba Prosperi Alpini, nec locum amplius melochiae relinques, ubi de miserrimo perditorum ac prope hominem non decente victu agitur. Sic quidem *Prosper Alpinus, de plantis Aegypti* cap. 28. p. 45. *in cibis nihil est ipsa Aegyptiis familiarius, vel gratius: decoquunt enim in aqua vel jure carnium ut nos betam elixare solemus. Convivia carentia melochiae ferculis ab his parum reputantur; cibus quidem illis populis melochia est familiarissimus, ex quo multi tamen male*

se

ſe habent, nam parum nutrit, et ſuccum viſcidum gignit, ex quo in difficiles obſtructiones viſcerum, qui eam in cibo frequentant, incurrunt. Nihilominus melochiam in cibis non omittunt, praecipueque viscoſiorem mucileginem facientem, avide omnes eſitant (*). Vides dilectum cibum, cupedias, eſſe, quidquid medicus, jure? an injuria? contra dicat: hicne poteſt locum habere, ubi miſer victus perditorum deſcribitur? Quod ex Forskålio idem attulit vir eruditus: *corchorus olitorius, Arab. melochia,* ملوخية *copioſe colitur in hortis Aegypti,* nonne videbat ſuae ſententiae maxime obſtare? In hortis ſi colitur, non eſt nutrimentum latronum ubique expulſorum, non miſerrimum miſerorum.

Ergo halimum atriplex omnino praeferrem notae vel noſtris botanicis melochiae: ſed legens Jobi verba relegensque, non potui non omnes omnino herbas, a melochia inde ad halimum repudiare. Primo enim aegre expedio, id quod ſtatim ſequitur, עלי שיח, utcunque etiam vertas. Hoc quid eſt, *colligunt atriplex ſuper fruticibus?* Hoc ſuper fruticibus quid ſignificat? *in fruticibus creſcens?* idne dictu opus? *cum fruticibus?* quae oppoſitio unius herbae, atriplicis, et virgultorum? quod ſi etvertere audeamus: *folia abſinthii*, (ex Arabico شيح) hos quis cibos conjungat, atriplex, vulgare quidem, ſed tamen hominibus valde in cibis uſitatum, et abſinthii folia, quibus num quis unquam pro cibo uſus ſit, aut potuerit uti, ignoro. — Deinde non melochiae ſolum ſed et atriplicis mentio nimium ab eo, quod ſtatim ſequitur, *et radix geniſtarum erat cibus ipſorum* (**), abludit, mollius multo famen deſcribens.

Jam cum viderem, adjective vertere Schultenſium, *ſapida*, a ſale et ſapore ſic dicta, ad hunc illud locum, ſed paululum mutata interpretatione, transferre auſus ſum, cum in verſione germanica, tum diu ante in commentatione de Troglodytis §. 6. *ſapidos* virgultorum et fruticum *ramos* intelligens, *extremos ac molliores*, *corticesque*, quos quidem ipſa

(*) Vide et Abdollatiphi compendium hiſtoriae Aegypti p. 15. 16. editionis majoris.

(**) Non ignoro, Celſium ne ita vertatur, שרש רתמים לחמם, intercedere in hierobotanico T. I. p. 249. quippe cui incredibile viſum, ſtipites et ligna unquam in cibo fuiſſe vel miſerrimis mortalium. Sed vide mearum *commentationum ſyntagma* primum, p. 199. 200. ubi in *commentatione de Troglodytis* monui, vel in ipſa ejus patria, Svecia, famis tempore, in Norvegia etiam ſaepius, ex corticibus abietum aliarumque arborum farinam fieri, ex qua verae farinae admixta panes fiant: rationes etiam addidi, cur verti nequeat, *radices geniſtarum erant ad calefaciendum.*

ipsa hic, sed pro sequente עלי, habet Vulgata. Verti: *decerpentes sapida in fruticibus, et radicibus genistarum pro cibo utentes.* Adscribebam, quae in periplo maris Erythraei Artemidorus de Hylophagis habet: *οἱ ὑλαφάγοι — — — ἀναβαίνουσιν ἐπὶ τὰ δένδρα, καὶ τοὺς ἁπαλοὺς τῶν ἀκρεμόνων προσφέρονται, Hylophagi conscendunt arbores, mollia ramorum comesturi*, et paulo deinde, *πάντα κλάδον ἔγχυλον τοῖς ὀδοῦσι κατεργαζόμενοι, πέπτουσιν εὐκόλως ταῖς κοιλίαις, ramos succulentos dentibus conficiunt, et bene concoquunt* (*). Haec quidem ille de Africanis maris Erythraei adcolis, admixtis forte, quis eo perlecto neget? fabulis: sed cum vel nostro etiam tempore habeat Europa septentrionalis, (Scandinavia) Hylophagos, aliquando famis tempore cortices arborum in pulverem redactos farinae admiscentes, cui in illa generis humani infantia incredibile videbitur, sterilis Arabiae latrones, ex societate humana exsules, his ipsis miseris dapibus aliquando famem fefellisse. Sed fac fabulosa esse, fabulosa etiam hyporbole insolentior admiscere possit.

Vera si puncta masorethica, nil adhuc melius habeo, reliquis omnibus explicationibus diffidens. Ab his si discedere liceat, vide sub לוח scripta, atque ad locum Jobi transfer: mihi illa quidem verisimiliora.

1410. מלט.

Primam vim verbi in *glabritie* esse, ab hac esse *evadere*, tanquam elabi ex periculis, ex recentioribus jam aliqui monuerunt. Mihi non jam de etymologia, sed de difficili loco, ac male intellecto, Job. XIX, 20. quaestio ואתמלטה בעור שני, ubi *deglabrandi* notione occurrere puto. Arabibus مَلِطَ *pilis caruit*, مَلَّطَ *nudavit pilis*, e. g. radendo, تَمَلَّطَ *non alata fuit sagitta* (proprie, pilis caruit, glabra fuit) مَلِيطٌ *pilis carens foetus*, مُمْلِطٌ *pilis carentem foetum pariens.* Verterim ergo, *deglabror cute dentium meorum*, i. e. barba mihi defluit, quod inter symptomata est ejus morbi, quo Jobus laboravit, leprae.

Addere liceat et obiter aliquid etymologici. In significationibus verbi ponunt lexicographi, exemplisque firmant, *eniti*, *parere*: hoc mihi denominativum esse videtur a مَلِيطٌ *foetus.* Arabes hinc in quarta conjugatione abortum dicunt, hi magis proprie, quod abortus pilis careat, Hebraei omnino, *foetum deposuit*, atque, latius patente usu quam etymo, de omnibus omnino animalibus.

(*) Diodorus Sic. l. III. c. 31.

1411. מֶלֶט *calx, lapides calcarii* Jerem. XLIII, 9.

Adſentior omnino, cum recentioribus, tum Syro et Chaldaeo, calcem intelligentibus, quae quidem a glabritie nomen accepit, quod ea oblinitur ac glaber fit paries. Confirmant linguae cognatae. Syris ܡܠܛ eſt, *linere*, et ܡܠܛܐ *calx;* Arabibus ملط *oblinere murum,* ملاط *lutum, quo lapidum ſtrues continetur.* Addiderim tamen, hoc ipſo in loco non calcem ipſam caementumque intelligi, ſed *lapides calcarios in calcem urendos, (marmor rude):* lapidibus qui erant in fornace calcaria (מלבן, quod nomen vide num. 1267.) alios, etiam ut puto calcarios, admiſcere debet propheta, cum illis in calcem redigendos. Vide verſionem germ. et notas.

Miror, in vocabulo minime difficili adhaeſiſſe aliquos veterum: ἐν τῷ κρυφίῳ vertunt tres Graeci, illosque ſequutus Hieronymus, *in crypta, quae eſt ſub muro lateritio.* In nulla linguarum Orientalium ſub his radicalibus *cryptam* invenies. Videntur a מלט *evadere*, cryptam ſeu latibulum, in quod evadere poſſis, dictum putaſſe.

1412. מֶלֶךְ *rex.*

In nominibus divinis eſſe, jam dudum monuerunt commentatores et lexicographi. Locus primarius Pſ. V, 3. cui adde Jeſ. XLIV, 6. Jerem. X, 7. 10. XLVI, 18. Pſ. CXLV, 1. ubi et variam obſervabis conſtructionem, jam הַמֶּלֶךְ ſimpliciter, jam, *rex meus, rex Iſraelis, rex omnium gentium.* Quin et gentium numina eodem in Hebraico codice vocari nomine videntur: Jeſ. XXXVII, 13. מלך חמת ומלך ארפד ומלך ספרוים non reges harum urbium ſunt, ſed ex parallelismo capitis XXXVI, 19. אלהי חמת וארפד אלהי ספרוים *dii earum.* Recepta et Graecis Latinisque dictio: *rex Juppiter*, apud Herodotum l. I. c. 159. Ariſtodicus oraculum conſulturus ſic orditur orationem, Ὦναξ, ἦλθε πρὸς ἡμᾶς ἱκέτης, *o rex, venit ad nos ſupplex,* Homeri ἄναξ ſic poſitum quis ignorat? Sed, quod propius ad linguam Hebraicam facit, in Phoenicum nummo, de quo vide bibliothecam Orientalem priorem T. X. p. 135. מלך בעל *rex Baal,* inque Meliténſi inſcriptione, cujus explicationem anno 1759 dedit Barthelemy, Hercules vocatur מלקרת, veroſimiliter pro מלך קרת *rex civitatis.*

1413. מֹלֶךְ *Saturnus coeleſtis.*

Noſtram de hoc nomine ſententiam diximus pag. 1231. Saturno filios immolabant Phoenices, Molochus ejusmodi ſacrificiis cultus in codice Hebr. memoratur. Pleniorem de Molocho diſputationem hic non ſuſcipio, ſed ad Seldenum de Diis Syris Syntagm. II. c. 6. ablego. In ſcala Arabico-Coptica, quam p. 1226. attuli, ΜΟΛΟΧ Aegyptiis Martis nomen, quod quomodo ei contigerit, malim ab hujus linguae peritis diſcere, quam ipſe inquirere, vide tamen Seldenum p. 186. Miro errore Theophylactus ad Act. VII, 43. ἑωσφόρον Luciferum interpretari videtur.

1414. מְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם Jerem. VII, 18. XLIV, 17. 18. 19. 25.

Reginam fere *coeli* interpretantur, quam plerique, ſatis veriſimiliter, lunam eſſe arbitrantur, Venerem alii, Babyloniis hoc nomine dictam. Vide Seldenum de Diis Syris p. 312. Aſſyrii quod Venerem vocabant *Mylittam*, (Herodot. l. I. c. 131. καλέουσι δὲ Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην, Μύλιττα) nihil ad explicationem noſtri nominis facit, nec enim כ ex illis literis, quae vocabulis Orientalibus pereunt, nec vocales vel mediocriter concinunt. Potius Μύλιττα Aſſyriorum, ſive eſt ex מוֹלֶדֶת, ſive, quod ex ſcriptione veriſimilius, a מלט *eniti.*

Mihi quidem de vocabulo non liquet, ne id quidem certum habeo, *reginam coeli* vertendum, uniusque ſtellae nomen eſſe. Valde jam diſſenſerunt veteres: LXX. cap. 7. τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, hisque ſententia concinens Chaldaeus, *ſtellis coeli* (לכוכבי שמיא) Syrus, ܦܘܠܚܢܐ ܕܫܡܝܐ *cultus coeli.* מְלֶכֶת, quod puncta habent, vix poſſit regina eſſe, מַלְכָּה enim *regina*, in ſtatu conſtructo ubique fit מַלְכַּת, ne illis quidem duobus exemplis 1 Reg. X, 3. 2 Paral. IX, 12. exceptis, quae in Buxtorfii concordantiis מְלֶכֶת citata, grammaticis fraudi fuerunt. Poſſis quidem et easdem literas adpellare, מַלְכֻת *regnum coelorum*, ita ut Judaei Jeremiae tempore *cultum aſtrorum*, *regnum coeli* vocarint, quod nomen apud recentiores Judaeos cultui unius Dei ſacrum eſt: diſplicet tamen, quod nuſpiam, nulloque in codice plene מלכות ſcriptum inveni. מַלְכַּת *reginae coeli*, i. e. ſtellae femineae, legi nequit, quod in capite Jeremiae 44 ſequitur ſingulariter, הַסֵּיךְ לָהּ *libare illi;* alioquin hoc praeplacere poſſit, quod ubique מלכת השמים eſt ſuperſtitio feminarum.

Ve-

Verum in ipſarum literarum lectione ingens ubique diſſenſus, multis codicibus מלאכת habentibus. Sic quidem Jerem. VII, 18. viginti, ſeu plures, dubios enim non numero, codices Kennicottiani, XXIV de Roſſiani, editionesque Soncinenſis et Complutenſis: atque ex hac lectione (מְלֶאכֶת) puncta fluxiſſe videntur literis מְלֶכֶת ſubſtrata. Quin ipſum מְלֶכֶת potuerit idem eſſe quod מְלֶאכֶת, omiſſo Aleph, ut pro ملاك *angelus*, non raro Arabes ملك ſcribunt. Hic quidem nova ordiretur diſputatio, quid ſit מלאכת השמים a ſuperſtitioſis Jeremiae tempore feminis culta? Mihi femininum videretur a מַלְאָךְ angelus, collective poſitum, pro, *angelis coeli*, ſed fateor praeter conjecturam nihil me habere. Non certiores feci lectores, ſed incertiores. Saepe ſuperſtitiones nebulis involutae, eſtque difficile, ubi hiſtoria opem non fert, ſuperſtitioſorum ſomnia divinare. Ipſa quoque aſtra, *angeli coeli*, dici potuiſſent, putabantur enim animata atque a ſanctiſſimis ſpiritibus mota, quam ſuperſtitionem in ſuos Philo libros plus uno loco admiſit.

1415. מַמְלָכָה *rex* 1 Sam. X, 18.

מַמְלָכָה *regnum*, notiſſimum: at difficilis conſtructio ſubſtantivi feminini cum participio maſculino, הממלכות הלחצים אתכם 1. Sam. X, 18. nulla, quae opem ferat, lectionis varietate. Hic vero ſciendum, frequenter nomina munerum et dignitatum Orientalibus abſtracta eſſe feminina terminatione, pro viris eo munere fungentibus poſita: exemplo ſit notiſſimum خليفة *ſucceſſio* i. e. *ſucceſſor Muhammedis*, *Chalipha*, exque Hebraicis קהלת. Erit ergo hic ממלכה, *rex*, eodemque jure conſtructione ad ſenſum maſculino jungetur, quo plerumque קהלת. Sic et Syris ܡܠܟܘܬܐ *regnum*, pro rege ponitur, ut chreſt. p. 31. *indicavi*, ܠܡܠܟܘܬܟܘܢ *regno veſtro*, i. e. ut barbare loquimur, *regiae veſtrae majeſtati*, ut latine, *tibi o rex*. Apud Syros feminine conſtructum inveni, exemplumque in lexico dedi, nec tamen ideo Hebraeis non licet ad ſenſum conſtruere.

1416. מלילות Deut. XXIII, 26. (25.)

Spicas plerumque vertere ſolent, praeiverunt LXX. συλλέξεις ἐν ταῖς χερσί σου στάχυς, Syr. *evelle ſpicas manu tua*, nec longe a vero aberrari poteſt, de ſpicis enim ſermo, unde vel ipſe, ſententiam non ſingula ver-

 ba

ba expressurus, in versione Germanica retinui. Nec tamen video, unde spicae מלילין dici potuerint, nec velim pro hac significatione citari Chaldaicum et Samaritanum מלילן, quod interpretes ut in Aramaea lingua usitatum retinuerunt: *spicas* enim quod in lexicis vertunt, aut in versionibus Polyglottorum latinis, id non ex linguae usu fit, sed translata ad vocabulum Chaldaicum et Samaritanum credita vulgo Hebraici significatione.

Non pauci ex veteribus in *fricationis* significationem consentiunt, ut sint, spicae quidem, sed, *quas confrices*: Vulgata, *franges spicas et manu tua conteres*. Saadias: *evelle* ما تفرّكه *id quod fricare possis manu*, Maurus, فريكا *confricandum*. Nempe Thalmudicis מלל inter alia est fricare. Sed et horum significationes saepe recentes, atque ex magisteriali nominum Hebraicorum interpretatione ortae.

Possis et referre ad ملّ, *urere*, *torrere*, ut iterum spicae a fine dicantur, in quem decerpuntur, nempe ut torreantur igne. Mihi quidem nondum liquet, estque omnino in radice מלל non parum adhuc obscuri, sub quam, ejusque derivata, tot coeunt diversae significationes, ut difficile sit, eas omnes ad unam primam revocare. Tentavi aliquando, sed jam dubitans, describere quae mihi notaveram non audeo.

1417. מַן *quis?*

Pronomen interrogativum de persona QUIS? his scriptum literis, Aramaei atque Arabes habent, eoque et pro relativo, *QUI*, Arabes utuntur. Vide grammat. Syriacam p. 214. Chaldaicam p. 98. Arabicam 212. 213. Hoc ex antiquis non pauci et in Hebraico sibi reperisse visi sunt Psalm. LXI, 8. מן ינצרהו vertentes, LXX. τίς ἐκζητήσει αὐτῶν, Vulgata, *misericordiam et veritatem ejus quis requirit?* Syrus, eadem adeo vocula usus, ܡܢܘ ܢܛܪ ܠܗ. Quibus ex versionibus, reliquarum linguarum Orientis immemor Kennicottus, variam lectionem מי exsculpsit, atque ex hac per compendium scriptionis מי יהוה. Vide ejus differt. generalem §. 25.

Caeterum male videntur LXX. Vulg. Syr. interrogative vertisse: pronomen Arabum مَن si est, malim relativum, *QUEM gratia et veritas servant*, sed omnino hic displicet pronomen, nuspiam alias in Hebraicis lectum.

1418.

1418. מָן *quid?* Exod. XVI, 15.

Exod. XVI, 15. *dixerunt quisque ad fratrem suum*, מָן הוּא? *quia non noverant, quid esset:* recte me judice LXX verterunt, τί ἐστι τοῦτο; Vulg. *dicebant Manhu, quod significat, quid est hoc?* Chaldaeus, Syrus et Samaritanus, מָנָא הוּא, ܡܢܘ, firmatque versionem lingua Syriaca, cui ܡܢ est, *quid?* Vide Castelli et Schaafii lex. Syriacum.

Huic tanto veterum consensui, recentiores, duplicem commenti interpretationem, sive, *manna* eos vocasse rem ignotam, quae nihil minus quam manna erat, sed miraculum coeleste, quod, quid esset, ignorarent, sive, quod ignorarent quid esset, *donum* vocitasse, haec quidem opposuerunt:

1) מָן plane ut مَن Arabum et ܡܢ Syrorum, interrogativum esse de persona, non de re, nec eos interrogare potuisse: *hoc QUIS est?* Atqui hi primo מִן et מָן confundunt, deinde ignorasse videntur, quod lexica aliqua in tironum usum conscripta non habebant, ܡܢ Syris, *quid?* esse. Hoc cum מָן conferendum, ubi enim Hebraei Kamets, Syri Zekofo habent. Gramm. Syr. §. 35. p. 82. itemque p. 27.

2) Hoc interrogativum מן QUID, nullibi alias in toto codice sacro occurrere? — — Nec id quidem mirum, Mose statim per מָה הוּא, *quid esset?* interpretante. Nempe sunt aliquae voces idioticae, in librorum comtiorem scriptionem non receptae, sed in vita communi quotidianae, quales innumeras vel nostra habet lingua Germanica. Ex his fuisse censeo מָן QUID, ideoque statim Mosen interpretari, *quia non noverant, quid esset.*

Licetne his conjecturam addere grammaticam? Post מָה cum sequente voce arcte conjunctum Dagesch forte poni solet, ut, מַה־שְּׁמֶךָ Genes. XXXII, 28. מַה־טּוֹב וּמַה־נָּעִים Ps. CXXXIII, 1. atque millies: hocne inde, quod Hebraei in communi sermone dicentes, *Man-tob, (quam bonum!)* id contraherent in *Mattob*, more linguae consveto? scriberent quidem semper, ut in libris usitatum מַה, is vero, qui puncta adponeret, aliquid hic ex lingua vetere residuum in praelegendo codice sacro servaret, ac *Mattob*, *Mannaim*, efferri vellet. Sic quidem laudis aliquid debebitur Masorethis ob servatam post tot secula mortuae linguae Hebrai-

 cae

cae adpellationem. Dubitans eam tribuo, dispexerint alii. Certe vix ulla ratio probabilis hujus Dagesch reddi potest; sed de hoc in grammatica Hebraica quam paro dixi, vereor autem, ut edere possim tot jam annos natus.

1419. מנה *numeravit, destinavit Deus, secuit.*

Numerandi, dinumerandi, destinandi significatio notissima; sunt tamen aliqua de verbi usu adhuc notanda, maxime ob ea quae deinde de מְנִי disputanda aut dubitanda.

Ponunt Hebraei Arabesque inprimis de Dei destinatione, providentia, *fato*. Insignis locus Jes. LXV, 12. ומניתי אתכם לחרב, *destinabo vos gladio:* exque eadem notione possis explicare dubium illud et controversum Ps. LXI, 8. חסד ואמת מַן ינצרהו *constitue, in fatis esse jube, ut pietas et veritas servent eum.* Job. VII, 3. Daniel. V, 26. inscriptum parieti מְנֵא מְנֵא (vel ut prope malim, מְנָא מְנֵא, *numeravit numerans,*) explicatur per, מנה אלהא מלכותך והשלמה, *numeravit deus regnum tuum et finivit illud*, ubi de fatali temporum dinumeratione sermonem esse quisque videt. Arabibus منًا *mors*, nempe, quod Deus dies nostros dinumeravit, منيّة et *mors*, et generatim, *fatum.*

Est autem et منى Arabibus, ut ex Bidawio docet Pocokius p. 92. speciminis historiae Arabum, idem quod قطع *secuit:* quae significatio cum a nostra, *numerandi*, sit diversissima, suspicor ex verbo منّ *praecidit* funem, in منى immigrasse. Certe et *mortis* nomen sub eadem radice habent Arabes مَنُون, inde, ut videtur ductum, quod vitae filum resecetur.

1420. מְנִי. Jes. LXV, 11. *fatum.*

Vos, qui instruitis Fortunae (לגד) *mensam, et plenum miscetis poculum* לַמְנִי, — — — *vos destinabo* (ומניתי אתכם cum allusione ad מני) *gladio.*

Nulla in nomine מני lectionis varietas: Hieronymus literis quoque Latinis, sed N geminans, MENNI scripsit. Conjecturae et dissensiones recentiorum in nomine idoli, ut puto, Arabici, hic semel obvii, vix relatu dignae, certe haec eos lexicorum supplementa non capiunt. Ignorabant

rabant idololatriam Arabicam, ex qua explicari nomen poterat: hinc tenebrae.

Idem quidem et veteribus jam accidit: de his tamen dicendum. LXX non *τύχην* ſed *δαιμόνιον* vertiſſe credo, nomina autem lapſu memoriae interpretis transpoſita eſſe. Sic illi, *ἑτοιμάζοντες τῷ δαιμονίῳ* (לגד) *τράπεζαν, καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ* (למני) *κέρασμα*: verum cum גד Arabibus ſine dubio proſpera fortuna ſit, atque a Graecis ipſis Geneſ. XXX, 11. *τύχη* vertatur (*), vix dubitandum, quin et hic Hebraico גד, *τύχη*, et מני *δαιμόνιον* reſpondeat. Sic et jam eos Hieronymus intellexit, (Operum T. III. p. 487. ſumma) "*quod LXX tranſtulerunt, daemoni, in Hebraico habet, MENNI.*" *Δαιμονίου* nomen late patet, omnes apud Judaeos complexum a gentibus pro diis cultos: videntur ergo cum ipſi quoque idololatriae Arabicae minus periti, quod numen eſſet, ignorarent, generale idolorum nomen poſuiſſe: idem facit Chaldaeus, לדחלתהון *idolo ſuo*, ac liberius etiam, modo recte ad nos deſcriptus pervenit, Syrus ܘܡܡܙܓܬܘܢ ܠܗܘܢ ܐܠܝܢܐ *et qui miſcetis ILLIS pocula.* Eſt haec errore melior atque laudanda ignorationis confeſſio. In ſumma ſententiae, idolum eſſe, conſentit Symmachus, ſed ex literis, מִבִּי lectis, exſculpens, PRAETER ME, i. e. qui poculum miſcetis alii praeter me deo, ſatis ingenioſe. Vulgata: *et libatis ſuper eam*, (ſcil. menſam,) quod quomodo ex Hebraico למני effici poſſit, non video, nec docuit nos in commentario Hieronymus.

Primus mihi veram dixiſſe ſententiam videtur Pocokius p. 92. ſpeciminis hiſtoriae Arabum, cujus in partes non pleroſque iiſſe miror: *eſſe Deam Arabum* مَنَاة. Eſt illa ex *tribus filiabus Dei*, (بَنَات الله) in vicinia Meccae olim, quin et in ipſa aliquando Caaba cultis, contra quas in Corano Muhammedes diſputare ſolet, tertia. Nomina earum ſunt, primae اللات, ſecundae العزى, tertiae مَنَاة, de quibus in ſpecimine hiſtoriae Arabum copioſe egit Pocokius p. 89-93. ut ad ipſum omnino remittere poſſim. Soli etymologiae nominis مَنَاة non adſentior, quam duplicem proponit, 1) a مَنَى *fluere*, ut Dea dicta ſit a ſanguine victimarum coram ea fluentium 2) ab eodem verbo, quatenus eſt قَطَعَ *ſecuit*, ob victimas caeſas. Etymon omnibus diis deabusque commune, ideoque nullius nomini proprio ſatis aptum. Ejus loco, niſi aliquid

(*) num. 330. p. 266. 267.

aliquid novae lucis adfulgeat, malim مَنَاةُ FATUM vertere, ut idem ſit quod مَنِيَّةٌ. Fatum ſeverum et inexorabile, egregie cum ridente et proſpera fortuna componetur, qua de re copioſius in notis ad hunc locum germanicis dixi. Sic Horatius in oda ad Fortunam (libr. I. od. 35.)

Te ſemper anteit ſaeva Neceſſitas,
Clavos trabales et cuneos manu
Geſtans ahena, nec ſeverus
Uncus abeſt liquidumque plumbum.

Sed addere jam liceat de tribus dei filiabus, maxime tertia, Manatha, veriſimilia, lectorumque permittere judicio. Mihi quidem *tres filiae Dei*, eſſe videntur tres Parcae, Latinis, Clotho, Lacheſis et Atropos. Non ſolum numerus ſvadet, ſed et nomen unius ex filiabus, اللات, quod ipſi Arabes ad لوي, *contorquere*, *plectere*, *funem vel fila* referunt, ut ſit fila nectens. Tertia مناة FATUM, Atropos eſſe videbitur, filum ſecans, ſive illa ſimpliciter a numerando et definiendo nomen acceperit, ſive a منى *ſecuit*. Quaeri adeo poſſit, ſitne Parcarum nomen, cui nulla inveniri latina derivatio potuit, barbarum, Phoeniciae originis, cumque ſuperſtitione ipſa Latio invectum, ab avellendo filo, (פרק) ductum? ſed haec jam timidiuscule ſcribo, veritus, ne lecturis diſpliceant, ut mihi ſaepe etymologiae nominum latinorum Hebraicae diſplicuerunt.

Tertiae ex tribus Dei filiabus quid opponi poſſit, video, מני nomen eſſe maſculinum. Sed hoc nullius momenti: innumera feminarum nomina propria, e. g. *Iſabel*, *Abigail*, &c. terminationem habent maſculinam, quidni ergo et dearum? Adde, eſſe exoticum, a vicinis gentibus acceptum, ut peregrinorum numinum omnia: jam Syris ܡܢܝ plane femininum foret.

De una adhuc dicendum, quae recentiorum quibusdam placuit, interpretatione, quod licet eam haud probem, non auſim tamen omnem cum vero cognationem adjudicare. *Lunam* eſſe voluerunt, ex graeco μὴν, unde et Latinum *menſis*, nec negandum literas M . . . N, variis modo prolatas vocalibus, late per plures Europae linguas lunae notionem habere. Per omnes id regnat Germanicae linguae dialectos: nobis luna, MOND, in antiquiſſima verſione Germanica bibliorum, MENIN, (Apoc. VI, 12. *all die menin ward gemacht als Blut*). Vide omnino Adelungii lex. Germ. ſub, *Mond*, qui adeo addit, quod vix exſpectaſſem, Letticum,

MIENN, et Tatarorum Crimensium, MINE. Verum haec utcunque late per Europam patentia nihil ad linguas Orientales. Etymon ergo plane damnaverim, nec tamen ideo negaverim, aliquid veri subesse sententiae posse: forte enim, ut גד, prosperam fortunam, ad solem retulit superstitio Orientalis, ita saevam necessitatem atque inexorabile fatum ad lunam ablegare potuerit.

1421. מְנִי *numerus* Ps. LXV, 4.

Sunt ex lexicis, quae מני Jes. LXV, 11. *numerum* interpretantur, quibus me non accedere viderunt lectores: nec tamen מני, *numerus*, ex lexicis deleri velim. Ex verbis Ps. LXV, 4. דברי עונת גברו מני, ut punctis instructa sunt, sententiam grammatica duce exsculpere nequeo: at omnia expedita, si sine Dagesch מְנִי efferens, vertas, *rationes iniquitatum praevaluerunt numero*, i. e. numerosa sunt peccata, in rationes relata.

מני, nomen proprium, quaere paulo post, sub tert. rad. Jod.

1422. מָנֶה plur. מנים, *mina*. 1 Reg. X, 17. Ezech. XLV, 12. Ezr. II, 69. Nehem. VII, 71. 72.

Nomen ponderis in Mosis scriptis non obvium: cujus legibus cum ejus quantitas non definita sit, fluctuasse ac diversa fuisse videtur. De Ezechielis loco plane adsentior Coccejo, triplicem ibi minam lege definiri, *minimam XV, mediam XX, maximam XXV siclorum Mosaicorum:* sed praeter has multae aliae diverso pondere minae fuisse videntur, fraudis occasio, ex quibus hae solae jam legitimae. Alii quidem, et vero plerique Ezechielem sic interpretati sunt, ut mina sit, *25 + 20 + 15* id vero est, sexaginta siclorum. Parum mihi verisimile, ac mira computandi ratio: thalerum nostrum quis legislator 10 + 9 + 5 grossis definierit? Videtur tamen jam Josephi tempore recepta fuisse interpretatio. Ant. XIV, 7, 1. de Crasso narrans, *eum trabem auream 300 minarum ex templo abstulisse*, addit, ἡ δὲ μνᾶ παρ' ἡμῖν ἔχει λίτρας δύο καὶ ἥμισυ, *mina apud nos habet duas libras et dimidium:* adscribit Eisenschmid de ponderibus, p. 53. *quae sunt unciae* XXX; (libra Romana 12 uncias habebat) *siclo ergo competit semuncia Romana*, (nempe ex Josephi computo, cui siclus sui temporis proxime ad semunciam Romanam accedebat.)

Ex 1 Reg. X, 17. effecerunt alii, minam centum siclorum fuisse, quod enim in libro Regum est, clypeis inductas fuisse, שלשת מנים זהב

 tres

tres minas auri, pro eo 2 Paral. IX, 16. legimus, שלש מאות זהב *trecentos ſiclos auri.* Non contradico: potuerit enim Salomonis tempore alia mina, et multo major eſſe, quam Ezechielis; poſſint et ſicli intelligi minores, non Moſaici, ſed regii, illi certe de quibus Joſephus loquitur, ſemunciae aequales, utpote ſerioris aetatis, plane non intelligendae. Nec tamen certa aequatio: regum et chronicorum libri, male deſcripti ad nos pervenerunt, ergo ſuſpicio, alteram harum lectionum depravatam eſſe. En eas ſibi ſuppoſitas,

שְׁלֹשֶׁת מָנִים זָהָב
שְׁלֹשׁ מֵאוֹת זָהָב

quid facilius, quam מנים in מאות, aut מאות in מנים mutari.

Minas, quae Ezr. II, 69. Nehem. VII, 71. 72. memorantur, ex his definiri non poſſe, facile intelliges: ſuntne enim 15? an 20? an 25? aut ſi malis 60? an 100? ſiclorum. Ne crediderim quidem, Iſraeliticas eſſe, hae enim Ezechiele praecipiente triplices, ut addendum fuiſſet, de qua, minima, media an maxima ſcriptor loquatur, ſed Babylonias aut Perſicas, quae quantae fuerint plane ignoramus. Non doctiores, quam me adierant, lectores dimiſi, verum ſciamus, ubi de minis in ſacro codice ſermo, ſolo Ezechielis loco excepto, nos nihil ſcire: ignorare melius, quam aſſeveranter errare.

Nomen, cujus derivationem Oriens offert, a מָנָה *numeravit*, origine Orientale, et Phoenicum commerciis ad Graecos et Latinos translatum videtur.

1423. מִנִּי *Armenia* Jerem. LI, 27. Pſ. XLV, 9. (Amos IV, 3. Mich. VII, 12.)

Jerem. LI, 27. junctim memorantur, et contra Babylonem armantur, regna אררט מִנִּי ואשכנז. Veteres quidem, (exceptis de quibus deinceps dicam LXX) in nomen proprium regionis, et vero Armeniae, conſentiunt: Syrus claris verbis ܐܪܡܢܝܐ? Chaldaeus חורמני, vel ut alii per He legunt, הרמני, quod montes Minni ſeu Armeniae ſignificare creditur. Vide Bochartum in Phaleg. l. I. c. 3. p. 19. 20. Nec quidem omnem, quam late nomen patet, Armeniam intellexerim, ab Ararata enim diſtinguitur, ſed partem ejus, hoc proprio nomine dictam. Memorat ſane aliquam Armeniae Μινυάδα Nicolaus Damaſcenus, his verbis, quae ex Joſepho Ant. I, 3, 6. deſcribo: ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν, Βάρις λεγόμενον, quem ad montem navigium Noachi adhaeſiſſe ex traditione refert. Haec quidem Minyas ubi ſita, adhuc igno-

ignoro, sed partem fuisse Armeniae facile scriptori antiquo credo. — — LXX quidem interpretes, geographiae Asiae septentrionalis parum periti, ex מני particulam fecerunt verteruntque, παρ' ἐμοῦ. Integra adscribere verba lubet: παραγγείλατε ἐπ' αὐτὴν βασιλείας Αραρὲθ παρ' ἐμοῦ, καὶ τοῖς Ἀσχαναζαίοις. His quod accidit, ut nomen proprium geographicum inscitia geographiae in particulam mutarent, aliis quoque alibi accidisse videtur.

Psalmo XLV, 9. legimus, מִן הֵיכְלֵי שֵׁן מִנִּי שִׂמְּחוּךְ, quod quis, nullis adjectis vocalibus legens, et ex Jeremia sciens מני Armeniae regionem esse, non sic interpretetur? *ex eburneis palatiis Armeniae* (Minyadis) *exhilarant te*, ac conjungat id quod sequitur, בְּנוֹת מְלָכִים, *filiae regum:* hac integra sententia, *ex eburneis Armeniae* (Minyadis) *palatiis exhilarant te filiae regum*, thori tui sociae, gynaeconitidis incolae. Sic et vertere Germanice ausus sum. At hic omnia turbarunt Masorethae, et מני his punctis instruentes מִנִּי, plane nihil significaturum, et בְּנוֹת מְלָכִים ab hoc versu avellentes. — P. S. Video, Nizelii editionem habere מִנִּי: forte et in pluribus reperietur, si evolvantur.

Amos IV, 3. הַהַרְמוֹנָה, seu, ut alii codices sine Vau habent, ההרמנה, eodem modo interpretati sunt, Syrus, ܠܛܘܪܐ ܕܐܪܡܢܝܐ et Chald. טורי הרמיני *montes Armeniae*. In duas hi voces diviserunt, ההר מנה, priorem ההר montes, מנה Armeniam reddentes. *Armeniam* Symmachus quoque intellexit, suffragante in commentario Hieronymo, licet in versione Vulgata nomen *Armon* retinuerit. Hos quidem et in versione Germanica sequutus sum, sed, ut in notis ad illam dixi, dubius. Rationes dubitandi; 1) quod si de monte Armeniae sermo, He praefixum redundare videtur. Fac הרמונה regionis nomen esse, non dicunt Hebraei, scribe distinctim ההר מונה, nec iidem dicunt, הַמִּצְרַיְמָה *in Aegyptum*, ההר לבנונה, sed הָרָה לְבָנוֹן. Mallem ergo nomen habere adpellativum, forte, *ruinosos et vetustate labentes muros*, ab هرم, de quo dicere p. 572. oblitus sum. 2) quod potius scribendum fuisset, ההרמני: nullus tamen omnino ita codex, sed quod accedit, 3) duo a Kennicotto citati החרמונה et הערמונה. Haec in loco uno omnium obscurissimo lectionis varietas interpretationem magis etiam, quam fuerat antea, dubiam facit.

Mich. VII, 12. ולמני מצור; quod mihi quidem est, *inde ab Aegypto*, solus Chaldaeus vertit, ודמן חורמיני רבתא, *et inde ab Armenia*

nia magna: male hic quidem et tempori quo Micha vixit parum apte. Late dominabantur a ſeptentrione Aſſyrii, nec Iſraelitarum fines, Aſſyriorum magno diremti imperio, Armeniam attingebant. Id quidem videmus, ſaepius Chaldaeum, quam alios, ſub his literis Armeniam quaerere, forte quod ei, nomen Armeniae מִנִּי, *Minyas*, notius familiariusque eſſet.

1424. מִנִּית Jud. XI, 33.

Eſt hic ſine dubio nomen proprium loci in Ammonitide, de quo nihil geographici habeo, praeter haec Euſebii et Hieronymi in *libro de ſitu locorum Hebraicorum*, (editionis Operum Hieronymi Benedictinae T. II. p. 466.) *καὶ νῦν ἐστι κώμη* Μαανὶθ, *ἀπο* Δ *σημείου* Ἐσβοῦς *ἀπιόντων εἰς* Φιλαδέλφιαν, Hieron. *nunc autem oſtenditur Mannith villa in quarto lapide Esbus pergentibus Philadelphiam.* Caeterum, licet nulla ſit in codicibus Hebraicis lectionis varietas, LXX tamen verterunt, *ἄχρις* Ἀρνῶν, et Syrus, ܡܟܝܪ, *Machir*, forte ex conjectura de ignoto nomine: Arabs tamen alioquin in hoc libro Syrum vertens, ſed alicubi ad Hebraica correctus, his conſentanee مانيث habet. Haec praemittere neceſſe erat, antequam pergerem ad ſequens

1425. מִנִּית Ezech. XXVII, 17. 1 Sam. XV, 7.

Legitur hic חִטֵּי מִנִּית, obſcurum nomen, de quo licet nihil habeam vel certi, vel veriſimilis, nolim tamen, ut fecerunt alii, ſine reſponſo dimittere, qui haec ſupplementa conſulent. In ipſo onomaſtico, quod doleo, omiſit, Simonis, ab eo enim ſi non certam ſententiam, tamen aliqua, quae me forte minus diligentem, fugiunt, collectanea ſperaſſem.

Ut ſcripta ſunt verba, vertenda, *triticum Minnith*, ita ut Minnith ſit regio tritici optimi ferax. Ita et plerique, Raſchio et Kimchio praeeuntibus, *Minnith pagum Ammonitarum* vix dum memoratum intelligentes. Veri hi quidem perquam diſſimiliter, de mercibus enim ſermo, quae ex Judaea et terra Iſraelitica Tyrum devehebantur: his ergo in regionibus, ſi qua eſt tritici dives Minnith, quaerenda, ſed nulla comparet.

Aliorum ſententias expoſiturus Raſchius, *Medraſch* inquit, *Aggada, (ſeu expoſitio allegorica) habet, quod hic intelligatur per* מנית *triticum praeſtans ac pingue, quod venditur* במנין *id eſt, numero. Jonathan interpretatus eſt triticum* דריחוש, *quod ſignificat congregationem numerorum multorum, vernacule* (i. e. Gallice) *trochés, et conjungendo expoſuerunt Rabbi-*

ni

ni in Pesikta: sicut myrtus רחושדה *i. e. numerosa est foliis, sed haud scio, quid hoc sibi velit. Ex ore R. Simeonis deprehendi, quod ille repererit in textu Thargum Hierosolymitani, verba ista* בחטי מנית ופנג *exposita esse* דחושלא וקלמא, *i. e. quod decorticatum est et calma,* שערי דחשלא *quod habemus in Thalmud, discimus quod sit hordeum decorticatum. Ego autem existimo (*) quod* מנית *significet* מָנוֹת, *i. e. cibum determinatum (**).* Malui haec ex versione Breithaupti describere, quam sive Rabbinica describere, sive ipse interpretari: sententiam de illis dicere jam non vacat, ipsi lectores dicent, meae opis non indigentes.

Vulgata *frumentum primum* vertit, quod quomodo ex מנית effici queat non video, nec in commentario Hieronymus, ad spirituales interpretationes delapsus, versionis suae literalis rationem reddidit.

Alii, me quidem arbitro meliores, literas חטימנית ita dividunt, ut מ ad praecedentia referant, חטים, et נית, (fragmentum forte vocabuli detruncati) aliam mercem faciant. Sic LXX, *σίτου καὶ μύρων merces tritici et unguentorum*, Syrus, *triticum et oryzam.* Unguenta quidem, dos Palaestina, possent forte ex נית effici, ad Arabicam radicem نوي relato, quae pinguedinis notionem habet, unde et, masculinum, نيّ *pinguedo*, نيّ adeps. Quamquam, ut verum fatear, si נית ex Arabico نيّ *pinguedo, adeps*, exponendum, mallem potius *pingues cibos et delicatos*, aut, *pinguissimas carnes* intelligere. Sequens פנג, si delicias interpretaris, ut multi, recte componentur, נית ופנג *pinguia* et delicata.

Utcunque sit, מנית hic damno, et חטים נית interstinguo, incertus tamen, utrum נית *(pinguedo,)* sit vera lectio, an ex alia lectione superstes. Varietatem lectionis, quam in Kennicotti bibliis reperio, haec est, duo codices מינית habent, alii duo מנית.

Semel adhuc ex unius codicis lectione מנית ut nomen proprium loci, nescio cujus occurrit. Pro שור אשר על פני מצרים 1 Sam. XV, 7. codex Kennicotti 17, quem circiter 400 annorum esse dicit, habet, מנית על פני מצרים, *Minnith e regione Aegypti*, vel, *ante Aegyptum.* Estne

(*) Nempe hic a semet ipso dissentit, initio enim exposuerat, triticum ex Minnith adlatum.

(**) Codex Kennicotti 99, anno Chr. 1385 scriptus, qui dicitur synagogae Hierosolymitanae fuisse, hoc ipsum מָנוֹת habet.

Eſtne hic regio aliqua Aegypto circa Peluſium vicina? an, Minaeorum circa Meccam habitantium regio, Aegypto oppoſita, ac mari rubro ab illa diremta? de qua infra ſub מעוני dicemus. Mira varietas lectionis, cui num tantum auctoritatis tribuendum ſit, ut copioſius de ea agam, aut unde orta, non expedio.

1426. מִנִּים *chordae* Pſ. CL, 4. (a rad. מנן).

Per hendiadyo cum עוּגָב componitur laudate illum בְּמִנִּים וְעוּגָב *chordis et pſalterio.* Chordas verterunt LXX. Vulg. Aquila, Hieronymus, et harmonice Syrus, niſi quod hic hendiadyo aliter interpretatur, ܒܡܢܝ̈ܐ ܒܣܝ̈ܡܬܐ *chordis ſuavibus*, (amabilibus.) Contra Chaldaeus, חֲלִילִין fiſtulas interpretatus eſt. Ambigere ergo poſſemus in ἅπαξ λεγομένῳ niſi certum adferret Syria: huic ܡܢܝ̈ܢ ſunt 1) *pili*, *capilli*, atque inde ob tenuitatem ita dictae, *chordae.* Exempla indubia Pſ. XXXIII, 2. CXLIV, 9. ubi Hebraicum עָשׂוֹר, *decachordum*, redditur, ܕܥܣܪ ܡܢܝ̈ܢ, hocque Syriacum Arabs Antiochenus iterum reddit, ذات عشرة اوتار *habens decem chordas.* مَنِين eſt et Arabibus funis, atque مِنَنَة, credo a filis quae net, aranea.

Id quidem ex his manifeſtum, ad radicem מנן pertinere, nec tamen ab Arabico مَنَّ *reſecuit funem vel filum*, certo derivare auſim, poſſit enim verbum eſſe denominativum.

1427. מנן.

Ipſum verbum מנן, fortaſſe in Hebraico codice nuſpiam obvium, Arabibus frequentiſſimum, plures apud hos habet ſignificationes, ita prima fronte diverſas, ut quomodo ad unam derivari poſſint, difficile dictu ſit: equidem in etymologicis timidior, haec bene et perite diſputantes audire, quam ipſe diſputare malim. Sunt tamen hae notiones radicis Hebraicarum literarum cupido non ignorandae.

1) مَنَّ *beneficus fuit*, *largitus eſt*, unde et مَنّ donum. Ad hanc notionem non pauci *mannae* nomen מָן, retulerunt, quaſi *donum dei*, aut, *coeli*, invito Moſe, qui ad מָן QUID refert. Vide num. 1417. Forte tamen ipſum verbum hac ſignificatione occurrit Pſ. LXI, 8. verba enim,

enim, perquam illa dubia atque jam sub מָן et מִנָּה tractata, חסד ואמת מַן ינצרהו possis et vertere, *gratia et veritas ut eum servent largire:* sed sub מִנָּה dicta praeplacent.

2) *Exprobravit benefacta:* quam significationem exemplis confirmavit Castellus in suo lexico, ut mihi jam non opus sit idem facere.

3) *Debilitavit*, unde مَنِين *debilis*. Et hic, si dubites, exempla dabit Castellus.

Ad hanc radicem si retuleris, ut referendum videtur, ἅπαξ λεγόμενον nec hucusque perpurgatum,

1428. מָנוֹן Prov. XXIX, 21.

erit, sive a secunda verbi significatione, *debilis*, sive a tertia, *beneficiorum exprobrator*. Utrumque loco egregie aptum: *si quis a pueritia delicatius enutrit servum suum, in fine erit beneficiorum exprobrator*, – – sive, *in fine* servus fiet *debilis* et ad negotia ineptus. Aliorum versiones aut tentamina qui cupit, inveniet in patris mei curis uberioribus, et Schultensii commentario in Proverbia. Veteres hic non nisi conjecisse videntur, nihil enim omnino habent, quod usus linguarum Orientis firmet.

1429. מָסַךְ *miscuit.*

Verbum, cum derivatis suis, in antiquissimis Hebraicae linguae monumentis Jobo et Pentateucho non reperitur, sed in solis psalmis, Proverbiis et Jesaia, nec de omni mixtura, sed de sola vini. Nec vero uspiam de vino aqua temperato poni memini, sed de medicato, admixtis, ut fortius fiat, aromatum variis generibus, aut aliis inebriantibus. Sic sine dubio Jes. V, 22. XIX, 14. Ps. LXXV, 9. Prov. XXIII, 30. ubi miscetur, ut magis inebriet, nec Prov. IX, 2. 5. ubi Sapientia convivas invitans vinum miscuit, de vino aqua temperato intellexerim, aqua enim vinum non is temperat, qui convivas invitat, sed conviva ipse. Semel transfertur ad potum lacrimis mixtum, Ps. CII, 10. Insolentior paulo et audacior constructio, ubi ipsa temulentia misceri, i. e. infundi dicitur, Jes. XIX, 14. יהוה מסך בקרבה רוח עועים *Jehova miscuit ex ea*, i. e. infudit Aegypto et ingurgitavit, *halitum erroris, ut errare faciant Aegyptios sicut errat ebrius in vomitu suo.* Praeter ea loca, ex quibus verbum in lexicis citatur, videri possit et pro נסך Hieronymus legisse Jes. XXIX, 10. vertit enim, *miscuit vobis dominus spiritum soporis*, ac si esset, מסך עליהם

עליהם יהוה רוח תרדמה: et haec phrasis audacior, praecedenti simillima.

Rarior, et mirus quodammodo verbi cum linguis Europaeis plerisque concentus, *μίσγω*, *misceo*, *mischen*, (quod ad omnes fere Germanicae linguae filias aut sorores transiit) Polonorum, *mieszam*, Venedorum, *meischam*. Non solent alias linguae Orientales nostris ita convenire. In antiquissimis ergo libris cum non occurrat, deque solo ponatur vino, suspicor, exoticum esse, forte cum arte vina condiendi paulo ante Davidis tempora ex Graecia aut aliunde advectum. Habent quidem et reliquae linguae Orientales, sed ea scribunt inconstantia, quae in solis exoticis solita, מזך et מזג Chaldaei, ܡܙܓ Syri, مزج et مشج Arabes. Dubitans scribo, et anquirens, non certum statuens.

1430. מַס *tributum*.

Non ad מסס *liquescere* retulerim, sed ad cognatum مش 1) *mulsit, parte lactis in uberibus relicta*, 2) *cepit rem opesve paulatim, partem post partem*. Ex usu tamen linguae plerumque non de tributo, quod aere penditur, sed quod labore absolvitur et servitiis, poni solet.

1431. מִסָּה Deut. XVI, 10.

Tributum quibusdam in lexicis, in aliis aliter vertitur: mihi quidem praeplacet, quod Onkelos et Syrus, eodem quidem vocabulo posito habent, ܡܣܬܐ *sufficientia*, ita ut מסת נדבת ידך sit, *spontaneum munus, quantum dare manus tua sine tua molestia*, potest. Sic et LXX *καθὼς ἡ χείρ σου ἰσχύει*. Vide lex. Syr. p. 513. et Buxtorfii Chald. p. 1235. ubi monetur, מִסַּת a Chaldaeis poni pro Hebr. די. Ad etymologica non descendo, cognatum tamen videtur cum Chald. מסתא, Syriaco ܡܣܐܬܐ *libra, statera*.

1432. מָעַד *vacillavit, festinavit*.

Duplex pro uno verbum habent Arabes,

1) معد *festinavit, celeriter rapideque aliquid fecit, terram peragravit*. Hucne referendum difficillimum interpretibus מועדיו Jes. XIV, 31. quod vix ex radice יעד explicari posse pag. 1114. fassus sum. Erunt jam: *festinantes, agmen rapidum, exercitus in hostem raptus*, verbaque

baque אין בודד במועדיו vertenda, *nemo remanet in rapide ducto exercitu*, proprie, *in rapidis ejus*. Linguae quidem Hebraicae peritus haud opposuerit scriptionem per Vau, quod quidem non necesse est radicale esse, namque et participium Kal saepe plene קוטל scribitur. Quod si quem tamen indoctiorem hic scrupulus urit, sex codices sciat Kennicottianos sine Vau habere במעדיו.

2) مغث cujus prima vis esse videtur in *mollitie*. Hincne fluxit, nota ex lexicis et frequentissima, *vacillandi* ac *lapsandi* significatio? מעד de pedibus talisque positum, estne proprie, *molles et infirmi fuerunt*, cujus consequens, ut lapsent? LXX quidem, solum ut videtur etymon spectantes, bis *ἀσθενεῖν*, *infirmum esse*, verterunt, Ps. XVII, 40. *οὐκ ἠσθένησε τὰ ἴχνη μου*, et XXV, 1. *οὐκ ἀσθενήσω*.

1433. מעך Levit. XXII, 24. 2 Sam. XXVI, 7. Ezech. XXIII, 3. *fricare, volvere et projicere in pulvere.*

Premendi, *deprimendi*, *infigendi in terram*, significatum lexica verbo dederunt, Judaeis creditum, nullo usu linguarum Orientalium, praeter Rabbinicam Thalmudicamque, comprobatum. Syri Chaldaeique verbum non habent. Arabibus alia omnia significat, ex quibus haec modo enoto, tribus locis Hebraicis suffectura: 1) *fricare*, 2) *volutare* in terra, in pulvere, unde معكوكاء *concitatus pulvis*. Jam,

Levit XXII, 24. מעוך a *fricando* vel *confricando* erit, *cui testiculi contriti sunt*. *Zerdrücken* in versione Germanica reddidi. Cupias, nisi fallor, scire, quid hic veteres habeant: Vulgata, ipsum illud literaliter, quod posueram, *contritis testiculis*, LXX *ἐκτεθλιβομένος*, Chald. רְסִיס *contusus*, Syr. ܪܣܝܣ; (idem) Arabs uterque مَرْسُوس, quod quidem verbum مرس ipsum *fricare* significat.

1 Sam. XXVI, 7. non verterim, *hasta ejus erat infixa*, sed potius, *volutata i. e. projecta in terra*, in pulvere volutata. Hic tamen hastam *infixam*, ex conjectura satis verisimili, lexicographis praeierunt LXX, Vulgata, Chaldaeus; mearum partium forte Syrus, ܣܝܡܐ ܥܠ ܐܪܥܐ *posita super terra*, exque eo Arabs, مَوْضُوع. Conjectura si res aestimanda, accederem sane lexicographis, verum hac non utendum arbitror, ubi usus linguarum cognatarum significatum nobis offert.

Ezech. XXIII, 3. de lascivia uberum frictura et contrectatione non dubitans intelligo.

1434. מעכה, atque inde gentilitium מעכתי.

Nomen proprium urbis regionisve trans Jordanem, Deut. III, 14. Jos. XII, 5. XIII, 11. 13. cujus rex Ammonitis contra Davidem auxilia misit 2 Sam. X, 6. 8. 1 Paral. XIX, 6. 7. Populus regionem incolens Jos. XIII, 13. Cananiticae originis esse videtur, vitio enim vertitur Israelitis, quod eum non expulerint, at 1 Paral. XIX, 6. ubi nulla lectionis varietate ארם מעכה habemus, Aramaeis adnumeratur. Ergone duplex fuit ultra Jordanem ejusdem nominis populus? an erroris aliquid sive ab illo chronicorum scriptore, multa post rem gestam secula scribente, aut librariis admissum? Solus interpretatione consulere loco studuit Chaldaeus chronicorum interpres, *Syros in vicinia Maachae* (ארם דעל מעכה) intelligens. Ipsa regio בית מעכה vocatur, (vide pag. 174. 175.) indeque *Abila*, ut ab aliis ejusdem nominis urbibus distinguatur, 2 Sam. XX, 15. אבל בית המעכה vocatur, in extremis Israelitarum finibus, atque in vicinia Basanitidis quaerenda. Possit ergo esse, sive Abila Batanaeae Relandi, (Palaestinae ejus p. 525.) sive ejusdem Abila ad Libanum, p. 527: nec obstare ei puto, quod pag. 528. Relandus opposuit: "*quis urbem, ad plagam septentrionalem Damasci, urbis Syriae, et XVIII inde milliaribus dissitam, credat ad terram Israeliticam pertinuisse?*" Inspice bonam, id vero est, d'Anvillianam aliquam harum regionum delineationem, videbisque argumentum evanescere. Magnam partem Antilibani, et vero usque ad multo septentrionaliorem Baalbecam, Israelitae tenuerunt, (pag. 196.) quid ergo in hoc veri dissimile, si et subjectam Libano Abilam? Ex omni regione Maacha expellere Cananitas debuissent, hoc non fecisse dicuntur in libro Josuae: at unam illis urbem eripere suamque facere potuerint. Hanc ergo utramque inter Abilam ambigo.

Est et de antiquorum dicendum interpretationibus:

1) Chaldaeo in Deuteronomio et Josua, ut jam monuit Bochartus in Phaleg et Canaan p. 79. est אפיקירוס i. e. *Epicaerus*, eodemque redire videtur ܩܘܩܝܪܘܣ Syri, Jos. XIII, 11. 13. *Epicaerus* quidem Ptolemaei, ut ex graduum computatione docui (*) ab Oriente maris mortui sita fuit, forte eadem quae *Schaubec* شوبك Arabum, *Mons Regius* scriptorum belli sacri. Placuerat Epicaerus Bocharto, magis etiam placuerat

(*) In historia belli Nesibeni p. 103 - 105.

cuerat mihi, unde non solum in historia belli Nesibeni copiosius explicandam susceperam, sed et pluribus locis adnotationibus ad versionem germanicam bibliorum intuleram. Si vera, אבל בית מעכה erit, *Abila Peraeae*. Recogitanti tamen et denuo examinanti displicet. Duorum interpretum auctoritas tanta vix esse potest, ut sola sufficiat; ex Mose autem ipso et Josua manifestum, Maacham Basanitidi vicinam, atque borealem fuisse: denique 2 Sam. XX, 14. 15. legens non poterit non suspicari, longe Hierosolymis in ultimo Palaestinae termino *Abilam regionis Maachae sitam fuisse.* Ergo jam abdico.

2) LXX 2 Sam. X, 6. 8. in aliis codicibus, ut, Alexandrino, Μααχὰ habent, in aliis, Ἀμαλήκ. Videtur posterius interpretatio nominis esse, prius emendatio ad Hebraica: ab Amalecitis habitatam Maacham incensebat, qui ita vertebat, nec ei contradicere ausim, ipse Amalecitas infra Cananitici stemmatis facturus. Possis quidem et suspicari, pro מעכה eum עמלק legisse, in nullo tamen hucusque codice Hebraico haec lectionis varietas reperta.

3) Syrus Paralipomenorum interpres 1 Par. XIX, 6. ܚܪܢ vertit, exque eo Arabs حَرّان, male sane, si de Haran Abrahami, Carrisque clade Crassi nobilitatis cogitarunt. Suspicor autem ipsum interpretem ܚܘܪܢ scripsisse, Auranitidemque, de qua num. 694. egimus, in animo habuisse. Maacham sic, Basanitidi vicinam, Auranitidem interpretabatur.

4) Hos recentiorum, Bocharto commemoratos, (Phaleg et Canaan p. 79.) qui ארם מעכה Paralipomenorum Syriam Commagenen interpretati sunt, non refello, nullo id argumento facientes, nec nisi hariolantes.

1435. מעל *praevaricatus est.*

Non habemus verbum in Syriacis Samaritanisve monumentis: in Arabicis duplici adpellatione, significatione cognata comparet, furtiva ac clandestina notans 1) مَغَلَ *rapuit, abripuit,* 2) مغل *corruptus fuit, susurravit, obtrectavit,* مَغَالَة *perfidia, fraus.* Ex his prius verbum ideo notari velim, Hebraicoque conferri, quod hoc Levit. V, 16. Num. V, 6. de surreptis ac furto, maxime circa res sacras, dum, forte per errorem, integrae non persolvuntur decimae, poni videtur.

1436. מָעוֹן, *Maon*, urbs tribus Judae.

Nomen proprium urbis in montana parte tribus Judae, viciniaque urbis Carmel de qua num. 1218. dictum: Jos. XV, 55. 1 Sam. XXV, 2. indeque 1 Sam. XXIII, 24. 25. desertum Maon, in quo ejusque vicinia David aliquando, Saulum fugiens, versatus. Nimis arctis Palaestinam finibus coercentes huic urbi ex mera conjectura cis mare mortuum locum adsignarunt, quae potius ad Orientem et Austrum sita fuit. معان Arabibus vocatur. Hanc ergo Abulfeda, p. 14. Syriae describens, ut urbem Ibn Chaukeli tempore parvam, suo tempore dirutam, *Scharathae* (شراة) regioni assignat, quae sine dubio ultra Asphaltiten est, uniusque diei itinere tradit a Schaubec (شوبك) abesse. Eidem pag. 33. 34. duabus stationibus a Soara abest, et vero ultra montem Scharath: sic enim fines Syriae versus Austrum ducit, *a mari juxta Joppen, ad Ramlam, ad Hierosolymam, ad Hierichuntem, ad montem Scharath, ad Moan*, additque, *esse sex stationes seu sex dierum iter*. Volney, cujus ipsa verba infra describo (*) ab his, qui iter eas per regiones fecerant, audivit, *Maanam quatuor dierum itinere* (**) *Gaza, versus Austrum et Orientem unius Akaba*, (sita ad initium sinus Aelanitici) *abesse*. Haec ergo urbis positio

4 diaet.	Gaza
2 diaet.	Soara
1 diaet.	Akaba.

Eusebius Hieronymusque de situ urbis nonnisi haec pauca et minus definita habent, φυλῆς Ἰούδα, ἔρημός ἐστι νῦν ἐν ἀνατολαῖς Δαρωμά, *Maon, in tribu Juda, contra solis ortum Daromae* (Hieron. Op. T. II. p. 463.)

בית מעון Jerem. XLVIII, 23. sive *urbem Maon* interpretor, sive *regionem circa Maon*, (vide num. 235.) nec, ut faciunt alii, a Maona Josuae et Samuelis distinguo: urbs trans mare mortuum sita potuit Jeremiae tempore Moabitarum esse.

Jam ulterius, quam volunt delineationes geographicae, porrecta versus Austrum et Orientem Palaestina, lucebit et historia Davidis, in deserto Ma-

(*) Voyage en Syrie, T. II. p. 314. 315. (de incolis Gazae loquitur): *ils font aussi chaque année une grosse Caravane, qui va à la rencontre des Pelerins de la Mekke, et leur porte le convoy ou djerde de Palestine avec des defraichissemens. Le lieu de jonction est, Mâân, a quatre journées au sud-sud-est de Gaze, et a une journée au Nord de l'Aquâbé, sur la route de Damas.*

(**) Nempe, recto itinere: sex diaetas numerans Abulfeda per ambages Hierosolymae et Hierichuntis lectores duxerat.

Maon ſatis a Saulo plerumque tuti, nec vicinam Carmelam, de qua ſupra diximus, Maonae fuiſſe jam miraberis. Adde et haec, 1 Sam. XXIII, 24. deſertum Maon ſitum dici, אל ימין הישימון *ad dextram, i. e. Auſtrum magnae ſolitudinis*, atque c. XXV, 1. 2. Maonam et Carmelam vicinas eſſe deſerto Faran: haec jam, antea obſcura, ex locorum ſitu melius conſtituto intelligentur.

1437. מעון et מעונים nomen populi non Iſraelitici, forte Minaeorum. Judic. X, 12. 1 Paral. IV, 41. 2 Paral. XX, 1. XXVI, 7.

מעון, ejusque gentilitium מעוני, ut nomen populi non Iſraelitici, ſed Iſraelitas adeo opprimentis occurrit, quod cum aliquoties a LXX, *Minaei*, (Μειναῖοι, vel, Μιναῖοι) reddatur, ante omnia de hoc Arabiae populo, in vicinia Meccae habitante, deinde de ſingulis locis dicendum, diſpiciendumque, illisne apti Minaei.

LXX Μιναίους habent pro המעונים 1 Paral. IV, 41. ἐπάταξαν τοὺς οἰκήτορας αὐτῶν, καὶ τοὺς Μιναίους οὓς εὕροσαν ἐκεῖ, καὶ ἀνεθεμάτισαν αὐτούς – – pro עמונים, ſed ſine dubio מעונים legentes, 2 Paral. XX, 1. ἦλθον οἱ υἱοὶ Ἀμμὼν, καὶ οἱ υἱοὶ Μωὰβ, καὶ μετ᾽ αὐτῶν ἐκ τῶν Μιναίων, εἰς πόλεμον, – – denique pro הנעמתי in Jobi libro, i. e. c. II, 11. XI, 1. XX, 1. jam ὁ Μινάιων βασιλεὺς, (reges enim et Jobum et ejus amicos faciunt) jam ὁ Μιναῖος.

Minaeos quidem Arabiae populum, ad mare rubrum, cujus metropolis ſit Carna, Strabo facit, l. XVI, p. 1112. 1113: κατοικεῖ δὲ τὰ μέγιστα τέτταρα ἔθνη τὴν ἐσχάτην λεχθεῖσαν χώραν· Μειναῖοι μεν ἐν τῷ πρὸς τὴν Ἐρυθρὰν μέρει, πόλις δὲ αὐτῶν ἡ μεγίστη Κάρνα. Ἐχόμενοι δὲ τούτοις Σαβαῖοι, μητρόπολις δὲ αὐτῶν Μαριάβα &c. Hanc quidem gentis metropolim Carnam, in Ptolemaei tabulis, ab Oriente Lathrippae, i. e. Medinae, et ſeptentrione Macorabbae, i. e. Meccae, ſub long. 73, 10. latit. 23, 15. invenies, ut jam aliquid de ſitu regionis Minaeorum conſtare videatur. Plenius nomen urbis قرن المنازل *Carna habitationum*, cui locum paulo aliter Nubienſis p. 47. (verſ. lat.) adſignat, Meccam inter et Tajef, ab Oriente Meccae, ubi et in delineationibus Aſiae d'Anvillianis ſub nomine *Kern elmanaazil* invenies. Monuerunt jam dudum, Bochartus in Phaleg l. II. c. 22. et Aſſemanus bibl. Or. T. III. P. II. p. 555. hoc *Manazil* ipſiſſimum *Maon*, vel *Maunim* eſſe, Hebraice modo, pro more Aſiatico, verſo Hebraico nomine: مَنَازِل *habitationes*, מעון (a ra-

(a radice עון) *habitatio*, מערכים *habitatores* vel, *habitationes*. Sententia verisimillima. Multa ejusmodi nomina propria Hebraice et Arabice ex hac in illam linguam versa habemus, qua de licentia Asiatica (nobis hoc ipso anno 1788 in intelligendis nuntiis publicis de bello Turcico perquam molesta) in grammatica Hebraica dixi, seu potius, cum evulgata nondum sit, dicam.

Caeterum de Hebraico solum nomine מעון et Arabico منازل loquor, nolimque in hanc a lecturis sententiam distorqueri, Graecum gentis nomen Μειναῖοι a מערכים ortum esse. Nimis et vocales et literae diversae, quam ut hoc vel suspicari ausim. Unde gens nomen Μειναίων habuerit, non pro certo dixerim; forte a Mina, منى, de qua Abulfeda p. 9. Arabiae (editionis Gagnierianae), *sita est in via quae a Mecca ducit ad Arafat: inter eam et Meccam sunt tria milliaria.* Haecne urbs, in vicinia montis sacri, olim celebrior, caputque gentis?

De singulis locis ut dicam, Judic. X, 12. ubi nulla in codicibus Hebraicis varietate מעון inter hostes et oppressores Israelitarum memoratur, et vero ab Ammonitis distinguitur, hac nominum serie, הלא ממצרים ומן האמרי ומן בני עמון ומן פלשתים וצידונים ועמלק ומעון, egregie locum tuentur Minaei: *nonne ab Aegyptiis, et Amoraeis, et Ammonitis, et Philistaeis, et Sidoniis, et Amalecitis, et Minaeis, qui vos oppresserunt, liberavi vos?* Opponere forte possis, nullos in praecedentibus libri Judicum capitibus Minaeos, Israelitarum oppressores memorari! Sed expedita responsio: Jud. VI. Midianitae, in societatem vocatis *Amalecitis et filiis Orientis*, i. e. Arabibus Ismaeliticis oppresserant Israelitas ac pene everterant, v. 3. מדין ועמלק ובני קדם. Qui ibi בני קדם, Orientales, hic jam erunt Minaei circa Meccam: Ismaelitae Midianitis adjuncti, vel ipsi forte Midianitae, nam et hi ab Abrahamo oriundi, et cum Meccanis cognati, potuerint ad Minaeos, unum ex quatuor Arabiae populis majoribus, referri. Hic sane מעון, ut ibi בני קדם, cum Amalecitis componuntur. In hoc tamen libri Judicum loco, in quo Minaei vel maxime placent, nemo eos veterum diserte praeivit: Syrus, pro lubitu, aut librarii errore, in versu undecimo Ammonitas et alia nomina omittens, hic ܥܡܘܢ, Ammonitas habet, Chaldaeus sine interpretatione nomen retinuit, אנשי מעון, Vulgata et Hieronymi versio, *Chanaan*, habent, non credo, quod in ejus codice כנען scriptum fuerit, in nullo huc-

hucusque codice repertum, ſed quod ita aut legendum putaret, quid מען eſſet, ignorans, aut errore oculorum anagnoſtes Judaeus, quo uti ſolebat, ei praelegit: ſoli LXX *Μαδιὰμ* habent, incertum, utrum pro מען ignoto מדין legentes, an idem mecum ſentientes, מען complecti Midianitas et filios Orientis capitis ſexti.

1 Paral. IV, 41. lectioni marginis (Keri) והמעונים, egregie apti Minaei Graecae verſionis, *ἐπάταξαν τοὺς οἰκήτορας αὐτῶν, καὶ τοὺς Μιναίους οὓς εὕροσαν ἐκεῖ.* Nempe migrantes in Arabiae aliquam partem Orientalem, neſcio quam, ſedemque ſibi quaerentes, occiderint incolas, ortu ut antea dictum erat, Aegyptios, et Minaeos (Abrahamo ortos), qui inter eos habitabant. Poſſit tamen et adpellative verti, *percuſſerunt tuguria eorum, et habitationes* firmas, urbes, et caſtella, quae inveniebantur ibi: idque in verſione germanica ſequutus ſum. At Cthib המעינים vix aliter verti poteſt, quam, percuſſerunt, i. e. adgeſtu arenae abdiderunt, ſcaturigines, ſicque et Syrus ex eoque Arabs vertit. Haud quidem veriſimilis lectio, novas enim qui ſibi quaerebant ſedes, ſcaturigines vix eos putem obturaſſe aut corrupiſſe.

2 Paral. XX, 1. ומהעמונים quod in codicibus Hebraicis nulla varietate legitur, ſine dubio vitioſum, quis enim dixerit: *venerunt filii Moab, et filii Ammon, et cum illis de Ammonitis aliqui?* Hic ergo praetulerim, licet in nullo hucusque codice inventum; quod LXX legerunt ומהמעונים, verteruntque, *καὶ μετ' αὐτῶν ἐκ τῶν* Μιναίων, *cumque illis aliqui Minaeorum.* Davides jam Kimchius ſcite conjecerat, עמונים diverſam hic eſſe ab Ammonitis gentem, eandem, quae alias מעונים dicatur.

2 Paral. XXVI, 7. poſt Arabes, habitantes in Gurbaal, memorantur המעונים, ubi quis non de Minaeis iterum cogitet? Praeiverunt et LXX. *ἐπὶ τοὺς Ἄραβας τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς Πέτρας, καὶ ἐπὶ τοὺς Μιναίους.* Eſt tamen aliqua hic lectionis varietas, quatuor Kennicotti codicibus עמונים habentibus: ſicque et, quae nuſpiam Minaeos admiſit, Vulgata.

Job. II, 11. XI, 1. XX, 1. XLII, 9. Graeca verſio pro הנעמתי habet, jam, *ὁ Μιναίων βασιλεὺς*, jam *ὁ Μιναῖος*, legente interprete, aut legendum cenſente, הַמְּעֹנִי: quod tamen cum nullus omnino codex Hebraicus habeat, nec alia verſio ex LXX non facta, non ea eſt in libro Jobi Graecae verſionis auctoritas, ut aut lectionem mutare, aut interpretationem ejus meam facere auſim.

1438.

1438. מף Hof. IX, 6. נף Jef. XIX, 13. Jerem. II, 16. XLIV, 1. XLVI, 14. Ezech. XXX, 13. 16. *Memphis.*

Magno confenfu veteres nomen, five נף, five, ut in Hofea nulla varietate lectionis מף fcribitur, *Memphin* interpretantur, metropolim olim Aegypti. Ex his maximam adferunt auctoritatem, in Aegypto ipfa viventes LXX, ubique Μέμφιν habentes, nifi quod Ezech. XXX, 16 ונף צרי יומם, alia ut videtur legentes, interpretati funt, καὶ διαχυθήσεται ὕδατα, *et diffundentur aquae.* Hebraice haec forent ונפצו מים. Contra iidem in verfu praecedente, pro המון נא legentes המון נף, τὸ πλῆθος Μέμφεως reddiderunt. Ergo, quin Memphis fit, vix dubitandum. Chaldaeus interpres nomen מפיס fcribere folet, Syrus ܡܦܣ, feu in Hexaplis, ubi Graeca interpretatur, ܡܡܦܝܣ, Arabs jam مَنْفِيس, jam, ut nunc Arabibus vocatur منف.

Nec turbabit dubiumve reddet lectorem fcriptio nominis varia, plerumque per N, femel in Hofea per Mem: utraque enim litera ineft in Aegyptio nomine ut Arabice fcribitur, nomenque barbarum apud Hebraeos jam hac jam illa litera truncatum: ipfum graecum Μέμφις, eft pro, Μένφις. Arabum quidem geographi, ut Abulfeda num. 60. Aegypti, nomen urbis مَنْف fcribunt, ficque et aliquoties Arabica bibliorum verfio, ut, Ezech. XXX, 13. 15. *Menuf* Habeffinos fcribere auctor eft Ludolfus in lexico Aethiop. p. 85. Idem nomen et Coptis ufitatum tradit Simonis p. 599. onomaftici, nefcio, cujus fide: in la Crozii lexico Coptico p. 74. ex Kircheri Oedipo excerptum reperio, πανουφʿης (fpiritum afperum pro Hori Coptico pono, quod eam literam Graeci non habent) *Memphis fuperior*, Ar. منوف العليا, et, πανουφʿητ, *Memphis inferior*, منوف السفلي.

Nominis origo fine dubio Aegyptia, nec dum haec fcribo fatis perpurgata: operam ergo ludunt, nec excerptu digni funt, qui ex Hebraica lingua explicant. *Menes*, qui primus apud Aegyptios regnavit, eam condidiffe fertur ab Herodoto l. I. c. 99. ab hoc aliqui dictam volunt: audax conjectura, donec expediant, unde primaria litera Ph acceflerit, fed a quibusdam ut ex Herodoto excerpta traditur. Plutarchus de Ifide §. 21. pag. 51. (editionis *Squirii*) auctor eft, nomen urbis aliquos interpretari, ὅρμον ἀγαθῶν, *portum bonorum*, nempe, quod ibi optimorum fepulcra

pulcra sint: his fidem non denegaverim, licet ex linguae Copticae, quas nunc habemus, reliquiis confirmatum aut illustratum non videam, quod enim in dissertatione IV. de terra Gosen p. 41. attulit Jablonskius, Copticum *MEH plenus*, et *Nuph*, *bonum*, non satisfacit, estque etymologiis magni viri reliquis simile. *Portum* quaerebamus, *plenitudinem* offert. *Menuf* quidem, licet eo lexica careant, Coptis adhuc usitatum esse disco ex *Vanslebio* (*relation d'Egypte* p. 360.): *Manfalutam* urbem (منفلوط) a Coptis explicari, *exilium Loti*, tradit: suspicer equidem, esse potius, *refugium* seu *portum Loti*. Insuper vix mihi eximo suspicionem, Plutarchum, ὅρμον ἀγαθὸν, *portus bonus*, scripsisse.

Sita fuit Memphis ad ipsum Nilum, non ergo cum Cahira confundenda, ut nostro tempore multi fecerunt, urbe perquam recente, ad canalem ex Nilo ductum aedificata. Sola, sed sine commentario, adscribo Abulfedae verba num. 60. descriptionis Aegypti: *Menf (Memphis) fuit prisca metropolis Aegypti, ab Occidente Nili, quam Amru filius As cum eam expugnasset, vastavit, ejusque loco in ripa opposita Orientali Fostatam jussu Omari filii Chattab condidit. Sed magna Memphis supersunt antiquitatis rudera, nunc neglecta et pereuntia, ex lapidibus sculptura variegatis, ad nostrum usque tempus colores, viridem, aliosque, servantia, tot seculorum decursu nec sole nec aliis cursibus alterata. Memphis a Misr* (hodierna, i. e. Cahira,) *parvo diei itinere abest.* Adcuratiorem de situ urbis deletae dissertationem haec lexicorum supplementa non capiunt: multae lites, nec ipse certi quid habeo. Legat, si cui quaestio cordi et curiosius inquirere vacat, d'Anvillii descriptionem Aegypti, p. 128. seqq. Niebuhrii itinerarium T. I. p. 101–105. et, qui ambobus usus est, dissentiens tamen alicubi et ex Herodoto adcuratius lecto emendans, Jo. Friderici Hennike geographiam Africae Herodoteam pag. 74–78.

מפיבעל et מפיבשת quaere sub פי.

1439. מצא *invenit*.

Cum aliquoties מצא cum ל construi videam, quod *inveniendi* verbo vix satis aptum, suspicor, primam vim ejus esse eandem cum Syriaco ܡܛܐ, *pertingere*; unde *invenire* deinde dictum, quod proprie est, *venire in rem quaesitam*. Sic Jes. X, 10. כאשר מצאה ידי לממלכות *ut pertigit manus mea ad regna idolorum*. Eodem modo et construitur Levit. IX, 11. וימציאו אליו את הדם *pervenire ad illum fecerunt*, i. e. attulerunt ei *sanguinem*. Sic et Aethiopibus מצא, *venit*, in quarta, *adduxit*, attu-

attulit, cognatae linguae usu ea, quae primum ut conjecturam posueram, firmante.

Haec si significatio ut prima sumi possit, egregie ex ea lucebit Jerem. X, 18. והצרתי למען ימצאו, *constringam illos*, *ut ad metam perveniant*. Nempe convolvimus in orbem et constringimus, quae longius vibrare volumus: sic ergo et constringet et conglomerabit Deus incolas terrae, ut Babylonem usque vibrentur. Proverbiorum etiam VIII, 12. ודעת מזמות אמצא vertendum esse suspicatus sum, *cognitionem astutissimam attingo*, i. e. ei vicina sum, idem quod in praecedente membro, שכנתי, *vicina sum*.

De specialiore usu verbi adnoto, 1) *de inventione nobilium metallorum* in capite Jobi XXVIII, 1. (coll. v. 12.) poni, et מוצא non מוצא *exitus*, sed מֹצֵא *inventor*, efferendum videri. Nobis quoque in Germania proprio vocabulo, inque jure metallico, *der Finder*, dicitur, qui venam divitis metalli primum reperit. Ad eandemne inventionem metallorum alluditur Proverb. III, 13? certe v. 14. auro et argento comparatur et praefertur sapientia, plane ut in Jobi vicesimo octavo capite. 2) *deprehendere in scelere et delicto* est 1 Reg. XXI, 20. quod verisimiliter transferri possit ad Ps. XXXII, 6. לעת מצא *tempore*, *quo rei deprehenduntur*, arguuntur a conscientia male factorum.

1440. מְצָדוֹת , מְצָדָה , מְצוּדָה , מָצָד , *vertex montis*, *castellum montanum*.

Non ad radicem צוד, ut faciunt plerique, referendum videtur, sed ad מצד, idemque esse Arabico مَصَاد plur. مُصْدَان, *vertex montis*. Hac propria significatione ponitur, Job. XXXIX, 28. ubi aquila pernoctare dicitur, על שן סלע ומצודה, certe non in castello, sed in summo montis fastigio: sic et acceperim nomen, ubi frequens in historia fugae Davidis occurrit, nec enim castella habebat, in quae se reciperet, sed inaccessa montium. Vide et Jes. XXXIII, 16. *is excelsa habitabit*, מצדות סלעים משגבו, *inaccessa montium fastigia sunt locus ejus tutus*. Verum et potest *castellum in monte* significare, sicque accipiendum, ubi de Sione ponitur 2 Sam. V, 7. Hinc nomen accepit castellum celeberrimum, *Masada*, belli Judaici contra Romanos initium et finis, eximie descriptum a Josepho de bello Jud. l. VII, 8, 3. quam descriptionem totam legi velim.

Jerem.

Jerem. XLVIII, 41. מְצָדוֹת, seu ut efferre malim, מְצָדוֹת nomen proprium esse videtur, sicque intellexit, literasque Hebraicas retinuit, Syrus, ܡܨܕܘܬ: praecesserat certe in eodem versu aliud nomen proprium, הקריות, et sequitur verbum singularis numeri, *capta est Kerijoth*, והמצדות נתפשה *et captum castellum*, antonomastice sic dictum, *Masaduth*. Forte Jeremiae מצדות ipsa est Josephi Masada, haud procul a lacu Asphaltite ab Oriente sita, illa ipsa in regione, quam Jeremiae tempore Moabitae habitarunt.

1441. מצה, *pressit*, *expressit*.

Eadem significatione et Arabes sub مصى habent, Syri sub ܡܨܐ. Job. X, 10. *ut caseum*, Syrus, ܡܨܝܬܢܝ, Ar. مَصَيْتَنِي, *pressisti me*.

1442. מצץ *sorbere*, *bibere*, *sugere*. Jes. LXVI, 11.

Arabes مصّ explicant, *tenui sorbitione bibit*, *suxit*, *in quinta*, تَمَصَّصَ *lente paulatimque suxit*, *aut sugendo bibit*, *masticavit dulcia*, *gustu delectatus*: ponitur etiam de exsugendo, ita ut nihil relinquas, unde مَصُوص *avida viri in congressu mulier*, q. d. exsugens semen, et, *sperma de glande absumens natura*. Exempla significationes probantia, quibus Golii lexicon caret, dedit in suo Castellus. Syris quoque ܡܨܘܨܐ *suctio lenis*. Ergo de verbi, quod nostra lexica ut ἅπαξ λεγόμενον ex Jes. LXVI, 11. citant, significatione plane non dubitandum. Nec tamen Jesaiae est, ut fere putant, *lac ex uberibus sugere*, sed, delicata ac palato grata sensim forbere aut masticare: habe ipsa verba, intelligesque, non de lacte, ut praecedente membro, sed de deliciis sermonem esse, unde et cum התענג componitur, למען תמצו והתענגתם מזיז כבודה, *ut delicienini superba ejus gloria*.

Praeter hunc locum ex alia punctorum lectione invenitur in Cassellano codice, forte et aliis, Ps. LXXIII, 10. ומי מלא יִמָּצוּ להם eximia sententia: hic quidem plane ebibendi et exsugendi notione acciperem, *et aqua pleni fontis tota ebibitur illis*

1443. מַצָּה *azymus*,

quod reliquae linguae Orientales, Chaldaica excepta, non habent, ad aliam significationem praecedentis radicis referendum. مُصَاص est, *since-*

sincerus, *purus*, pura et exquisita a sorbitione et masticatione nomen habent; Hebraei autem sinceri nomen ad azyma transtulerunt.

1444. מֵץ Jes. XVI, 4. *dolor*, *aegritudo*.

Ἅπαξ λεγόμενον, in lexicorum non paucis omissum, sed quod recentiorum plerique ad Arabicum مصّ *suxit*, relatum, *exsuctionem* vertunt: satis verisimiliter, licet exemplum Arabici verbi, in malam partem pro *exsugere* positi, nondum adlatum sit. Veteres valde discordes: συμμαχίαν LXX habent, nescio unde; *oppressionem*, liberiore versione ex filo orationis sumta, Chaldaeus: מַץ efferentes, Syrus et Vulgata, *pulverem*, quod quidem in commentario interpretatur Hieronymus, *quia vastator sicut pulvis transibit*.

Equidem Arabicum مصّ conferre malim, cujus vis in *urendo* et *dolendo* est, quodque et de vulnere poni, et de aegritudine animi solet: ut quidem et ex Golio disces, et paulo plenius ex Castello. Verterim ergo: *desiit dolor*, vel, *tristitia*.

1445. מצר, מָצוֹר, Thren. I, 3. Ps. XXXI, 22. LX, 11. 2 Paral. VIII, 5. XI, 5. 10. 11. XII, 4. XIV, 5. Nahum. III, 14. Habac. II, 1.

Verbum מצר Hebraicus codex non habet, sed modo derivata ab hac radice nomina, quae passim a lexicographis, מ pro Heemantico habito, ad צור referri solent.

Arabibus quidem مِصْر *terminus* est et *limes*, ut Golius addit, *id quod res duas ab invicem distinguit*, videturque prima vis radicis in *extremo* esse, unde et verbum مَصَرَ *extremis digitis mulsit*.

Hanc notionem aliqui ad הַמְּצָרִים Thren. I, 3. transtulerunt, ut Chaldaeus, sed aliam quoque adjungens interpretationem, בין תחומיא, *inter fines*. Posset sane locum ibi tueri, modo recte explicetur, *in suis illam finibus adsequuti sunt*, sed perquam absurde non improbabilem versionem explicat Raschi, מצרים גבולים של שדה וכרם, *sunt termini agri et vineae, inter decimum septimum Thebet, ad nonum Ob.* Nempe eo refert, quod obsidio Hierosolymae mense decimo, quo agri conseruntur coepta, templumque mense quinto, in quem vindemia incidit, combustum. Equidem in Threnis malim ad צור referens, *angustias viarum* in-

intelligere, ubi effugere quos hoſtis perſequitur, nequeunt. Sic ibi Vulgata, atque, ſuam ſententiam dicens, non Chaldaeum explicans, Raſchi. Enotandum tamen locum cenſui, cum quod ex eo adparet, Arabicam vocabuli ſignificationem Judaeis quoque olim ex traditione notam fuiſſe, tum quod eſt illi loco ſatis apta.

עיר מצור Pſ. XXXI, 22. LX, 11. 2 Paral. VIII, 5. XI, 5. 10. 11. XII, 4. *urbem munitam* ſignificare, notum: referunt plerumque ad radicem צוּר, voluntque ſive ab *obſidendo* dictas, ſive a *ligando* i. e. firmando. Arabes quidem ſub ipſa radice مصر urbes majores et munitas habent: in Golii lex. reperies, مِصْر *urbs magna*, ejusque duale المصران *Cufa et Basra*, ac verbum quoque مَصَّر hac conſtructione مصّر الامصار *condidit*, i. e. munivit *urbes*. Abulfeda num. 280. (codicis Pariſienſis Regii) de Babylone: *rudera urbis fidem faciunt, quod ibi olim fuerit* مصر عظيم *urbs munita, vel primaria, ingens.* At vero unde ita dictae? num a limite, tanquam, *urbes limitaneae*, quod in limite regnorum plerumque majora et limitanea exſtruuntur munimenta? an ſolita Arabibus literarum ב et מ permutatione a בצר *munivit?*

Forte ex hac munimenti et muniendi (مصّر) notione lucis aliquid loco difficili Nahum. III, 14. מי מצור שאבי לך. ita ut מצור ipſum ibi *urbem muniendi* actum ſignificet: *aquam munitionis (ad muniendum) hauri tibi*, i. e. aquam ad lateres faciendos, quibus muniaris, Ninives enim urbis, de qua ſermo, ut plerarumque ad Tigrim, muri non ex ſaxo fuerunt, ſed lateritii. Firmat novam explicationem, cujus mihi demum poſt evulgatam verſionem germanicam in mentem venit, unde nec in ea uſus ſum, quod ſequitur, חזקי מבצריך באי בטיט, *fortiora fac munimenta tua, ingredere in lutum.* Eo magis probatur nova interpretatio, quod reliquae diſplicent. Plerique Vulgatam ſequuti, מָצוֹר obſidionis hic ſignificatione accipiunt, *aquam propter obſidionem hauri tibi:* id vero ſitui urbis ad ipſum Tigrim parum aptum, cui obſeſſae nunquam deeſſe aqua poterat, atque adeo, cum obſideretur, Tigris exundans, murorumque partem perrumpens, exitio fuit.

Eſt et de loco difficiliore dicendum Habac. II, 1. *in cuſtodiae loco mihi adſignato conſiſto* (ſpeculator, et eminus venientia obſervans) ואתיצבה על מצור, *et conſiſto ſuper MASOR. Super petram* vertunt LXX et Syrus,

rus, egregie quidem ad filum orationis, de speculatore enim sermo, ex alta specula omnia late prospiciente: at צוּר petra est, non מָצוֹר. Suspicari possis, eos legisse מָצוֹר, quod quidem, hucusque in codice Hebraico nullo repertum, habet tamen in versione Chaldaeus, על מצורתי. Haec quidem lectio, si vel in paucis reperiretur codicibus, praeferenda mihi videretur, omnique me disputationis reliquae molestia liberaret: egregie dictum a speculatore, *in summo montis fastigio consisto* (vide n. 1440.)

Vulgata habet, *super munitionem*, quod quidem mihi, *speculam* potius *altam* exspectanti non placet. Adscribit in commentario Hieronymus: *pro munitione, et petra, in cujus locum Symmachus interpretatus est,* INCLUSUM, *in Hebraico ponitur, MASOR, quod Theodotio* GYRUM, *Aquila et quinta editio*, CIRCUM, *transtulerunt*. Nihil in his, quod magis Hieronymiano *munimento* probaveris: atque adeo dubitaveris, quomodo מָצוֹר *gyrus* vel *circus* esse possit.

Mihi quidem, aut מָצוֹר legendum videtur, velimque, cum LXX et Syrus praeierint, codices etiam adcuratius, quam Kennicotti argento saepe ab incuriosis factum, inspici: aut vocalibus mutatis מִצּוֹר efferendum, a נָצַר *observavit*. מִצּוֹר *specula alta* erit, Arabibus مَنْظَرَة.

1446. מָצוֹר, מִצְרַיִם *Aegyptus*.

Notissimum Aegypti et Aegyptiorum nomen, quo et Arabes utuntur et Aramaei, illi singulariter مِصْر, hi pluraliter ܡܨܪܝܢ. Singulariter מָצוֹר *Aegypti* nomen esse 2 Reg. XIX, 24. Jes. XIX, 6. XXXVII, 25. vix dubito, miror tamen, veterum neminem praeivisse, nec quam exspectaveram lectionem sine Vau, מָצַר, Arabico مِصْر consentaneam, in Kennicottiana collectione inveni. Non pauci et Mich. VII, 12. מצור *Aegyptum* intellexerunt, quos dubitans in versione Germanica sequutus sum: dubitans, inquam, quod, si de Aegypto sermo, simpliciter dicendum fuisse videretur, *ab Assyria ad Aegyptum*, non, *ab Assyria ad urbes Aegypti*. Nahum. III, 14. מי מצור interpretari possis, *aquas Aegypti*, i. e. *aquas tam copiosas, ut illae sunt, quibus Aegyptus inundatur*, idque in versione Germanica sequutus sum: sed jam displicet, quidque nunc de loco sentiam pag. 1541. dixi.

Situs

Sitne nomen Aegypto ab ipsis incolis et indigenis datum, an a vicinis Asiae gentibus, Phoenicibus, Aramaeis, Arabibus, incertum. Josephus quidem, Ant. I, 6, 2. auctor est, suo adhuc tempore Aegyptum indigenis Μέστρην vocari (*), cum tamen nuspiam apud Graecos, tot Aegypti habentes nomina, hujus nominis vel vestigium repererim, dubito, vereorque, ne nomen Aegypti, quo in Aegypto habitantes Judaei Arabesque eam vocare consveverant, audierit, et pro Aegyptio habuerit. Certe ne Copti quidem patriam suam Mesr vocant, sed Χημι vel Κημε, nec Habessini ejus nomen sub literis מצר retinuerunt. Vide Ludolphi lex. Habessin. p. 533.

Nomen si Asiaticum est, referendum ad مصر *terminus, limes* videtur, quod duarum magnarum orbis partium, Asiae et Africae, limitanea est Aegyptus. Contra Aegyptium si est, Aegyptia illi quaerenda etymologia, quod fecit Forsterus in literis ad me datis p. 8. Coptice *Messchi-Ri*, agrum solis interpretans, quod statuant Aegyptii, Vulcanum primo in Aegypto regnasse, deinde solem. Prius verisimilius.

Dualiter Aegyptus cur Hebraeis מצרים dicatur, incertum: duplexne illis Aegyptus inferior et superior? an cis et trans Nilum, quarum alteram Libycam, Arabicam alteram geographi Graeci vocare solent?

1447. מַקֵּל *baculus.*

Referunt plerumque ad radicem קלל, voluntque inde baculum dici, quod corpus *levius faciat* pedibus, partem ponderis portans. Simonis ab Arabico نقل *portavit, transtulit de loco in locum*, derivat. Ausimne et ego symbolam adjicere, et نقلة *cuspis* conferre? In cuspidem desinunt baculi.

Hos. IV, 12. מקל *hasta* esse videtur, ut Arabibus saepe idem nomen hastam baculumque complectitur. Frequens Arabibus sagittarum sorte divinare: jam ergo propheta, *populus meus lignum suum interrogat,* ומקלו יגיד לו *et hasta ejus indicat ipsi.*

(*) ἐτηρήθη καὶ Μεστραίοις ἡ κατὰ τὴν προσηγορίαν μνήμη· τὴν γὰρ Αἴγυπτον Μέστρην, καὶ Μεστραίους τοὺς Αἰγυπτίους ἅπαντας, οἱ ταύτην οἰκοῦντες καλοῦσι.

1448. מקק *tabescere.*

Arabibus مق est, *findere*, quod et ad lactentes transferunt, quasi *findentes ubera, atque emanans ex illis lac sugentes.* A fissura tabes Hebraeis videtur dicta, ex fissura stillans, deinde vero verbum et latius ad omnem tabem transfertur. Proprie videtur verbum poni Ps. XXXVIII, 6. *foetent,* וְנָמַקּוּ חַבּוּרוֹתָי *et finduntur vibices meae*, foeda ex illis tabe effluente, Hieronymo interprete, *tabuerunt.* Syrus ܐܬܡܣܝ reddidit, *liquescere, manare*, ut in lexico Syriaco monitum.

1449. מרא, *bene profuit cibus, calcaribus vel scutica ad currendum impulit, scutica percussit.* Job. XXXIX, 18. (al. 21.) Levit. XIII, 51.

Duplex verbum, origine nisi fallor diversum, sub has literas coiit:

1) proprie tertiae rad. Aleph, idem est quod Arabum مرأ, *bene profecit, facilis digestu fuit cibus, bene concoxit cibum.* Hac significatione verbum Hebraice non occurrit, sed hinc nomen מְרִיא *saginatus*, quod lexica omnia habent. Sunt autem מריאים quae in stabulo saginantur, opposita illis, quae pastum emittuntur. Ex pascuis in gramine minus pinguedinis. Norunt oeconomi, quos, si ignores, consule. (*Stallfutterung* Germani vocamus.)

2) Nihil haec significatio ad Job. XXXIX, 18. ubi de struthione dicitur כעת במרום תמריא. Ex contextu hic conjecerunt veteres, plerique in *elevare* concinentes, LXX. ὑψώσει, Vulg. *erigit alas*, Syr. *erigitur ut palma*, satis verisimiliter, nisi quod haec significatio reliquis linguis Orientalibus plane ignota: *volare* vertunt, Symmachus et Chaldaeus, (πετομένη, פָּרְסָא) non aeque verisimiliter, cum struthio alas quidem expandat, sed nunquam volet, volare ne quidem possit ob molem corporis. Primus in commentario ad hunc locum Schultensius felicissime ut videtur contulit Arabicum مرى (exigua verborum מרא et מרה permutatione) idque docuit Arabibus esse, *equum scutica vel alia re* (calcaribus) *impellere ad currendum quantum potest.* Vix augurabatur, quam hoc esset struthioni aptum: Shawio teste, unguiculum aliquem sub alis habet, quo ipse se acrius currens vulnerat, atque adeo sanguinem elicit: vide ejus itinerarium p. 451. editionis Londinensis 1757 factae, aut p. 387. versionis germanicae. Hoc sequutus, germanice verti: *calcaria sibi in altum erectus addit.*

Pro

Pro צרעת ממארת *lepra recrudescens* Levit. XIII, 51. codices Samaritani ממראת habent, optima et expeditissima sententia, si מרא est, *scutica percutere:* leprae nomen si exprimere velis, vertes, *lepra percutiens*, vel, *flagellans*, aptior autem etiam phrasis, si צרעת, ut infra videbimus, proprie est, *scuticae ictus*, sic צרעת ממראת *scutica* erit *percutiens*, id est, lepra qua tanquam scutica percutitur ea laborans.

1450. מורג, Jes. XLI, 15. 2 Sam. XXIV, 22. 1 Paral. XXI, 23.

Tribuli genus esse, i. e. sive plaustri sive traheae, quibus frumentum teritur, satis constat: quomodo ab aliis tribulis distinguendum, atque unde dictum, id dubium. In ipsa scriptione aliqua diversitas. In Jesaia singulariter legitur, מורג חרוץ, plene, nisi quod unus codex defective habet, מרג, nec bene lexicographi in vocabulo, de cujus etymologia anquiritur, negligentiores מרג sine Vau scripserunt. In Samuelis libro textus מֹרִגִּים habet, sed quinque codices מוריגים, et singuli, מורגים, מרוגים, מריגים; in Palipomenis textus מוריגים, codices undecim מרגים, octo מריגים, triginta et unus, מורגים. Incerta et derivatio. Possis referre ad Arabicum, مرج *movit, agitavit:* sed mihi, lecto Niebuhrii itinerario prope verisimile, literarum M et N permutatione in dialectis Orientalium satis frequente, esse *traheae trituratoriae*, ab aliis tribulis diversae nomen, quam نورج Arabes vocant. Descripsit eam T. I. p. 151. figuramque aere expressit Tab. XVII, 5. Nomen habere videtur a Syriaco ܢܘܪܓܐ, Avenario teste chalybem significante.

1451. מָרַד.

Rebellandi significatio notissima, qui tamen ex veteribus Nimrodi, forte non nomen nato a parentibus, sed cognomen ab historicis ex rebus gestis viro inditum, interpretari ausi sunt, alias quoque commemorant, non ignorandas. Vide eorum ipsa dicta excerpta in spicilegio geogr. Hebr. exterae T. I. p. 211-213. Ergo

1) Philo de gigantibus (T. I. Mangeyanae editionis p. 272) נמרד αὐτομόλησιν interpretatus, audierat מרד esse, *aufugere*, *fugere*. Nec neganda haec notio Hebraico vocabulo videtur. Ubi nos 1 Macc. IV, 2. Grae-

Graece et Syriace castelli nomen legimus, (Ἄκρων et ܡܪܕܐ) Josephus in Hebraico libri exemplo, מרדדי habuit, idque πεφευγότας Ἰουδαίους, *profugos Judaeos*, male quidem, sed tamen interpretatus est. Vide notas ad librum Maccabaeorum. Eodem in libro c. VII, 19. 24. ubi Graece αὐτομολήσαντας legimus, Syrus habet ܐܬܡܪܕܘ, unde sequitur, sive, ut Syris ܡܪܕ et sit, *aufugere*, sive, ut Hebraicum מרד LXX ibi αὐτομολεῖν, ex usu communi linguae ipsis noto interpretati sint. Forte haec prima verbi notio, atque a *profugo*, et *transfuga*, *rebellis* dictus: forte ipsa fuga a *glabritie* et *elabendo*, Arabibus enim مَرِدَ *glaber fuit*, مَرَّدَ *laevigavit*, *deglabravit*, *frondibus nudavit ramum* &c. — Forte et ipsum verbum in codice Hebraico de fuga occurrit, Jobi enim XXIV, 13. המה היו בְּמֹרְדֵי אור׃, certe, *lucem fugientes*, aptius filo orationis, et expeditior phrasis, quam, *rebelles lucis*. Ἀποστάτας φωτὸς, *desertores lucis*, medius inter utramque explicationem ac notionem Symmachus vertit.

2) مَرِيد Arabibus *contumacem*, ac *superbum*, ܡܪܝܕܐ Syris, *crudelem* significat. Hinc factum, ut Hieronymus (T. II. p. 104.) Nemrod tyrannum interpretaretur. Nimrodus quidem suum nomen tyrannis tanquam hereditarium reliquit et proprium, qui, teste Herbeloto Bibl. Or. p. 669. نَمَارِد *Nimrodi* vocantur.

Mirari tam dissitas notiones sub iisdem literis possis. Timidiuscule ad etymologica accedo, in quibus alii cupide luserunt: suspicor tamen, *fricuit*, quod مرد significat, primam notionem verbi esse. A fricando durities et crudelitas dici potuit, a fricando et deglabratio.

Ad hanc *fricandi*, et *comminuendi* notionem et retulerim,

1452. מְרוּדִים Jes. LVIII, 7.

verterimque, proprie, *comminutos*, id vero est, *vexatos*, et ab omnibus oppressos. Nec tamen dissimulandum, veteres omnes ad aliam radicem, רוד *vagari*, retulisse filo orationis perquam apte, עניים מרודים enim *domi benevole excipiuntur*. Sic habent LXX πτωχοὺς ἀστέγους (pauperes *sine tecto*) Vulg. *egenos vagosque*, Syr. ܐܟܣܢܝܐ *hospites*, Chald. מטלטלין

מטלטלין: Nempe Arabibus ترف est inter alia, *vagari, huc illuc discurrere.* Grammaticae tamen aptius, ad radicem מָרַד referre, si enim est a רוד, quid sibi vult מ praeformativum?

Ad eandem confricandi et comminuendi notionem et substantivum מרודים Thren. I, 7. III, 19. retulerim, contritionesque ac miserias verterim. Alii ad מרד *rebellare*, ut Vulg. loco posteriore, *transgressionis meae*, quod quidem c. I, 7. locum commode tueri possit, non III, 19. Mallem quidem utrobique מרורים *amaritudines*, sed nullus codex ita.

1453. מְרָדָה castellum *invictum.*

Arabicum مرد, *rebellis, contumax fuit*, de invicto castello Arabibus poni solet, (vide pag. 420. 421.) hincque et Syris ܡܪܕܐ *castellum.* Vide lex. Syr. p. 523. Hebraice diceres מְרָדָה, videturque vocabulum aliquoties in Hebraico exemplo libri primi Maccabaeorum lectum fuisse, sed illud non habemus, ideoque nec meorum ad lexica supplementorum pars est. At ex varia lectione in ipso occurrit codice Hebraico, Michae enim I, 12. pro מָרוֹת Syrus habet ܘܡܪܕܬܐ. Legitne יושבת מרדת, *habitans munimenta?* Non pro certo dico, sed colligens supplementa, ne quid omittam, ex suspicione pono: contingere enim et potuerit, ut מרות, ad מרה relatum, in qua radice multum ambigitur, et discrepant veteres, ad rebellionem retulerit.

1454. מְרָתַיִם Jerem. L, 21.

His punctis instructum nomen ad radicem מָרָה *inobediens fuit, rebellavit*, referendum. Sic Aquila, *γῆν παραπικραινόντων*, Syrus ܐܪܥܐ ܡܡܪܡܪܢܝܬܐ, radices מרר *amarus fuit*, et מרה pro cognatis habentes: demtoque hoc errore Chaldaeus ארעא דעמא סרבין, *terram cujus incolae rebelles sunt.* Dualem, *duplicem rebellionem et iteratam* significantem, historice exponere adgressi sunt recentiores, ex quibus vide Venemam. Bis volunt Babylonem contra Persas rebellasse, 1) sub Dario Histaspis filio, ut ex Herodoto libr. III. c. 150. certum, 2) sub Xerxe, quod ex Plutarcho, p. 173. (*) apophthegmatum satis verisimiliter colligunt. Ὀργισθεὶς, inquit, Βαβυλωνίοις, ἀποστᾶσι, καὶ κρατήσας, προσέταξεν, ὅπλα

(*) Londinensis apophthegmatum edit. 1741. factae p. 4.

ὅπλα μὴ φέρειν, ἀλλὰ ψάλλειν, καὶ αἰνεῖν, καὶ πορνοβόσκειν, καὶ καπηλευέιν. Haec mihi interpretatio ſatis probatur.

Minus placet, quod habent, LXX πικρῶς, *amare*, ſeu ut in Hexaplis Syriacis redditur ܡܪܝܪܐܝܬ, et Vulgata *ſuper terram dominantium:* ad מרר *amarus fuit*, illi, ad מָרֵא, ܡܪܐ *dominus* Vulgata retulit.

Venerat aliquando in mentem מָרְתַיִם efferendum, idemque eſſe cum Arabum مَرَّتَيْن, BIS, hac verſione, *contra hanc terram, bis aſcende contra illam*, ut de Cyri et Darii expeditione contra Babylonem ſermo ſit. Sed obſtat, quod, ſi duos alloqueretur victores, Cyrum et Darium, pluraliter עלו dicendum fuiſſet.

Poſſis et referre ad مَرْتٌ *ſolitudo omnis herbae expers*, ut ſit, *terra duplicis ſolitudinis*.

1555. מוֹרָה *novacula*, Judic. XIII, 5. XVI, 17. 1 Sam. I, 11. (Pſ. IX, 21.)

Rarius vocabulum, ex ſolis hucusque Judicum Samuelisque libris citatum, reliquis linguis Orientalibus ignotum, genere anomalum, eſt enim ubique maſculinum, ac cujus ne etymon quidem ſatis hucusque clarum. Suſpicari pene incipio, peregrinum eſſe. Nec ſcriptio ſatis certa, duo enim codices Kennicottiani Jud. 13. et tres 1 Sam. 1. מורא per Aleph habent, quo modo ſi ſcribitur, locum ei inter maſculina non dubitans adſignabit grammatica. Etymologiae rationem reddituri remittunt nos ad مرى *ſtrinxit*, idque volunt tonſorum eſſe: ſed inſpice ipſa Arabum lexica, invenies, مرى *mulſit*, *vel ubera ſtrinxit camelum mulgendi ergo*, nihil de tonſore. Excogitavit, niſi fallor, primus Schultenſius, idque gratis ſumtum etymon in ejus diſcipulorumque ſcripta, verſionesque tranſiit, lectoribus nonnunquam moleſtum: cui enim placere poteſt מרה *inobediens fuit*, redditum, *obſtrigillavit*, aut מְרִי *inobedientia*, *obſtrigillatio*. Sed hoc utcunque ſit, nullo aut teſte probavit aut exemplo Schultenſius, مرى *ſtringere* de eo poni, quod de tonſore loquentes Belgae ſtringere dicunt.

Locis, ex quibus alias citari ſolebat addidi quartum Pſ. IX, 21. ubi iterum tres codices מורא habent. Hoc jam non indicio, *timorem* a rad.

ירא

ירא vertendum esse, vidimus enim supra, ubi מורה sine dubio novacula, in aliis codicibus per א scribi. Verto: *adplica illis novaculam*, rade illos, ac confero Jes. VII, 20. Vide notas ad germanicam bibliorum versionem.

1456. (רזח,) inde מַרְזֵחַ Amos VI, 7. et מַרְזֵחַ Jerem. XVI, 5.

Eadem literis vox, sed solo eorum, qui puncta adjecerunt arbitrio et lubitu diversa: eandem et plerique in Amoso et Jeremia lectae dant interpretationem, filo certe orationis favente. Sed cum utrumque vocabulum dubium sit, paulo res altius repetendae, interpretes antiqui, (recentiores enim in centurias non refero,) audiendi, et linguae cognatae consulendae. *Luctum* inter et *convivium*, fere ambigunt recentiores: Thalmudici nihil adferunt auctoritatis, ipsa sua etymologia, a, מר, *amarus*, et זח, *cujus mens recessit*, *amens*, de qua vide Buxtorfii lexicon p. 2234. suae testes ignorantiae.

Ergo de Orientalibus primo linguis dicamus. His רזח varia, atque prima fronte perquam diversa notat.

Syris ܪܙܚ teste Barbahlul est, نسف. Verum hoc ipsum, quid? quo sensu sumtum a lexicographo? multa enim significat, *comminuere*, *evellere*, *dispergere*, *ventilare*, *mordere*. De Syriaco ergo verbo, donec aliquid praeter Barbahluli lexicon lucis, nihil nos scire sciamus. Chaldaei ne habent quidem verbum.

Arabibus significat,

1) ut ex Golio p. 979. disces, *defatigatus fuit, concidit periitque macie*, unde رازح *macie collabescens*. Hoc nihil ad nos, nisi forte a concidendo cadaver dictum putes, et Jerem. 16. *domum cadaveris*, *i. e. funeris* (Leichenhaus) vertas: sed nolim id tentari, alteri loco plane ineptum. Placuit tamen quodammodo dubitanti Coccejo: *adfinitatem*, inquit, *aliquam habet cum* אָבֵל, *lugente*.

2) مَرْزَحٌ *terra plana*, et مِرْزَحٌ *pedamentum vitis*, nihil ad nos.

3) Josepho Kimchio teste, رزح *exaltationem vocis, sive ad fletum, sive ad laetitiam* significabat, habetque et Golius مِرْزِيحٌ *magna et vehemente voce praeditus*, sed addens ex Camuso, *non vehemens vox*, (forte, flebilis.) Hoc unum nostro vocabulo, nisi quid melius adfulgeat, aptum.

Jam consulamus veteres:

1) θύασον, (thyasum, clamorem, qualis est bacchantium) LXX in Jeremia habent, et, quod eodem redire putem, *factionem* (lascivientium) in Amoso Vulgata. Sic quidem, ut Josephus praeivit Kimchius, filium Arabicae linguae ignarum, conjecturisque contentum, Davidem, asseclam non nactus, *clamorem* significabit, ut Arabibus, et vero in Amoso laetum conviviorum et ebriorum, in Jeremia lugubrem. Eodem et retulerim, quod in Amoso LXX. χρεμετισμὸν ἵππων, *fremitum*, *hinnitum equorum* habent.

2) *Saltationes* Syrus habet, ܪ̈ܘܩܕܐ, et ܡܪ̈ܩܕܘ. Id eodem referendum arbitror, solo etymo, quod necopus, non expresso.

3) *Convivia* habet in Jeremia Vulgata, inque Amoso Symmachus, (ἑταιρεία.) Et hoc utrique loco aptum, laeta Amoso, parentalia Jeremiae, quae ad versum sextum in commentario describit Hieronymus. Potuerint et illa, laeta certa, a cantionibus convivantium et κώμῳ ebriorum dici: quamquam parentalibus hoc etymon minus aptum. Verum latius etymo usus patere solet.

Haec quidem tertia explicatio omne prope tulit punctum, estque utrique loco ita apta, ut veram esse cupias. Hanc tamen si sumas prope ad aliam radicem מרז referre lubuerit, quadriliterum, adjecto, ut non raro fit, ח formatum. مَرْزَة Arabibus, *portio massae farinaceae*, ex مرز *extremis digitis comprehensum premere*. Erit ergo proprie, *frustum*, *panis*, *placenta*, sed pro convivio, nostra etiam phrasi, ponetur. Obiter etiam monere liceat, hoc Arabicum مرز in nostram quoque linguam invectum: *Marzipan* Germanicum, pro quo *Massepain* Galli dicunt, Persice vel Arabice مرزبان scribendum, a مرز *panis*, et Persico بان (*Bohne*, Persica enim fere Germanica) *nux pistacia*, *vel pistaciae similis*. Habent et Arabes مرزبان, sed alio sensu, ut mensurae aridorum genus, quod pro Hebraico עמר ponere solent, (Exod. XVI, 16. 32.) ubi proprie et ex etymo est, *portio nucum*, vel, *fabarum*. Quod si malis, ex utroque trilitero מרז et רזח compositum quadriliterum מרזח, erit, *frustum thyasi*, i. e. *festivum convivium*.

1457. מרח *fricare, conterere.*

مرخ Arabibus est *fricare*, unde arborem, cujus confrictu ignem eliciunt, مَرْخ dicunt, inde et, *ungere*, quod unguenta ab ungente cuti infricantur. Jam intelliges Levit. XXI, 20. מרוח אשך, *cui contritus est testiculus*, et Jes. XXXVIII, 21. *accipiant massam ficuum* וְיִמְרְחוּ *et fricent, confricent, super bubonem.* Est hic *fricare massam ficuum*, illam confricare, emplasma ex illa facere, sicque buboni imponere: ipsi enim eam buboni infricare nimis dolorificum. Optime ex omnibus hic LXX, καὶ τρῖψαι καὶ κατάπλασαι, *contere et cataplasma fac*, exque illis Arabs, ودقّها وتضمّد *comminue et obliga buboni.* Festinantius hic nonnulli, cum in loco parallelo 2 Reg, XX, 7. legerent וישימו *imposuerunt buboni*, מרח *imponere*, verterunt, ipse adeo Coccejus: *imposuerunt*, quidem, sed ideo מרח non est, *imponere.*

1458. מֹרִיָּה regio, Genes. XXII, 2. mons 2 Paral. III, 1.

Pro certo sumi a recentiorum plerisque video, idem nomen esse, nec equidem nego, sunt tamen aliqua dubia, unde seorsim de utroque nomine dicam. Mosi Moria regio, sero scriptori chronicorum mons, ergo non plane idem nomen, quo autem aut teste novimus aut quo argumento, montem Moriam regioni Moriae nomen indidisse? Regio Hierosolymitana alias ארץ היבוסי, *terra Jebusaeorum:* de hac si loquitur, mirum non hoc eum nomine uti, sed alio quod in nullo ante reditum ex Babylone scriptore reperitur. Totam denique historiam Genes. XXII. perlegenti videbitur, sacrificio Isaaci locum desertum destinatum fuisse, dumis horrentem, ubi nemo illud spectaret, aut opem ferre posset: at mons Moria in vicinia Hierosolymae, quae Abrahami jam tempore regem, et vero dei veri sacerdotem, habebat, Melchisedecum.

Ergo quaestionem dividamus, et

I) a regione Moria Genes. XXII, 1. incipiamus. Hoc nomen primo sunt ex veteribus, qui adpellative interpretantur,

1) *terram visionis.* Sic Symmachus, γῆ ὀπτασίας, Vulg. *terra visionis*, Samarit. ארעא דחזיתא. Favet explicationi versus 14, ubi mons nomen accepisse dicitur ab יהוה יראה, *Jehova visus est*, et, *Jehova videt:* quamquam sic suspectum videbitur haud paucis; יה ex יהוה contractum, quod nomen recentius et Mosaicum putant. Quod si

si antiquius, nondum tamen Abrahami tempore tam vulgatum, ut in יה contraheretur, exspectassesque potius nomen, מֹרְאֵל. Adludi forte ad nomen מריה potuerit, cum montem בהר יהוה יראה vocarent, adludi et ad hoc ראה a serioribus, sed vix mihi persvadeo, eo tempore, quo Deus Abrahamum proficisci jubebat in terram MORIA, eam jam nomen a visione Dei, sive activa sive passiva, habuisse.

2) *Terram cultus divini* habent Onkelos et Jonathan, ארעא פולחנא, ac duo Arabes بلد العبادة. Sic contraxerunt ex מוֹרָא יָהּ *timor Jehovae.* Hoc quidem ne versui quidem 14 aptum, nec mihi, nomen proprium regionis hic me legere putanti, probari potest.

3) LXX τὴν γῆν τὴν ὑψηλήν, *terram excelsam* verterunt. Videtur illis accidisse, quod saepe, ut mali grammatici ad radicem ראה referrent, interpretarenturque, *excelsum, quod eminus conspici potest.* Sic iidem Genes. XII, 6. δρῦν ὑψηλήν, *quercum altam habent*, pro אלני מורה.

Has quidem omnes etymologicas interpretationes repudiare mihi liceat, nomenque proprium, jam Abrahami tempore usitatum ac notum, existimare: cujus quidem post tot secula in etymologiam inquirere, et inutilis mihi industriae esse videtur, et temerarium. Goettingae habito, nec unquam serio deliberavi, unde Goettinga nomen habeat.

Ubinam sita regio Moria Mosis fuerit, jam supra professus sum, me ignorare: sed et de ipso nominis sono dubitari possit, sitne *Moria*, an, *Hammoria*, ה ejus partem faciente, est enim quod He praefixo articuli opponi possit, Hebraeis consvetum non esse, ארץ הכנען, sed eos dicere, ארץ כנען. Video jam olim aliquos pro parte nominis habuisse: Syrus interpres utrobique ܕܐܡܘܪܝܐ *Amoraeorum*, habet, LXX in chronicis, ἐν ὄρει τοῦ Ἀμωρία. Amoraeorum quidem regionem reprobaverim, אמריה non המריה scribendam: in incertis tamen relinquo, sitne ה pars nominis, an praefixum. Et hoc addo Samaritanum textum nomen, המוראה scribere.

II) Mons *Moria*, in quo templum aedificatum, non nisi 2 Paral. III, 1. occurrit, ibi plene scripto nomine, הר המוריה, atque ut videtur, ab historico, certe per allusionem relato ad radicem ראה, addit enim, אשר נראה לדויד אביהו *aedificavit templum Jehovae in monte Moria, qui adparuerat Davidi patri suo.* Judaei pro loco immolationi Isaaci destinato habuerunt, ac nisi fallor et Samaritani. Adscribo versionem Chaldai-

daicam chronicorum: *in monte Moria, in loco, ubi coluit et adoravit Abraham nomen domini: Iste locus est terra* CULTUS, *ubi coluerunt Jehovam omnes generationes, ibi quoque oblaturus erat Abrahamus filium suum in holocaustum, liberavit vero eum verbum domini, et oblatus est aries loco ejus: ibi oravit Jacob, cum aufugeret ab Esavo fratre, ibi denique adparuit angelus Domini Davidi.* Haec aut traditio aut sententia si vera ac certa, aliquid sane faceret ad litem Samaritanorum et Judaeorum de loco cultus divini Deo placente, de qua mira tradit Josephus Ant. XIII, 3. 4. in jure Mosaico §. 188. exposita, deliberata, dubitata. Quidquid sit, Samaritani ante templum in monte Garizim aedificatum templo Hierosolymitano non infesti fuerunt, maluissentque, communibus illud utriusque gentis sumtibus condi: potuerunt ergo *Moriam* Abrahami et *Moriam* Davidis, eundem montem habere, licet ego, minus etiam illis in fide Judaica firmus, dubitem.

1459. מֹרֶךְ *mollities.* Levit. XXVI, 36.

Nolim cum aliis lexicographis ad רכך referre, invita grammatica, quae similem nominis formam ignorat, sed ad מָרַךְ. Syris quidem ܡܪܟ, Castello teste, sed nullo adjecto exemplo, est, *attenuavit*, Arabibus, مَرِكٌ *cynaedus* (Gol. p. 2913.) forte a mollitie, ut Graecis μαλακός, Rabbinis quoque נתמרך *mollescere*, verbique Chaldaici, unde canalem מוּרְכָּא dicunt, prima forte vis in *fluendo.* Cognata si quis statuat, alterumque ex altero ortum, verba רכך et מרך, nec me audacter suffragantem habebit, nec contradicentem.

Caeterum ex veteribus soli, *mollitiem*, verbotenus expresserunt Maurus, رُطُوبَة, ac Samaritanus, מרביך: reliqui, rem solam spectantes non etymon, *timorem*, – – (LXX δειλίαν, Vulg. *pavorem*, Syr. ܙܘܥܐ ܘܬܘܗܐ, Saad. جُبْن) Chaldaeusque, תְּבָרָא *fractionem*, nempe, spiritus, i. e. terrorem.

1460. מרע *fricuit, unguento perfricuit.*

Ad hanc radicem Schultensius retulit Prov. XVII, 4. מֵרַע, contulitque Arabicum مرغ quod sit, *oleo* vel *unguento confricare*, generatim etiam, *fricare.* Mihi quidem sententiam non adprobavit; nec tamen in

 lexi-

lexico omittendum censeo verbum, quod vir doctissimus sibi in Proverbiis reperisse visus est. Copiose ab eo dicta excerpere non vacat, maxime, cum in rei summa dissentiam: ad ipsius ergo in Proverbia commentarium lectores ablego. De נמרצת ex varia lectione 1 Reg. II, 8. vide pag. 1555. dicenda sub מרץ.

1461. מרץ *morbidus, corruptus fuit* 1 Reg. II, 8. Mich. II, 10. Job. VI, 25. XVI, 3.

Mirae in verbo, quod habent Arabes, conjecturae interpretum et lexicographorum perquam discordes, quas omnes enarrare longum. Recte me judice Cromayerus ad Job. VI, 25. notissimum contulit Arabicum مَرِضَ *aegrotavit* مَرَضٌ *morbus*, et Hebraica מה נמרצו דברי ישר vertit, *ecquid morbida vobis videntur verba recta*, equidem mallem, *quam morbida sunt verba rectitudinis*, i. e. verba vestra, quae vera et certa et explorata esse gloriamini, (cap. V, 27.) *quam illa sunt morbida et insana.* Nempe et de animi sententiarumque morbis vocabulum Arabibus ponitur: Muhammedi prave de religione sentientes, aut dubitantes, sunt مَرَضٌ فِي قُلُوبِهِمْ *hi in quorum cordibus est morbus.* Sur. XXXIII, 12. XLVII, 22. Praeivisse hic notionem *corrupti* videri possunt LXX, vertentes, ἀλλ', ὡς ἔοικε, φαυλὰ ἀληθινοῦ ῥήματα. At Vulgata, *quare detraxistis sermonibus veritatis?* (hanc quidem significationem apud Arabes مرّض habet,) Syrus, *quare repellitis.* — — Ex eadem significatione et מה ימריצך Job. XVI, 3. reddidi, *quid hunc tibi morbum immittit, ut tacere nequeas?* Praecesserat *ventosorum verborum* mentio — — Mich. II, 10. חֶבֶל נִמְרָץ *corruptio morbida.* (De חבל vide pag. 658.)

Minus expeditum quid sit קללה נמרצת *maledictio* .... 1 Reg. II, 8. Varie veteres: κατάραν ὀδυνηρὰν, *maledictionem dolorificam* habent LXX, possitque sane a morbo et dolorificum dici, nisi quod sic malles activae conjugationis participium habere, quam Niphal; *maledictionem pessimam* Vulgata; Syrus et Chaldaeus מרירא *amaram;* Arabs, hic a Syro discedens, forte a Judaeo ad Hebraica ut ea intelligebat correctus, القَبِيحَ وَأَشَرَّ مَا يَكُونُ مِنَ الْقَذْفِ *turpe, et pessimum omnium conviciorum.* Mihi quidem verisimile, *morbidum* hic poni pro *impuro et turpi*, ita

ita ut קללה נמרצת sit, *turpissimum convicium*: usu tamen certo linguae Arabicae adhuc destituor. Venit et in mentem Arabici مرص quod *festinationem* significare videtur: verum excusari potius videretur Simei, si maledictionem ejus *festinatam et praecipitem* David diceret. Jam supra monui, Vulgatam Job. VI, 25. מרץ *detrahere*, i. e. obtrectare vertere, Arabibusque مرض esse, *obtrectavit*, *dedecoravit*. Hoc forte huic loco aptissimum, ץ et ץ permutatis, ut sit, *maledictio ignominiosissima*. Prope praeferre incipio.

Non habent Aramaei מרץ, at ejus significatum, *aegrotare*, habent sub מְרַע et مرع, elemento Tsade, ut saepe illis accidit in Ain mutato. Huc et referenda varia lectio codicis Kennicottiani 96, multa singularia habentis, 2 Reg. II, 8. קללה נמרעת. Eadem sententia, *convicium morbidum*, sed ex more scribendi Chaldaico expressa.

Schultensius quod habet ad Job. VI, 25. مرص esse, *stringere*, nullo, nec teste nec exemplo probatum, sed conjectura, quales ille, ubi etymologiis indulget, multas habet: vertit, *quam stringentia sunt dicta directionis*. Nempe, quod Latine probantia argumenta, *stringentia* dicimus, ex suo מרץ *stringere*, eandem et linguis Orientalibus novam *invicte probandi* significationem dedit. Reliqua innumera lexicographorum et commentatorum dissidia et conjecturalia non attingo.

1462. מְרוּצָה Jerem. XXII, 17. (XXIII, 12.)

Dubium maxime vocabulum, מְרוּצָה Jerem. XXII, 17. incertumque, ad quam radicem referendum. *Cursum* habent Aquila et Symmachus in Hexaplis Syriacis, a רוץ, obscure, hosque sequuta Vulgata, sed de suo aliquid addens, interpretationis caussa, *cursum mali operis*; ܠܚܘܣܪܢܐ *injuriam*, Syrus; *pro lubitu tuo* Chaldaeus, ac si esset a רצה (legens forte, ut est in cod. Kennicotti 91, מרצה); εἰς φόνον LXX, ac si legissent מרוצח, sed iidem in Hexaplis Syriacis ܟܐܒܐ *dolorem* i. e. πόνον (*): cum רצץ comparans pater meus, *concussionem*, Venema, *conquassationem*. Ex his quidem, *dolor*, praeplaceret, ut sit a מרץ *aegrotavit*, dolore ab aegritudine dicto, ut vixdum vidimus, נמרצת 1 Reg. II, 8. a LXX ὀδυνηρὸν verti. Quod si tamen est a מרץ *aegrotavit*, mallem pene מרוצה sensu morali *morbos animi* i. e. pravas cupiditates interpretari: *non spectant oculi*

(*) Suspicor, eos πόνον scripsisse, hocque a librariis in φόνον mutatum.

si tui, nisi cupiditatem tuam pravam, ut illam perficias. Sic sane مَرَضٌ *morbus*, est *prava cupiditas*, Sur. XXXIII, 32. *vos, uxores prophetae ne nimis ita estote in verbis molles*, فيطمع الذي في قلبه مَرَضٌ *ut spem inde concipiat in cujus corde est morbus*, i. e. impura desideria.

Hic quidem si מרוצה est morbus, possis et ad eandem significationem revocare c. XXIII, 10. ותהי מרוצתם רעה, *est morbus ipsorum pessimus:* nec tamen caussam ibi video a consveta interpretatione recedendi, *est cursus ipsorum pessimus.*

1463. מרק.

His quae lexicographi de verbi nominumque inde ortorum significatione habent, adstipulor, nec illis videri velim contradicere: est tamen aliquid de diversis sub easdem literas coeuntibus notionibus dicendum.

1) Est sine dubio, *detergere*, *polire*, quam notionem et apud Syros habet.

2) Hinc et plane contraria impuritatis et inquinationis apud Arabes orta significatio, nempe quod impura deterguntur et absterguntur: مَرِقَ *corruptum fuit* ovum, مَرَقٌ *pellis putrida foetensque*, مَمْرَقٌ *cloaca* Jerem. XX, 2. Sic Syrus accepit Jes. LXV, 4. Hebraica, ומרק פגולים כליהם vertens, ܘܡܛܦܫܝܢ ܒܦܓܪ̈ܐ ܡܐܢ̈ܝܗܘܢ *et inquinant cadaveribus vasa sua.* (Bibl. Or. prior, adpendix T. XIV. p. 204. 205.)

3) *Jusculi* quoque significatio sub מָרָק certa, habentque et Arabes, مَرَقٌ *jus, jusculum.* Exempla vide a Castello in lexico Arabico collecta, et adde, Jes. LXVI, 4. ubi ζωμὸς redditur مَرَقٌ. Sitne a praecedentibus orta, non satis expedio: a detergendo Syris ܡܪܩ et *abstergere*, est, itemque, *lavare:* ab abluendis carnibus potueritne et aqua, in qua coquuntur, jusculum dici? Nolim sententiam haberi meam, sed conjecturam, mihi ipsi parum verisimilem.

4) Est et مَرَقَ *confodit hasta*, et vero, quam celerrime. Estne denominativum ab aliquo nomine hastae, a tergendo ei indito, *(nitida, fulgente*, hasta *confodit)?* an a tergendo etiam vulnerare dictum.

Haec

Haec quidem monere necesse erat, ut ea, quae in lexicis sub radice מרק legimus, melius intelligantur, ac de iis judicari possit. Forte duae hic radices concurrunt, מרק, et ריק a quo nomen aliquod a Mem servili incipiens ductum.

1464. תמריק vel תמרוק Proverb. XX, 30.

Veteribus omnibus verbum visum est, recentiorum plerisque nomen: his quidem ex consveta lectione grammatica faventior, plurali enim nomine חברות (*vibices*) praecedente, et plurale verbum תמרקנה requiri videtur; nec tamen hoc argumentum certum, ut enim anomalias numeri Orientalibus frequentes taceam, tres Kennicotti codices חברת habent, quod ipsum singulariter efferri possit.

LXX *occurrere*, *evenire* verterunt, *ὑπώπια καὶ συντρίμματα συναντᾷ κακοῖς*, eosque sequuntur, ut in Proverbiis solent, Syrus, Chaldaeus, Arabs, פגעו, تلتقى. Hujus significationis nihil habent linguae Orientales: ergo aut est mere conjecturalis, aut liberior versio graeci interpretis.

Vulgata, *livor vulneris abstergit mala*, quod quidem מרק omnino significare possit, sed obstat constructio, aut enim dicendum fuisset, תמרק רע, aut, quod in uno codice reperit Kennicottus, תמריק מרע. Certe non expedita nec auribus placens sententia: *livor vulneris absterget mala, et plagae in secretioribus ventris.* Constructioni succurrunt pro nomine תמרוק habentes recentiores, paululum mutata versione, quam verbis patris mei pono, *vibices vulneris sunt velut detersio seu politura in homine malo*, i. e. malus non nisi verberibus et plagis emendatur. Hinc habes in lexicis, *politura*, aut, ut Schultensius pro suo more nimis etymologice vertit, *effricatio in malo*. Displicet adhuc aliquid, nec video quid sibi velit sequens, *et plagae penetralium ventris.*

Ausimne quartam verbi מרק significationem in subsidium vocare, ut *tergere* sit, *atterere, vulnerare sese*, hac sententia: *offendere pedem ad peccata illisque atteri* (vulnerari) *vibices relinquit, et vulnera penetralium ventris.* Sic in versione Germanica reddidi: *Beulen und Quetschungen hinterläßt es, wenn man sich an die Sünde stößt, und Schläge tief im inwendigen:* i. e offendere pedem ad peccata et damna, et vulnera corporis relinquit, et morsus conscientiae. Forte et huc possis Graecorum *συναντᾷν incidere*, referre. Tentamen in loco obscuro, non certa sententia. Possit forte, ut in acute dictis, aliqua ambiguitas subesse, adludique ad secundam verbi מרק significationem, *inquinari malis*. Nondum liquet.

1465. מרר, *(fluxit,) transiit*, (Jes. XXXVIII, 17.) *amarus fuit.*

Amaritudinis notio radici ejusque derivatis certa, atque Hebraicae linguae cum Chaldaica, Syriaca, Samaritana, Arabica, communis, sed forte non prima, certe non unica.

1) Primam significationem verbi esse suspicor, *fluxit*, sicque poni videtur in Corano Sur. XXVII, 90. (Mar. 89.) *videbis* (die novissimo) *montes, putabisque glaciem esse concretam* وَهِيَ تَمُرُّ مَرَّ السَّحَابِ *sed diffluent, ut diffluit nubes:* nec tamen ut certum attulerim exemplum, verti enim et potest, *transibunt ut transit nubes.* Relege ipse et expende, utrum verisimilius. Est et مَمَرّ *canalis* cui a perfluente aqua optime nomen duci potuerit. Hanc primam verbi notionem prope arguit מַר Jes. XL, 15. quod satis unanimiter, cum veteres (LXX. Vulg. Syr. Chald.) tum recentiores, *guttam* vertunt ex amphora defluentem. Hinc et optime potuerit *myrrha* מֹר dici, quod ex arbore effluit. Vide de ea Celsii hierobotanicum T. I. p. 520–535. Suspicari memini patrem meum, verbum ex prima origine onomatopoeeticum esse, *murmurare*, a *murmure* et *strepitu* fluentis aquae, ortum, *fluere:* ut elegantem ac placentem conjecturam refero, meum facere, sine exemplo, non ausim.

2) Hinc jam certius ac sine dubio est, *transire*, *praeterire*, *abire*, quod et lexica Arabum primo loco habere solent. Exempla probantia vide a Castello in lexico Arabico adlata: ne ἀσύμβολος sim, praeter adlatum vixdum ex Corano, quod ita interpretari solent, addo aliud Sur. XXXVII, 137. وَإِنَّكُمْ لَتَمُرُّونَ عَلَيْهِمْ *et vos transitis per eorum* (Sodomitarum) *terras mane et vesperi*, quotidie eas videtis. Ex hac significatione acceptum lucet, obscurius alias et intricatius, הִנֵּה לְשָׁלוֹם מַר לִי מָר, Jes. XXXVIII, 17. *ecce in pacem* et in felicitatem *transiit mihi amarum.*

3) Amaritudinis notionem, si prima non est, ut denominativum a מֹר *myrrha* nactum est.

1466. מַר, מְרִים *amarus*, *amaritudines*, *dirae*, *venenata*.

Amari et amaritudinis notionem lexica habent, sed alias omitti video.

1) מי המרים Num. V, 18. 19. 24. vix esse possunt, *aquae amarae*, totum enim caput perlegenti, non liquebit, unde amaritudinem conceperit aqua, quam bibendam suspectae adulterii uxori porrigit sacerdos, sed

ſed *aquae dirarum*, quod dirae et exſecrationes in illas deletae erant, una cum aqua ebibendae. Sic ipſe auctor bis explicat, מי המרים המאררים v. 19. 24. Lege et finem verſus, ובאו בה המים המאררים למרים nec vertere velis, *ingrediuntur in eam aquae exſecrantes in amaritudinem*, ſed, *in diras*, *in exſecrationes*. Sic Arabibus لعن *maledixit*, quod verbum ſignificationem amaritudinis habuiſſe, ex Hebraico לענה *abſinthium* colligitur.

2) דבר מר *verbum amarum*, pro maledico poſitum, quisque intelligit, at hac, qua Pſ. LXIV, 4. ponitur conſtructione, *imponunt arcui ſagittam ſuam* דבר מר *verbum amarum*, diſplicet auribus. Eſtne hic, *verbum venenatum*, petita a telis veneno infectis imagine. Solent alias Orientales *amarum* pro *veneno* ponere, ut ſaepe LXX χολή, ubi de venenis ſermo: Apocalypſ. VIII, 11. ſtella, ἄψινθος dicta decidit in aquas, hae fiunt *abſinthium*, earumque hauſtu multi moriuntur, ὅτι ἐπικράνθησαν, *quod amarae factae ſunt*. Thargum Hieroſolymatanum Deut. XXIX, 18. habet, לענא דמותא *abſinthium mortiferum*.

Unde haec amaris, et maxime abſinthio, tam medicis laudato, infamia, non conſtat: ſupereſſe ex errore aliquo priſci generis humani, ex phaenomenis venena judicantis, videtur. Abſinthium efficacius etiam in plagis meridionalibus quam in noſtris, vermes et expellit et irritat, unde et nos *Wermuth*, ut fere putant *Wurmwuth*, furorem vermium diximus, medicis haec nota: vermibus laborans, quod in Arabia et Palaeſtina quam apud nos frequentius, abſinthium ſumens, in ſpasmos et convulſiones incidit, aliquando etiam funeſtas. Hincne abſinthio et amaris infamia apud Hebraeos orta, ut venenis adjungerentur, vel in venenis haberentur?

1467. מרור , מרורה , *amarus*, *amaritudo*, *venenum*, *herba amara*. מרורים Job. XX, 14. Deut. XXXII, 32. Exod. XII, 8. Num. IX, 11.

Quae vixdum de *amaro* pro *veneno* vel *venenato* poſito dixi, et huc transferenda. Job. XX, 14. מרורת פתנים ſine dubio *venenum aspidum*, amaritudinem enim aſpidum quis dixerit? aut quae eſt? Praeivit Chaldaeus, ארסא *venenum*. Χολὴν, *fel aspidum*, qui habent, LXX et Vulg. et hoc, ut ſaepe alias, pro veneno poſuiſſe videntur. — — אשכלות מרורות Deut. XXXII, 32. ex tota ſerie orationis non ſunt, *botri amari*, ſed, *venenati*, ſolani credo. Vide p. 345. de גפן סדום dicta, et infra de רוש ejusque uvis dicenda.

De

De מרורים *herbis amaris* in coena paſchali praeceptis Exod. XII, 8. Num. IX, 11. videndus Celſius, Hierobotanici T. II. p. 227. 228. interpretationes et diſſenſiones Judaeorum adferens. Poſſint quidem generatim *herbae amarae* eſſe, ut nullum certum genus earum praeſcribatur: diſtinxerunt tamen, ut nomen ſpecialius a reliquis Thalmudici in tractatu Peſach c. II. §. 6. agnum paſchalem comedi jubentes, cum *lactuca*, *intybo*, *tamcha*, *carchabina*, *et Meror* (ובמרור). Jam cum uterque Arabs مرار vertat, quae teſte Geuhario *ſpecies arboris* eſt *ſeu plantae amarae*, *quam qui depaſcitur camelus labia cohaerent et denudantur dentes*, certiora de مرار ſcire cupiebam, proposuique quaeſtionem (quadrageſimam ſecundam) Arabiam juſſu Regis Daniae adeuntibus. De مرار nihil reſponſi tuli: monuit tamen ex Forskålii ſchedis Niebuhrius, pag. XLIV. praefationis deſcriptioni Arabiae praemiſſae, *Morreier* (ſcribendum videtur مُرَّيْر) eſſe *centaaream calcitrapam*, *caules juniores edules eſſe*, *maxime Februario et Martio*. Nobis vocatur, *Sterndieſtel*, Gallis, *Chardon etöilé*, et *Chauſſetrappe*. Vide germanicam verſionem *ſyſtematis Linneani* (Norimb. 1783.) Tom. IX, pag. 617. 618. Caeterum مرار de quo interrogaveram et مريّر non eadem nomina.

1468. מְּמְרוֹרִים *amaritudines* Job. IX, 18.

Inſolentior forma, non niſi ſemel occurrens, exque illo loco in lexica recepta. At Editio Stephani in folio habet מִמְּרוֹרִים, ſic erit praecedens מרורים, idque praetulerim, ſi plures editiones codicesque conſentiant.

1469. מְרִירִי *venenatus* Deut. XXXII, 24.

Et huc transfero, quae de veneni notione dixeram, ac קטב מרירי interpretor, *cuspidem venenatam*, ſive mortis, cui cuspis tribui ſolet, ſive ſerpentum. Vide infra de קטב dicenda.

1470. מורש vel מרש Job. XVII, 11. *funis*.

Poſt, *ligamenta mea abrumpuntur*, ſequitur, מורשי vel, ut quinque codices Kennicottiani habent, מרשי לבבי. Interpretes recentiores tantum non omnes vertunt, *hereditates cordis mei*: mira phraſis, et obſcura, maxime cum rumpi vel divelli dicuntur hereditates cordis. Mihi quidem מ radicale videtur, conferendumque Syriacum ܡܫܪܐ *funis* (*canna-*

nabinus, rudens anchorarius) Arabicumque مرسة *funis.* Verte: *funes cordis mei*, i. e. vincula tanquam vitalia. Praeiverunt mihi quodammodo LXX, *τὰ ἄρθρα τῆς καρδίας μου, articuli ſeu compages cordis mei*, (quod quidem nomen Graecum ex quovis lexico melius intelliges, quam ex Bieliano in LXX). Vulgata: *torquentes cor meum.* Hancne ſignificationem verbum מרש habuit? aliquidne de ea a Judaeo in interpretando Jobo eum juvante, cujus eruditionem laudat, reſcivit Hieronymus? A torquendo quidem et funis recte dici poteſt, et aliqua quae ſub verbo مرس habet Golius illuc referri. Verum etymologica, ubi non ſatis de illis liquet, attingere nolim. Plene ſcriptum nomen, מוֹרָשֵׁי, defective, ex analogia Syriace מֹרָשֵׁי adpellare mallem.

1471. מַשׁ Geneſ. X, 23. *mons Maſius.*

Recte Bochartus *Maſium montem* interpretatur, *qui Neſibi urbi a ſeptentrione imminet* Paulo copioſius haec diſputavimus in ſpicilegio geogr. Hebr. exterae, T. II. p. 140–142. Supereſt adhuc Syris nomen, in fluvio, ex illo monte erumpente ܢܗܪܐ ܕܡܫܐ, vel ܢܗܪܐ ܕܡܫ quod nomen Arabes in هرماس *(Hermas)* contrahunt. Vides Syros utroque modo ܡܫ et ܡܫܐ ſcribere: quod ergo pro מַשׁ Samaritanus textus habet, משׁא, non aliud nomen eſt, ſed alia ejusdem nominis ſcriptio.

1472. מֵשָׁא Geneſ. X, 30. *Meſene, ad Tigridis oſtia.*

Copioſius de hoc nomine actum in ſpicilegio geogr. Hebr. T. II. p. 205–216. quo lectores ablego.

Muzam, celeberrimum Arabiae portum Bochartus interpretatus erat, ſed obſtat orthographia: Muzae nomen per ז ſcribi fas erat, ſcribiturque موزع, quod eſt a משׁא, ſive, ut Jonathan et Arabs Erpenii ſcribunt, מוּשׁא, remotiſſimum. Eo tamen valuit Bocharti auctoritas, ut a plerisque eruditorum reciperetur, nec caſtigatorem erroris Harduinum audirent.

Mihi eſſe videtur, Meſene, circa exitum Tigridis et Euphratis, Syris, ܡܝܫܢ Arabibus, ميسان, de qua vide ibi collecta p. 214. 215.

1473. מֹשֶׁה, Μωυσῆς, *Moses.*

Ipse suum nomen Moses Exod. II, 10. ad Hebraicum מָשָׁה *extraxit* refert, quod nempe ex aqua extractus sit: at linguae Aegyptiae peritis aliter de eo visum, Aegyptiam ei originem, sed manente eadem significatione, adsignantibus. Josephus Ant. II, 9, 6. auctor est, ΜΩ Aegyptiis *aquam* significare, atque ΥΣΗΣ *ex aqua servatum;* ad quem locum vide notas Havercampianae editionis. Paulo aliter Clemens Alexandrinus, linguae sine dubio peritior, Strom. l. I. p. 343. ΜΩΥ Aegyptios *aquam* vocare ait, totumque nomen interpretatur, *τὸν ἀποπνεύσαντα τῷ ὕδατι, respirantem ex aqua?* an, *exspirantem in aqua?* Posterius velle videtur, praecesserat enim, *in qua,* (aqua) *expositus, moriturus erat.* Μωου *aquam* la Crozii lexicon Copticum habet p. 57. υσης non solum plane ignorat, sed et in Scholtzii grammatica p. 7. monetur, ab Υ nullam omnino vocem Copticam incipere. Errasse ergo videtur Josephus, nomenque ex Μωυ aqua, et σης, quod *mori* interpretatur Clemens, alii aliter, componendum. Sic et LXX nomen Aegyptiae illis originis visum, Μωυσῆς scribunt. Philo in libro de Mose, (T. II. Mangeyanae editionis p. 83.) ΜΩC aquam Aegyptiis dici tradit, manifesto errore, forte non auctoris, sed librariorum, pro ΜΩO, cum literae O pars expalluisset, ΜΩC scribentium.

Verisimilia hos tradere, qui Aegyptiam inveniunt originem, negare nequeo, Aegyptium enim filia Pharaonis, non Hebraicum nomen inditura puero invento erat: et tamen audax, Mosi de suo nomine non credere. Sed utrumque verum esse potest. Aegyptium nomen puero indidit Aegyptia: Hebraice vertit Moses, ut saepe Orientales, soni parte servata.

1474. משׁח *fricare, detergere, ungere, secare, mensurare.*

Praeter notissimam ungendi significationem et alias habet verbum in reliquis linguis Orientalibus, enotandas ob nomina inde derivata.

1) Prima esse videtur, *terendi, fricandi, defricandi, infricandi.* Sur. V, 8. ante preces abluite faciem manusque, وامسحوا برؤسكم وارجلكم *et perfricate* (ut volunt Muhammedani, frusto cilicino) *capita vestra et pedes vestros.* Sic et pro ἐκμάσσειν ponitur, Luc. VII, 38. 44. Joh. XI, 2. inque Erpenii editione pro ἐξαλείψει Apoc. VII, 17. يمسح كلا دماع *absterget omnem lacrimam.* Huc et referendum, quod

quod lexica habent, مسح idem quod مذح, *mutuum femorum confrictum et intertriginem passus est*, مسح *frictio, cum poplitem attritu laedit asperior vestis*, مسح *ejusmodi asperior vestis, saccus, cilicium*, ماسح *callum pectoris in cubando laedens camelus, ita tamen, ut sanguis non effluat.*

Habent praeterea Arabum lexica. quod ex hac notione fluxit, *manum duxit super re liquida, palpavit, demulsit manu.*

2) Hinc fluxit frequentissima *ungendi* notio: ungere proprie, *unguenta manu infricare.*

3) Jam et intelliges, quomodo differant Exod. XXIX, 2. &c. placenta, בלולה בשמן *perfusa oleo*, et משוחה בשמן, *cui manu infricatur oleum, quae condepsitur oleo.*

4) Habent et lexica Arabum, *secuit, amputavit gladio.* Exemplum adscribo, Sur. XXXVIII, 32. (35.) *coepit* مَسْحًا بِالسُّوقِ وَالْأَعْنَاقِ *amputare crura et colla* equorum. Saepe verba terendi, sunt et vulnerandi.

5) Denique et Arabibus مسح, *mensurare, metiri*, مساحة *dimensio*, علم مساحة *geometria*, et Chaldaeorum, Syrorum, Samaritanorum משח eandem habet significationem. Haec quomodo cum praecedentibus cognata, metirine ab expandenda manu dictum, nec expedio, nec disputandum suscipio.

Quid sit משח cum *clypei* nomine constructum, Jes. XXI, 5. ambigi possit,

detergere et polire clypeos? sic quidem Chaldaeus, מריקו, exque recentioribus Vitringa: quamquam obstat, quod clypei, non cum in aciem exitur, sed cum ab illa reditur, in thecis reponendi deterguntur, unde hoc pene abdicandum videtur.

an, *ungere clypeos*, i. e. corium clypeis inductum ungere, ne rigidius siccitate fatiscat ictuque gladii dissiliat. Facit omnino pro hac explicatione 2 Sam. I, 21. מגן שאול בלי משיח בשמן *clypeus Sauli nequidquam unctus oleo*, nec tamen dissimulandum, alios hic משיח בשמן non ad clypeum, sed ad Saulum referre, *nequidquam uncti oleo.*

Est et lectionis in utroque loco varietas, ex qua phrasis משח מגן plane disparet: 2 Sam. I, 21. codex 30 Kennicotti, atque biblia Soncinensia et Brixiensia habent, כלי משיח בשמן *arma (Sauli) uncti oleo;* et Jes. XXI, 5. Hieronymus vertit, *arripite clypeum*, ac si esset משכו מגן, itemque LXX editionis Complutensis et Aldinae, ἀνασπάσατε. Placuit hoc Dathio, estque sane lectio verisimilis: in ipso urbis assultu sumunt clypeos, non ungunt aut detergunt, quod tunc nimis serum, nullus tamen, quod prope miror, codex ita habet. Solus si Hieronymus ita vertisset, cui textus Hebraicus praelegi solebat, משחו et משכו confudisse videri possit: Graecos quidem ipse Hieronymus, ut in consvetis editionibus leguntur, citat, *parate clypeos*, i. e. ἑτοιμάσατε.

1475. משחה Levit. XI, 35. XXII, 25. Num. XVIII, 8.

Levit. VII, 35. ubi pectus et armus dexter dicuntur dari משחת אהרן ומשחת בניו מאשי יהוה, nolim unctionem, sed potius portionem, demensum ex significatione verbi quinta vertere: *dedi haec portionem Aharonis et portionem filiorum ejus, de sacrificiis Jehovae.* Eadem significatio et Num. XVIII, 8. aptissima. Veterum tamen neminem praeivisse video.

מָשְׁחָתָם Levit. XXII, 25. de castratione positum, estne in statu abs. מָשְׁחָת, *corruptio*, an מָשְׁחָה *exsectio*, a quarta verbi significatione? Pendet haec quaestio, minutula et etymologica, ab alia, quid מָשְׁחָת sit Malach. I, 14. Generatim, *corruptum et reprobum*, si ibi vertas, nihil facit ad locum Levitici: at si est, (ut mihi quidem visum Malachiam germanice reddenti) *castratum*, oppositum *masculo* (זכר) ת sine dubio terminationis est, vocabulumque ad radicem משח referendum.

1476. מָשִׁיחַ *unctus*, i. e. *rex*.

Distinguendum nomen substantivum ab adjectivo: adjective ubi ponitur, de omnibus poni quae unguntur, sacerdote, propheta, clypeo, potest, at substantivum, fere ut nostrum, *der Gesalbte*, soli regi proprium, 2 Sam. II, 10. 35. (ubi *Unctus* sacerdoti opponitur) XII, 5. XVI, 6. XXIV, 7. 11. XXVI, 9. 11. 16. 23. 2 Sam. I, 14. 16. XIX, 22. XXII, 51. XXIII, 1. Ps. XVIII, 51. XX, 7. XXVIII, 8. LXXXIV, 9. CXXII, 10. 17. Jes. XLV, 2. 2 Paral. VI, 42. Videtur ergo, ubi de Messia, Χριστῷ, sermo, non a triplici munere, sed a solo regio nomen habere. Unicus locus est, ubi prophetam significare videtur, Ps. CV, 15. אל תגעו במשיחי

במשיחי ולנביאי אל תרעו 1 Paral. XVI, 22. repetitus, quamquam is ipse dubius, potuerint enim patriarchae et *reges a deo uncti* dici, ut Abrahamus Genes. XXIII, 6. נשיא אלהים *princeps Dei* dicitur. Non subditi erant in Palaestina, sed liberi, suis familiis et castris imperitantes, Emiri, ut Arabico nomine utar, jura etiam belli ac pacis et foederum exercentes, regibus, quibuscum et bella gessit Abrahamus, similes. Vide jus Mosaicum T. I. §. 31. *notam* (*) p. 177–189.

1477. מֶשִׁי Ezech. XVI, 10. 13. *velum pellucidum (ex seta equina.)*

Sericum multi ex lexicographis jam inde a Reuchlino verterunt, eamque sententiam multiplicis eruditionis, etymologiarum atque adeo alliterationum copia ornavit Schroederus de vestitu mulierum Hebraicarum p. 324–333. Mihi quidem parum verisimile, Ezechielis jam tempore Serica nota fuisse, ergo sine gravi et certo argumento משי pro sericis habere nequeo: etymologiarum conjecturalium nullus hic usus, cum forte sit exoticum. Praefero adhuc omnibus quae habet, Hebraicum משי et Graecum τρίχαπτον *(ex pilis consutum)* explicaturus in commentario Hieronymus: *[et indui te subtilibus. LXX. et circumdedi te trichapto] pro quo Aquila, florido, sive, palpabili, Symmachus, indumento; Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit, MESSE. Cumque diligenter inquirerem, quid sibi vellet vocabulum* TRICHAPTI, *quod LXX transtulerunt, et a nullo Graecorum nec usum nec etymologiam possem invenire sermonis, tandem didici, a LXX esse compositum, (rebus enim novis nova fingenda sunt nomina) quod tantae subtilitatis fuerit vestimentum, ut pilorum et capillorum tenuitatem habere credatur. Unde et ego volens tenuitatem exprimere vestimenti, pro trichapto, subtilibus, transtuli: quod tenui stamine atque subtegmine textum erat.* His duo adhuc addo: primum, velum videri ex filis tenuissimis, per quod transparens elegantis puellae vultus, pulcrior videtur, a vestibus enim byssinis distinguitur et cum tegendi verbo construitur, v. 10. *accinxi tibi byssum, et texi te MESCHI:* deinde nomen luxus novi et exteri, pellucidorum velorum, forte et exoticum esse, a Persico ماشو *cribrum ex seta.* Sic egregie et proprie τρίχαπτον LXX reddiderint, fueritque, *velum pellucidum ex seta equina.*

1478. מָשַׁךְ *prehendere manu, trahere, tenere, excoriare* &c.

משך quod *trahere* vertere solent, quam ei significationem non abjudico, ex prima tamen idem esse videtur, quod مسك *prehendit, tenuit, reti-*

retinuit: inde et *trahere*, dictum, tenere enim nos necesse est, quae trahimus: *tenendi* tamen et prehendendi significationem plerisque locis multo aptiorem invenies, quam trahendi. Hos. VII, 5. משך ידו את לוצצים *prehendit manu sua irrisores*, illis dextram porrigit, Job, V, 23. משך אבירים בכוחו *prehendit* i. e. adgreditur, invadit, *robore suo validos*, Jud. IV, 6. ומשכת בהר תבור *prehende*, i. e. *occupa Thaborum montem*. Ps. CIX, 12. מושך חסד *prehendens benevole*, sublevans lapsantem eique manum porrigens: Judic. V, 14. משכים בשבט הסופר *prehendentes baculum numerantis*, (eos nempe, qui militiae et bello leguntur, ac decimantur, ita ut decimum quemque baculo tangas) Ps. X, 9. במשכו ברשתו *cum prehendit*, i. e. capit, *eum reti suo*. Exod. XII, 21. משכו וקחו לכם צאן *prehendite et sumite vobis ovem*. Ps. LXXXV, 6. תמשך אפך *retinebisque iram tuam in generationem et generationem*. Judic. XX, 37. וימשך האורב *et cepit insidiator ac percussit totam urbem*. משך קשת vel ex alia constructione, משך בקשת, *prehendit arcum*, 1 Reg. XXII, 34. 2 Paral. XVIII, 33. Jes. LXVI, 19. Cum יובל aut קרן היובל constructum Exod. XIX, 13. Jos. VI, 5. est, *prehendere buccinam*.

Trahendi significationem, quam lexica omnia habent, neutiquam verbo denegavi: ad hanc etiam refero Jerem. V, 8. מַשְׁכִּים היו, sed aliis vocalibus, in quibus praeeuntes habeo veteres, instructum מֹשְׁכִים *extrahentes*, sc. genitalia, ut caballi coitus cupidi faciunt. Hieronymus ad hunc locum: *pro emissariis in Hebraico scriptum est, MOSECHIM, quod omnes voce consona ἕλκοντες, i. e. trahentes, transtulerunt, ut ostendatur magnitudo genitalium.* In Hexaplis quidem ἕλκοντες, quod ille ut omnium citat, sub Aquilae et Theodotionis nomine legitur, sub Symmachi, ἑλκόμενοι, *attracti?* ut a Montfauconio vertitur, an medie, *trahentes?* Paraphrastice Syrus ܙܢܝܐ *lascivi*, Chaldaeus, אגריסין, ἄγριοι, *efferi* libidine. Punctis masorethicis non favet grammatica, participium enim verbi השכים si esset, pluraliter משכימים scribendum, quod solus habet a prima manu codex Regiomontanus. Abenesra, ut ex Kimchii lexico disco, putabat *equos ex Meschech esse*, *cujus regionis equi sint optimi, et equarum cupidissimi:* quas ille vocales literis subjecerit, ignoro.

עם מְמֻשָּׁךְ Jes. XVIII, 2. 7. verterim, *populus excoriatus*, favetque quod sequitur, ומורט *et cui pili evulsi* sunt. Vide sequens מָשַׁךְ. Proximi, sed non plane iidem, Syrus, ܡܬܚܫܫܐ, *vexatus*, forte proprie,

cui

cui pili evulſi ſunt, (vide lex. Syr.) Chald. אניסא vim paſſus, Vulg. convulſus. Quid ſpectantes LXX ἔθνος μετέωρον verterint, non expedio: id quidem video, מַמְשֵׁךְ active punctatum eſſe poſſe, dominatorem, potentem, Arabibus enim مسك a tenendo eſt et, poſſe, quin et, quod in lexicis omiſſum, dominari: Graecum κρατήσει Prov. XVII, 2. Arabs reddidit, تُمْسِكُ السادة dominabitur domino.

1479. מֶשֶׁךְ Pſ. CXXVI, 6. corium, ſaccus ex corio. (Amos IX, 13.)

A trahendo, detrahendo, pellis, quae detrahitur animalibus, itemque corium, ex ea paratum, Syris ܡܫܟܐ Chaldaeis מַשְׁכָּא, ſeu ut in Jonathanis Thargum Geneſ. I, 27. ſcribitur מוֹשְׁכָא, Arabibus, مَسْكٌ. Hinc explicandum putem, Pſ. CXXVI, 6. מֶשֶׁךְ, corium, i. e. ſaccus ex corio, in quo ſeminans ſemen portat. Caeterum dupliciter Hebraica הלוך ילך ובכה נשא מֶשֶׁךְ־הַזָּרַע verti poſſunt: puncta ſi ſequaris maſorethica, it eundo et flet, portans ſaccum ſeminis, ſin reſcribas, הַזּוֹרֵעַ, it eundo ac flet, corium (ſaccum) geſtans, ſeminans.

Lexica noſtra quod habent, tractio ſeminis, ſumtum ex Chaldaeo, qui vertit, נגדא דבר זרעא tractio frumenti ſeminis. Lutheri verſio, und tragen edlen Saamen, ſumta ex Kimchio, qui משך in libro radicum יקר pretioſum interpretabatur. LXX et Syrus משך, forte obſcurius ipſis nec intellectum, in vertendo plane omiſerunt: pro Hebraicis enim, נשא משך הזרע habent, βάλλοντες τὰ σπέρματα αὐτῶν, Vulg. mittentes ſemina ſua, ܘܢܣܒ ܙܪܥܐ qui portat ſemen. Hieronymus liberius, atque ut vel ipſe in משך laboraſſe videatur, portans ad ſeminandum ſementem.

Quod ſi in pſalmo משך corium eſt, in quo ſemen portatur, eodem modo et accipiendum videbitur Amos IX, 13. mutatisque punctis reſcribendum בְּמֶשֶׁךְ calcator attinget ſaccum ſeminis, vel, ſeminatoris.

1480. מֹשְׁכוֹת vel מוֹשְׁכוֹת Job. XXXVIII, 31.

Initium verſus facile, ligasne funem Pleiadum? ſed difficiliora quae ſequuntur, אם מושכות כסיל תפתח aut Moſechoth Orionis ſolvis? Varie veteres, recentiorum enim ſententias ac divergia hic locus non capit. LXX Φραγμὸν

Φραγμὸν verterunt, incertum quo ſenſu, poſſit enim *Φραγμὸς* ſive *ſepimentum* ac *munimentum* eſſe, ſive *dentium ſeries*. Julius Pollux l. II. c. 93. σύμπας ὁ τῶν ὀδόντων στοῖχος, Φραγμός, *totus ordo dentium*, Φραγμὸς, *ſeptum*. Pulcrum hoc de bellua dictum, *dentiumne ſeriem et rictum aperire audes*, non de gigante, ut illi, ἢ φραγμὸν Ὠρίωνος ἤνοιξας, niſi interpretatione ſubveniamus. *Gyrum*, ſed Arcturi, habet Vulgata, Syrus, *gigantis ſemitam*: paulo veriſimilius Chaldaeus, *funes qui trahunt gigantem*, אשלין דנגדין נפלא. Hoc quidem etymologice veriſimilius, cum משך ſit trahere, Arabibusque مَسَكَ&c., ſive a trahendo, ſive a continendo, *compedes*. Ligatumne et captivum gigantem, Nimrodum, (Oriona) Orientalis fingebat mythologia?

Conjecturas has eſſe veterum, ipſe diſſenſus arguit: licueritne et meam addere? Sintne מוֹשְׁכוֹת idem, quod praecedens, מֶשֶׁךְ, *pellis exſuviae*? Pellem dextra manu geſtat Orion, quam nos *bovinam* dicere ſolemus: haecne pellis, novem ſtellas habens, pluraliter מושכות vocatur? Sententia: *poterisne giganti coeleſti*, *Orioni*, *pellem et exſuvias detrahere*? Caeterum qualis haec pellis ſit jam non diſputo: leonis quidem exſuviae magnum venatorem ac gigantem, melius decerent, quam bovis, ac forte illas ſuo Orioni mythologia Orientis tribuebat. Quid ſi idem voluerunt LXX, et *Φραγμὸν rictum* intellexerint, non ipſius Orionis, *ſed leonis*, cujus exſuvias geſtabat. Conjecturae forte oppoſueris, de exſuviis ſi ponatur, ut femininum praecedentis מֶשֶׁךְ, ſine Vau משכות ſcribendum fuiiſſe: ſupra jam monui et cum Vau, מוֹשְׁכָא Chaldaeos pellis nomen ſcribere; inque noſtro loco ingens lectionis varietas, quinquaginta codicibus Kennicottianis מְשֻׁכוֹת habentibus.

1481. מֶשֶׁךְ, vel מוֹשֶׁךְ, מֶשֶׁךְ *Moſchi* Geneſ. X, 2. &c.

Vide Bocharti Phaleg libr. III. c. 12. quaeque ei addidi in Spicilegii geogr. P. I. p. 50–55. Vix dubium, quin Moſchi ſint, inter Cappadociam, Colchos, Iberiam et Armeniam, ad Phaſin fluvium aut certe in ejus vicinia habitantes. Moſchicos montes invenies in Ptolemaei tabula Aſiae III, Phaſi ab occidente.

Cum duplici Saegol מֶשֶׁךְ ſcripſerunt maſorethae, at veteres duplex O habent, Μοσοχ Graeci, *Moſoch* Vulgata, Joſephus Ant. I, 6, 1. ex conſveta certe lectione Μόσοχος et Μοσοχηνοί: haecque adpellatio veriſimilior, cum Graecis Latiniſque *Moſchi* non *Meſchi* ſint. Samaritani adeo

adeo cum Vau ſcribunt, מושך, ſeu, ut in novem codicibus invenit Kennicottus, מושך.

Quid ſit, quod Pſeudojonathan אוסיא interpretatur, de eo in ſpicilegio diſputatum p. 47. 48. nec poenitet ibi dictae ſententiae, אנסיא *Unnoſcje*, (Hunni) reſcribendum. Vide lex. Syr. p. 221. Nec tamen diſſimulandum, poſſe et *Aſiae* nomen Colchis ut proprium commodari, ſi, quae apud Stephanum de urbibus p. 471. poſt, Μόσχοι, Κόλχων ἔθνος, προσεχὲς τοῖς Ματιηνοῖς, ſequuntur, Ἑκαταῖος ΑΣΙΑ, demto quod ei dederunt editiones Jota ſubſcripto, ita intelligas, *Hecataeo vocari hanc regionem Aſiam.* Aſiaticos Chaldaicum אוסאי Pſ. CXX, 5. in Polyglottis vertit Latinus interpres. Sed diſplicet.

Loco quem vix dum dixi, Pſ. CXX, 5. in גרתי משך, *peregrinus ſum inter Moſchos*, ſolus ex veteribus Chaldaeus pro nomine proprio habuit: reliqui omnes, LXX, aliqui in Hexaplis anonymi Graeci, Syr. Hieronymus in ſua verſione, pro adpellativo, ut *longum ac diu protractum tempus* ſignificet. Horum ſententia placuit Bocharto, p. 184. Phalegi: pleriſque recentiorum prior, quam et meam eſſe profiteor. Duorum populorum, Moſchorum et Cedarenorum, non ob viciniam eorum, ſed quod maxime ſunt barbari, nomina componuntur. In Ezechiele quoque c. XXVII, 13. pro adpellativo habuerunt LXX. verteruntque, τὰ παρατείναντα, hic quidem ſine dubio male, quod plane ut Geneſ. X, 2. trium populorum nomina יון תובל ומשך componuntur.

Ob hanc ipſam cum תובל compoſitionem Jeſ. LXVI, 19. mallet Lowthus pro משכי קשת Moſchos habere, praeeuntibus LXX, καὶ Μοσὸχ, καὶ Θοβὲλ, lectionemque mutare, quod equidem nullo codice aut verſione alia ſuffragante facere non auſim. Credo tamen, de Moſchis loqui prophetam, eosque cum alluſione ad eorum nomen proprium, משכי קשת *arcitenentes* vocare. Vide bibl. Or. Adpend. T. XIV. p. 223.

1482. משל *ſimilis fuit*, *dominatus eſt.*

Duo hic, origine ut videtur diverſa, verba diſtinguenda,

1) pluribus linguis Orientalibus commune, ſed ita, ut pro ש aliae ת ponant, *ſimilis fuit.* Habent cum Hebraeis Abeſſini per ש, משל, Aramaei per ת ſcriptum, מתל, ܡܬܠ, ac medii, ut ſolent, inter utrosque Arabes, مثل.

2) Soli linguae Hebraicae proprium, ſed antiquum, jamque in Moſe obvium, משל *dominari*, reliquis linguis orientalibus omnibus, ipſi

 adeo

adeo Rabbino-Chaldaicae ignotum. Habent quidem et Arabes مسل ac مشل sed aliis plane significationibus, مسل in oct. idem quod سلّ *e vagina eduxit*, *strinxit ensem*, et مشل, *gracilis fuit*, *evaginavit ensem*, utrumque sine exemplo in lexicis Arabicis positum. — Ergo, aut reliquis linguis Orientalibus plane periit, aut, quod potius reor, est exoticum, jam ante Mosen ex alia lingua, non cognata, in Hebraicam invectum.

Has quidem diversas significationes arte alii etymologica in concordiam cogunt, quos non excerpo: vide Stockii et Simonis lexica, quemque hic sequitur, Schultensium, locis ab ipso citatis. Mihi ejusmodi artificia suspecta, et vero hic maxime, cum nulli praeter Hebraicam linguae cognatae משל sit, *dominari*.

1483. מָשָׁל, *poema*, *sententia aurea*, *exemplum*, *poena exemplaris*, *proverbium*.

Proverbium plerumque explicare solent, aliqui etiam ad *dominandi* significationem referentes, ut sit *dominans sententia*. Equidem nolim negare, aliquando et proverbium מָשָׁל dici, plerisque tamen locis haec significatio parum apta. Mihi ita videtur. A משל *similis fuit*, dicitur,

1) מָשָׁל, *poëma* generatim, quod est figurata oratio. Sic de sublimi carmine ponitur, nihil omnino proverbiale habente, Num. XXIII, 7. 18. XXIV, 3. 15. Jes. XIV, 4. Ps. XLIX, 5. unde et Numer. XXI, 27. מֹשְׁלִים *poetae*, grandisonum canentes epinicium: nisi forte hic quoque nomen, in Hebraico et Samaritano textu sine Vau scriptum, lubeat הַמְּשָׁלִים efferre, *propterea dicunt carmina*, ita ut liber aliquis carminum, epiniciorum maxime citetur. Nec ignoro, his ipsis locis jam veterum non paucos *proverbia* vertere: sed tuis ipse oculis judica, possintne illa carmina prophetica, epinicia, didactica sed sublimia, invectiva, proverbia dici.

2) Restrictiorem significationem habet, alii carminum generi, שִׁיר, oppositum, 1 Reg. V, 12. ubi Salomon 3000 משל, atque 1050 שיר locutus dicitur. Nec hic quidem sunt, ut vulgo vertuntur proverbia, sed breves sententiae morales, sententiis Pythagoraeorum aureis simillimae. Proverbia populi sunt dicta et sententiae, aliquid populare habentes, minus Salomonaeis elegantia, nec unius hominis est,

ali-

aliquot millia proverbiorum huic sententiarum populi plebisque collectioni addere. Caeterum *Proverbiorum* nomen liber Salomonis accepit ex ambiguo παροιμίαι, quod LXX in vertendo ejus titulo c. I, 1. posuerunt. Potest illud et *vulgariter dicta*, tanquam de via sumta, significare, ab οἶμος, *via*, et, ut habet Svidas, λόγον ἀπόκρυφον, δι' ἑτέρου προδήλου σημαίνοντα, sicque et hic accipitur, et Sirac. XXXIX, 3. ἀπόκρυφα παροιμιῶν ἐκζητήσει, καὶ αἰνίγμασι παραβολῶν ἀναστραφήσεται. Vide Svidam sub παροιμία, et Sviceri thesaurum. In novi foederis tabulis plane pro similitudine, aenigmatis aliquid et reconditi habente, ponitur, Joh. X, 6. XVI, 25. 29.

3) Deut. XXVIII, 37. 1 Reg. IX, 7. his accedo, qui *exemplum, exemplum poenae*, vertunt. Fateor, proverbium his locis non ineptum, sed משל componi video cum שנינה, quod infra exemplum interpretabor.

1484. מושל *dominus*.

In Proverbiis et Coheleth saepe in malam partem ponitur, fere, ut τύραννος, quod cum olim bonorum etiam regum nomen esset, tyrannis sensim proprium evasit. Vide et expende Proverb. XXIII, 1. XXVIII, 15. Cohel. IX, 17. X, 4.

Ex lectione, quam in versione germanica et biblioth. Or. Adpend. ad T. XIV. p. 7–11. praetuli, quaeque postea Kennicottianis et Derossianis exemplis magis confirmata est, אשלח בר מושל הארץ Jes. XVI, 1. *mittam filium dominatoris terrae profugum et per deserta errantem a Petra ad montem filiae Sionis*, is qui tum Moabitis praeerat, non rex dicitur, sed מושל הארץ dominator terrae. Idne signanter et proprie, ut *dominus* (τύραννος) *regi* opponatur? Apud coaevum Jesaiae Amosum, c. II, 3. Moabitae non regem habent, ut paulo ante memorati Ammonitae, sed שׁוֹפֵט *judicem*; hic ergo מושל vocari videtur.

1485. מֶשֶׁק Genes. XV, 2. Jes. XXXIII, 4.

Perquam obscura verba Genes. XV, 2. ובן משק ביתי LXX pro nomine proprio habuerunt, sive servi, sive ancillae, ὁ υἱὸς Μασὲκ τοῦ οἰκογενοῦς μου, vel secundum alios, τῆς οἰκογενοῦς μου, *ego liberis careo, contra sive servo meo sive ancillae MESEK filius est Eliezer:* quo in nomine allegorice interpretando atque ad somnia sua philosophica adcommodando ludit Philo, in libro, *quis rerum divinarum heres*, T. I. edit. Mangeyanae p. 478. 479. *Osculum* vult significare, ad נשק referens.

 Plane

Plane omittit Syrus, non, quod non legeret, sed quod interpretationem desperaret, simpliciter vertens, *filius domus meae*, et ut praedicatum supplens, ܗܘ ܝܪܬ ܠܝ *est heres mihi.*

Aquila pro מַשְׁקֶה positum existimans, υἱὸς τοῦ ποτίζοντος οἰκίαν μου, forte ποτίζοντος nomine *dispensatorem* intelligens. Parum verisimiliter: in terra, ubi aqua potus servis, maxime inter Nomades, vino non multum utentes, dispensator servus non recte a potu, sed melius a cibo et demenso diceretur.

Primarium plerique servum intellexerunt: Theodotion, τοῦ ἐπὶ τὴν οἰκίαν μου, Vulg. *procuratoris*, quod nomen Hieronymus in Quaestionibus in Genesin, *villicum* interpretatur, Saadias ذو قياد منزلي *tenentis habenam domus meae*, Samaritanus, מדבר ביתי *regentis domum meam.* Possit quidem, aliis vocalibus instructum, מַשֶּׁק hoc significare, a نسق *ordinavit*, bonaque sic prodit sententia, plerorumque recentiorum conjecturis melior, *filius procuratoris domus meae est hic Eliezer.*

Alius in Hexaplis, ὁ συγγενὴς τῆς οἰκίας μου.

Recentiores fere vertunt, *hereditatem (filius hereditatis domus meae)* volentes משק esse *hereditare*, et probationem adferentes locum aeque obscurum Sophon. II, 9. de quo deinde. Haec quis praeferat sententiis veterum collata?

Schultensius de *defectibus linguae Hebraicae* p. 35. vertit, "filius *pectinationis* domus meae", ex مشق quod inter alia est, *pexuit* (idem cum مشط) quem ille significatum primum facit. Non placet: est obscurum, novoque commentario indiget, *filius pectinationis*, ac potius convicium iracundi, quam vox ejus, qui hereditatem Eliezero destinaverat. Plerumque quidem مشق idem est quod مزق *laceravit*, unde fortassis et aliae significationes, ut *confodiendi, verberandi, rapiendi* ortae.

مَشَقَ inter alia est, *voravit meliores partes pabuli*, nempe relicto et spreto reliquo pabulo, indeque مَشْقٌ *comesio lenta lenisque.* Hac forte retulit Maurus, vertens ابن مُوقة داري *filius commeatus domi meae.* Sic foret, *alumnus domus*, ac forte cum aliqua emphasi, *nutritus optimis ac delicatissimis, quae domus mea habet.* Non displicet.

Mihi quidem pagina 453. משק *properus* et *diligens* esse videbatur, a مشق *deproperavit.* Obvertas forsitan, de ictu solum poni, esse enim

in

in lexico, *deproperavit ictum:* verum et ad alia pertinet, integra enim lexici verba sunt, *celeriter hasta fodit, verberavit, consuit, scripsit, et, deproperavit ictum, &c. constructum cum adcusativo.* Sententia, cum adcusativo *ictus, consuendi, scribendi* constructum, deproperationem notare. Certe مشق, quod lexica cum مشق conferre solent, in conjug. 3. est, *praevertere studuit in cursu,* unde مشاق *valde velox.*

Ex مشق, *voravit,* lucem accipit Jes. XXXIII, 4. כְּמַשַּׁק גֵּבִים *ut vorant locustae avide in praedam irruent.*

1486. מִמְשַׁק Sophon. II, 9. *laceratio?* an, *comestio?*

Vocabulum perquam obscurum ad nostram radicem si referas, et sequens חרול *urticam* interpreteris, erit,

1) sive a مشق lacerare, *laceratio paliuri,* i. e. terra paliuris obsita, ut per eam euntes spinis lacerentur et vulnerentur: sive

2) a مشق comedere, vorare, *comestio paliuri,* i. e. desertum paliuro obsitum, nihilque alimenti praeter paliurum praebens. Nempe paliuri et in cibo potuque usus: Diodorus Siculus l. V. §. 41. de Arabibus. *τοῦ παλιούρου συλλέγουσι τὸν καρπὸν, καὶ χρῶνται βρωτοῖς καὶ ποτοῖς.* Idem de Troglodytis Africae, l. III. §. 32. *ποτῷ μεν οἱ ἰδιῶται συγχρῶνται παλιούρων βρέγματι,* ac Strabo l. XVI. p. 1122. summa: *ποτὸν τοῖς μὲν πολλοῖς, ἀπόβρεγμα παλιούρου.* Sententia, *vulgus troglodytarum aliquo cervisiae genere uti, ex paliuro coctae.* Ambigo inter utrumque, posterius tamen verisimilius. At magna hic veterum diversitas, meris de ignoto vocabulo conjecturis usorum, quarum nullam usus reliquarum linguarum Orientalium firmat. LXX *Δαμασκὸς, Damasci* nomen habent, aut דמשק legentes, quod tamen in nullo hucusque codice inventum, aut cum, quid ממשק sit, ignorarent, ita legendum conjicientes. Qui interpretari ausi, habent,

3) Syrus, ܐܝܟ ܕܢܨܒܬܐ ܡܚܒܠܬܐ *quarum planta corrupta est.* Nempe חרול generatim de plantis accipiebat vilioribus. Sententia, in vicinia Sodomorum non nisi plantas corruptas provenire. Mera conjectura, nulli enim linguarum Orientalium משק id significat.

4) Hieronymus, in commentario T. III. pag. 1662. literis latinis MAMASAC scribens, *siccitatem* interpretatur, hocque ut indubium sumit: *siccitas apud Hebraeos dicitur MAMASAC.* Hinc et Vulgata habet,

bet, *ficcitas fpinarum.* Audierat, opinor, a magiftro Judaico, fed mera eft conjectura, nullo ufu firmata.

5) Chaldaeus משמט *derelictionem* vertit, i. e. cum ager incultus relinquitur. Jofephus Kimchius, ut filius ejus in libro radicum teftis eft, עזיבה *derelictionem* interpretabatur, hincque et Genef. XV, 2. משק בית *fervum cui tota domus relinquitur*, i. e. ejus *fidei concreditur.* Sumferat nimis credulus ex Chaldaeo, nihil ejusmodi linguis Orientalibus habentibus.

6) Rafchio משק eft *vocem* vel *fonum edere*, et ממשק *ftrepitus.* Mera conjectura, omni ufu linguarum deftituta.

7) Recentiorum non pauci, *difcurfatio*, ad radicem שוק vel שקק vocabulo relato; plane contra grammaticam: unde enim duplex Mem? a radice שקק fieri potuiffet, משק, non ממשק! et quae phrafis, *difcurfatio paliuri?* Haec quidem interpretatio ex reliquis omnibus minime bona vel probabilis.

1487. משורה Levit. XIX, 35. 1 Paral. XXIII, 29. Ezech. IV, 11. 16. *divifio.*

Primo ftatim loco a *menfura* et *pondere* diftinguitur, ut neutrum ex his effe poffit: *non facietis injuftum in judicio* במדה ובמשקל ובמשורה *in menfura, in pondere et in* משורה. Mihi quidem *divifio* effe videtur, ab Arabico مَشَّرَ *divifit*, ea nempe, quae nec pondere fit, nec modio, aut alio menfurae inftrumento, fed fola oculorum menfura, aut aeftimatione, aut diffectione in duas partes, ut, cum butyrum ferra et funiculo partimur. Jam lucebit Levit XIX, 35. *non facietis injuftum, in judicio, in menfura, in pondere, in divifione cujuscunque generis.* Ezech. IV, 11. 16. aqua bibetur, fexta pars Hini per diem, במשורה *divifione*, i. e. ita ut non ftatim ebibant, fed in plures, toti diei fuffecturam, partes partiantur.

Plerique non recentiorum folum, fed et veterum, *menfuram* verterunt, ut Vulgata ubique, Chaldaeus ubique, Syrus in Levitico et Ezechiele, uterque in Pentateucho Arabs (مكيال Saadias, Maurus كيلة) LXX in Ezechiele et Paralipomenis, fed jam dixi, quid obftet, a מִדָּה menfura diftingui. Ab hac ergo quomodo differt? Kimchius volebat, משורה *menfuram parvam* effe, מדה *majorem.* Rafchi ad Leviticum,

משורה

מְשׂוּרָה *mensuram esse rei liquidae et aridae*, ita ut מִדָּה ei relinquat, quae cubito fit: utrumque nullo linguarum usu, ac ne etymologia quidem suppetias ferente. — — LXX Levit. 19 de bilance acceperunt, בַּמִּשְׁקָל וּבַמְּשׂוּרָה vertentes, ἐν σταθμίοις, καὶ ἐν ζυγοῖς. Bona fateor conjectura, sed cui nihil opis reliquae ferunt linguae Orientales.

مَشَّرَ *divisit*, estne denominativum a مِنْشَارٌ Hebr. מַשּׂוֹר, *serra?* Sic proprie foret, *divisio quae serra fit*, sed ad alia quoque divisionis genera translatum, scribendumque מַשּׂוֹר. Hasne vocales codices habent?

1488. מְתִים *homines.*

Sine punctis masorethicis si quis nomen legeret, מֵתִים adpellaturus erat, atque interpretaturus, *mortales*. Equidem nullam caussam video, qua ducti aut coacti punctatores literae Mem Schva subjecerunt: ergo מֵתִים *mortales* praetulerim.

Conferebat Jobus Ludolphus pag. 639. lexici sui Aethiopici Habessinorum מת (cum vocali brevissima, quam Hebraice exprimere nequeo) *vir*, cujus pluralem Hebraicum מְתִים volebat esse, *viri*, i. e. *homines*. Hunc plures sequuti, in quibus et ego fui, sed jam et a Jobo Ludolfo et a me ipso discedo מת Aethiopicum non, *vir*, generatim, sed, *maritus*, unde et feminine sponsa ac desponsata dicitur. Vide Castelli lexicon Heptaglotton pag. 2166.

Simonis Arabicum مَطْوٌ *socius* confert, quod nihil ad rem, aliis enim literis מטו scribendum: addit et مَتَّ *propinquitatem quaesivit vel inivit*, cum Aethiopico, מת forte cognatum, at quid illud ad Hebraicum מְתִים per Schva scriptum? A vocalibus si recedendum, quidni potius מֵתִים *mortales* praeferimus, nomen hominum in omnibus, quas novimus, linguis usitatum? Sed his ille lusibus etymologicis מְתִים vult esse, *homines in societate viventes*.

Vult Coccejus emphasin aliquam habere nomen, et notare *homines aliqua conditione et qualitate aut conjunctione nobiles*. Id quidem mihi intelligere non datum, potius alicubi contemtim poni videtur, ut Jes. XLI, 14. מְתֵי יִשְׂרָאֵל, cui in praecedente membro respondet, תּוֹלַעַת יַעֲקֹב, *vermis Jacob*. In frequente certe compositione, מְתֵי מִסְפָּר *homines pauci*, מְתֵי שָׁוְא et מְתֵי אָוֶן, *homines vani*, honoris nullam significationem habet.

Deu-

Deuteron. II, 34: מְתִם, sed defective ac sine Jod scriptum, *viros solos significare*, feminisque et impuberibus opponi videtur: *anathema fecimus illos, omnes urbes*, מְתִם וְהַנָּשִׁים וְהַטָּף *viros, mulieres et impuberes:* quod enim alii habent, secundum accentus, *urbes hominum*, displicet, cum urbes bestiarum, quibus illas opponamus, sint nuspiam.

Pro מְתִם Jud. XX, 48. duodecim codices Kennicottiani מתים habent: ita huc referendum, vertendumque, *homines, usque ad jumenta.* Asperior tamen ibi constructio, et multiplex interpretatio, de qua hic disputare non vacat.

1489. מתח *extendere*, Jes. XL, 22.

Sola ex linguis Orientalibus habet Syriaca, cui est, *extendere.* Vide lex. Syr. Retinuit et hic interpres Syrus. Arabibus متح *extraxit aquam ex puteo.*

1490. מתק *dulcis fuit*, et transitive, *comedit, suxit.* Job. XXIV, 20.

Intransitiva verbi מתק significatio, *dulcis fuit*, nota, vix tamen apta loco Jobi, XXIV, 20. מְתָקוֹ רִמָּה, ut enim anomaliam generis taceam, quae transitivam non minus quam intransitivam significationem premit, quae sententia: *dulcis est ei vermis?* cui mortuo dulces esse vermes vel audacissimus poeta canere possit? Dulcis quies, dulcis ipsa in prima elementa resolutio, putrefactio, non vermes.

Anomaliam ergo generis si negligere audeas, transitive potius verterim *ut dulcem cibum, i. e. avide devorat eos vermis*, ita ut מתק sit, *dulcia comedere.* Sic transitive Syris ܡܨܨ est *sugere*, ut, dulcia matris ubera. Ipse Syrus interpres ܡܨܨ hic ut transitivum posuit, ܡܨܨܐ ܐܢܘܢ ܪܡܬܐ, idque vertit Arabs أَمْتَصَّهُمْ *exsugit eos vermis.* Equidem non proprie mallem, *exsugere*, quod vermium non est, sed *dulci cibo frui.* De anomalia generis hic non disputo, quod alius loci est: unum moneo, nomina animalium saepe generis communis esse, ipsumque רִמָּה Jes. XIV, 11. masculini.

1491. מתושלח *Mathusala.*

Introductionis in Vet. Test. pagina 287. 288. cum disputarem, nomina Hebraica virorum ante diluvium, non ea ipsa esse, quibus dum viverent

verent vocabantur, (Hebraicam enim linguam jam ante diluvium viguisse, parum verisimile) sed partim cognomina ab historicis ex fatis patriarcharum indita, forte aliquid traditionum historicarum ante libros scriptos, continentia, promisi, in Mathusalae exemplo me hic explicaturum, non quid significet, (tam enim audax non sum) sed quid significare possit. Debitum exsolvo. In commentatione de *chronologia Mosis ante diluvium* §. XI. p. 142. monui, Methusalae mortem, ut et Jaredi ac Lamechi, ex Hebraici textus chronologia in ipsum annum diluvii incidere, videri ergo posse, illos, monita Noachi spernentes, ejusque navigio uti nolentes, fluctibus mersos periisse. Videtur adeo aliqua apud Arabes aut traditio aut explicatio viguisse, aliquem ex majoribus Noachi indignum qui servetur haberi: sic enim Sur. XXIII, 28. Muhammedes deum praecepisse Noacho, tradit: *ingredi fac omnium animalium duo paria, et familiam tuam, praeter illum de quo jam praecessit dictum his de rebus*, (quem jam praedixi, non servandum ab internecione esse) *nec deprecare pro iniquis; omnino submergendi sunt*. Ab ejusmodi fato nomen מתושלח duci potuerit, sive explices, *percussum telo*, i. e. *fulmine*, a مَتَّ et مَتَّ *percussit*, et שלח *telum*, sive *mortis immissionem*: quamquam posterius etiam possit significare, *mortuum opportune*, *atque morte naturali dimissum ex generis humani internecione*. Sic quidem Bochartus in Phaleg pag. 53. lin. 13. Horum utrum sumas, ex fatis viro datum sive laetum sive triste cognomen.

Ἐξαποστολὴν θανάτου *emissionem mortis*, Philo vertebat, sed mysticas addens et artificiosas explicationes, T. I. p. 233. 234. 239. Hieronymus in suo, de interpretatione nominum Hebr. libro, (T. II. Benedict. Edit. p. 9.) *Mathusale, mortis immissio, vel, mortuus est et interrogavit*. Posterius ad nomen מְתוּשָׁאֵל Genes. IV, 18. memoriae ejus oberrans et cum Methusala confusum pertinere videtur, sic scriptum, מְתוּשָׁאֵל. In Graecolatino libro, p. 223. Hieronymus habet, *mortuus est et misit*, (מְתוּשֶׁלַח) Eusebius, θανάτου ἀποστολή, ἤ, ἀπεσταλμένος, in quorum verborum versione latina cum Martianaeus erraverit, aliam dare liceat: *mortis missio*, *aut*, *mors missa* Ante ἀπεσταλμένος subintelligendum, θάνατος. Quid sibi pag. 262. velit, sub Eusebii nomine positum, διὰ πρόσωπον λαλήσας, non adsequor.

1492. נֹא, et נא אמון, *Diospolis, Thebae Aegypti.* Ezech. XXX, 14. 15. 16. Jerem. XLVI, 25. Nahum. III, 8.

Metropolis Aegypti, cujus nomen non nisi in Nahumo, Jeremia et Ezechiele legitur. Plenius dicitur נא אמון, NO *(Jovis) Ammonis* Nahum. III, 8. ejusque dei omisso nomine, נא Ezech. XXX, 14. 16. Praescitu necessarium Ezech. XXX, 14, unum Kennicotti codicem, versuque 16 octo, נֹף *Memphin* habere, alius plane urbis nomen, de quo num. 1438. egimus.

LXX, in geographia Aegypti optimi auctores ac fide dignissimi, Ezech. XXX, 14. 16. Διόσπολιν verterunt, i. e. ut alio nomine dicuntur, Thebas Aegypti, ingentem olim urbem, ac jam Homero celebratam, inque Nahumo, μερίδα Ἀμμὼν *portionem Ammonis*, nempe quod urbs Jovi Ammoni sacra, a quo et Graece Διόσπολις vocatur, et qui Diodoro Siculo l. I. §. 52. ὁ θεὸς ὁ μάλιστα ἐν Θήβαις τιμώμενος, §. 62. ὁ ἐν Θήβαις Θεὸς, vocari creditur. Alibi si aliter verterunt, varietati id lectionis, non ipsorum dubitationi tribuendum: Ezechielis enim XXX, 15. *Memphin* vertentes, sine dubio נֹף legerunt, et Jerem. XLVI, 25. ubi Ἀμμὼν τὸν υἱὸν αὐτῆς, perquam obscura habent sententia, אמון בנה pro אמון מנא. His quidem accedo: videtur NO veterum Aegyptiorum lingua, μερίδα, *portionem* significasse, literarumque Copticarum periti, ut Jablonskius de stella Rempha p. 23. Copticum NOH in subsidium vocant. Significat illud *funiculum*, (vide la Crozii lexicon Copt. p. 63.) unde portio alicui fune attributa recte dici potuerit.

Opposuit Diospoli Hieronymus in commentario ad Ezechielem, *parvam esse civitatem*, in quo egregie fallitur, nescio de qua ignobili Diospoli, plures enim ejus nominis urbes habet Aegyptus, cogitans, magnamque et primariam non videns. Stephanus de urbibus: Διὸς πόλις, ἡ μεγάλη πόλις τῆς Αἰγυπτίας Θηβαΐδος, ἡ λεγομένη, Ἑκατόμπυλος. — — Εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι μικραὶ ἐν Αἰγύπτῳ τέσσαρες. *Diospolis, magna Aegyptiae Thebaidis urbs, cognomine, centum portas habens. — — Sunt vero et aliae in Aegypto parvae quatuor.* Vide *Forsteri* ad me literas p. 25. Opposuerunt alii, quod Nachumus fossam NO AMMON mare dicat esse, Thebae sint a mari remotissimae: sed, *mare*, ibi Nilus, ad quem Thebae sitae. Vide pag. 1083. 1084.

Syrus nomen, ܢܐ scriptum, retinere solet, manifestum enim vitium librariorum, quod Nah. III, 8. legimus, ܡܢ ܢܐ ܕܐܡܘܢ ex Grae-

cia

cia Ammonis. Scripserat sine dubio, ܢܐ ܕܐܡܘܢ. Memphis, quam ex alia lectione LXX aliquando habere dixi, Hillero placuit. Mihi quidem haec Ezech. XXX, 16. legenti, נא תהיה להבקע ונף צרי יומם, NOPH Memphis, a NO distingui videtur. Chaldaeus ubique Alexandriam vertit, nempe quod haec illius tempore metropolis esset Aegypti, magna sane historiae ignorantia, tempore enim Nahumi, Jeremiae, Ezechielis, Alexandria nulla, ab Alexandro demum condita. Portum, et vero unicum bonum, Aegypto jam tunc natura dederat, sed uti nolebant Aegyptii, commercia extera refugientes, ac maxime escensiones Graecorum veriti. Nec urbs ibi erat, sed vicus Rhacotis, postea pars Alexandriae: huic praesidium imposuerant, arcendis exteris. Strabo L. XVII. p. 1142. Ex Chaldaica versione error ad Judaeos dimanavit, Hieronymus eum a suo magistro accepit, Vulgataeque versioni intulit.

Judaeos ita errare potuisse, historiae exterae imperitos, non mirum: at Hieronymo, viro certe doctissimo, Alexandriam et vero jam metropolim Jeremiae tempore habenti, adstupeas. Vide, quo modo quaque arte errorem ornet! Ipsa ejus verba ex commentario in Ezechielem describam: *pro NO, nescio quid volentes, LXX dixere Diospolim, quae Aegypti parva est civitas.* (Nempe magnam Diospolim, suo tempore jam deletam, atque cujus adeo praedicunt interitum prophetae, ignorabat: de Thebis non poterat non audivisse, sed ignorabat forte, illas et Diospolim vocari.) *Nos autem pro NO Alexandriam posuimus, per anticipationem, juxta illud Virgilianum, Laviniaque venit litora.* Idem in commentario in Nahumum: *Hebraeus, qui me in scripturis erudivit, ita legi posse asseruit, "num quid melior es quam No Amon," et ait, Hebraice dici Alexandriam, Amon autem multitudinem, sive populos* (*), *et esse ordinem lectionis: num quid melior es Alexandria populosa, seu populorum. Non quod eo tempore Alexandria vocaretur, quippe quae longo post tempore ab Alexandro Magno nomen accepit, sed quod sub nomine primo, id est, NO, semper Aegypti metropolis fuit.* (Hoc quidem falsissimum, nulla enim Pharaonum tempore ibi metropolis, ubi Alexandria deinde condita, sed Rhacotis, vicus) *Denique qui res Alexandri tradiderunt, principem eam*

fuisse

(*) En fontem erroris consvetum Judaeis, eorumque discipulis. Exotica ad Hebraicam originem referebant, ipsum *Ammonem* Aegyptiorum, idque ut fieri posset, permutationibus literarum utebantur, ut אמון idem fieret, quod המון *multitudo.*

fuisse Aegypti autumant. (Hi, quinam?) *Sed et propheta Jeremias, Amon, sive NO, Alexandriam intelligens in visione contra Aegyptum, haec manifestius addit: confusa est filia Aegypti, tradita in manus populi Aquilonis. Ecce ego visitabo super AMMON MENNO, i. e. super tumultum de Alexandria. Amon enim, ut diximus, populus, Men praepositionem, DE, significat, NO, Alexandriam.*

Forstero in epistolis ad me scriptis, p. 26–28. *No-Amon*, quod *habitabilem locum Ammonis* interpretatur, tota Aegyptus. Lectores ad illum ablego: mihi tamen et Graeci interpretis potior auctoritas, et urbis nomen locis in quibus NO occurrit aptius videtur.

In solo adhuc Jeremiae loco laboratur, molestumque est, מ nomini praemissum: hoc enim quid est, *animadvertam in Amonem* מנא, *ex Diospoli.* Deum Diospolitanum plerique intelligunt recentiorum, is vero *Deus*, non *ex No*, sed *in No*, dicendus fuisset. — — Suspicarine liceat, בנא scriptum fuisse? Nullus quidem ita codex, at LXX, in Jeremia graviores quam alibi testes, cum Beth legerunt, בנה verteruntque, obscura sententia ac parum probabili, ἐκδικῶ Ἀμμῶν, τὸν υἱὸν αὐτῆς, ἐπὶ Φαραὼ, *ulciscar Ammonem, filium Aegypti, a Pharaone.* Hoc ergo, quod dant, ב accipio: atque adeo, si tota lectio sumenda, בְּנֹה efferrem, Ammonemque in NO, Diospoli, cultum, intelligerem. Multiplex certe nominis exotici scriptio, נא, נוא, semel, Jerem. 46, ex uno Kennicotti codice, נו, in Syriaca versione plerumque ܢܘ: potuerit et bene, per He scribi, cum Copticum, NOH, in H desinat.

1493. נְאֻם *oraculum*, hinc נָאַם *identidem dixit* נְאֻם.

Nomen Hebraeis frequentissimum, sed reliquis linguis Orientalibus hac significatione ignotum. Habent tamen Arabes, نأم ac de *anhela, stridula, submissa, mussitante voce* ponunt: hincne dicta oracula, quod ejusmodi voce edi a quibusdam solerent, maxime quidem ab impostoribus? sed in his vocabulum ortum, ad omnia verorum etiam prophetarum oracula transferri potuit. Easdem cum نأم significationes نغم quoque habet.

Denominativum, *identidem* נאם *dicere*, ἅπαξ λεγόμενον, Jerem. XXIII, 31. ex varia lectione, unius modo codicis, sed antiqui, quem seculo XII scriptum arbitratur Kennicottus, (4) recurrit Zachar. X, 2. הבל ינאמון

יכאמרן *vanitatem oraculis effundunt*, כאם כאם *dictitantes*, *vana loquuntur*. Bona omnino ſententia, ſed nullus veterum interpretum ita legit.

1494. כאף *moechatus eſt*.

Praeter Hebraicam, cui verbum frequens, raro hac ſignificatione habet lingua Chaldaica Rabbinorum, non vernacula, ut, Jeſ. LVII, 3: reliquae omnes linguae Orientales ignorant, ipſa adeo Samaritana. Arabibus قَأْف inter alia eſt, *ſitim explere*, hinc dictum Hebraeis putem adulterium. — — Caeterum ex uſu linguae Hebraicae, atque jure Moſaico, כאף non eſt, *concubitus mariti cum innupta, virgine, ancilla, meretrice*, *ſed*, *ſolus cum nupta*, *uxore alius*, *concubitus*. Vide plura in jure Moſaico §. 259.

1495. כאץ *ſprevit*.

Verbum Hebraeis prope peculiare, cui nihil opis reliquae ferunt Orientis linguae. Ignotum Arabibus, Aethiopibus, Syris: rarum Chaldaeis, ut diſces ex Buxtorfio, verbum ſine exemplo, כְּיאוּצָא nomen ex duobus modo locis, 2 Reg. XIX, 3. Jeſ. XXXVII, 3. ponente. Ut Samaritanum poſuit Caſtellus, exemplum addens, יכהואץ כריה *contemnit theſaurum*, quod quidem ad quam radicem referendum non liquet. Nuspiam certe habet interpres Samaritanus ubi כאץ in Pentateucho occurrit, Num. XIV, 11. 23. XVI, 30. Deut. XXXII, 19. ſed ſemper, בחר *contemnere*, proprie, *poſtponere* vel *rejicere*, vertit. Ad ſolum ergo filum orationis, et veteres interpretes omnia hic redeunt, qui ipſi diſcordes. Longum, omnia excerpere, ac chartae illudere, exempli cauſſa modo pono quae in his Pentateuchi locis habent:

παροξύνειν tribus primis locis LXX, atque ſic, ut ex Trommio diſces, decies omnino et quater verterunt. Deut. 32. ubi eſt in Kal, verterunt, ἐζήλωσε. Hi ergo verbo, *iraſcendi*, et tranſitive *ad iram provocandi* dederunt notionem. Sic et Maurus ubique, غضب, Onkelos et Syrus tribus primis locis ארגז, ܐܪܓܙ *ad iram provocare*, in Deuteronomio, תקיף, et ܪܓܙ *iraſci*: Vulgata in Deuteronomio, *ad iram concitatus eſt*. Solent et in aliis libris Symmachus et Theodotion, παροξύνειν vertere. Ergo, ſi auctoritatum numero ſtandum, haec notio, in plura lexica recepta, facile vicerit. At cum haud paucis locis, *contemnendi*, *ſpernendi*, ſignificationem prope poſcentibus, Prov. I, 30. V, 12. XV, 5. Jeſ.

Jes. LII, 5. Ps. LXXIV, 18. Jerem. XXXIII, 24. Thren. II, 6. 2 Sam. XII, 14. parum apta sit, solaque interpretum auctoritate aut conjectura nitatur, nullo linguarum usu, abdicanda, hisque interpretibus relinquenda. — — *Detrahere*, habet Vulgata Num. XIV, 11. 23. Aquilam, sic vertere solitum, ut videtur, sequuta: c. XVI, 30. *blasphemare*. Utrumque ad *contemnendi*, quam vix dum praetuli, notionem redit, *contemtim de deo loqui*. — — Saadias in Numerorum libro ubique ܐܬܥܨܘ *immorigeri sunt*.

Vix dum indicavi loca, quibus sola spernendi, contemnendi, significatio apta, eamque haud pauci veterum agnoverunt: μυκτηρίζειν enim, *irridere*, verterunt LXX Prov. I, 30. XV, 5. *blasphemare fecisti hostes*, Vulgata 2 Sam. XII, 14. τὸ ὄνομά μου βλασφημεῖται, LXX Jes. LII, 5. sicque ibi et Vulgata, ܐܣܠܝ *rejecit*, Syrus Thren. II, 6. Accedit, quod haec notio omnibus omnino locis apta, atque adeo נאץ aliquoties cum aliis *adspernandi*, *contemnendi*, *blasphemandi* verbis, מאס et חרף componitur.

ناص Arabice cum non habeamus, estne forte nostrum נאץ cum نَاصَ (נוץ) conferendum? Significat illud *retrocedere*, *remanere*, interdum et idem quod نهض, *proripere se*. Primane ergo vis Hebraici, נאץ *retrocedere*, *refugere*, unde *contemtus* fluxit? Hoc si esset, satis proprie et literaliter Samaritanus ubique vertisset, כתר, ac LXX Prov. V, 12. ἐξέκλινεν.

1496. נָאַק.

De *gemitu morientium*, aut *clamore occisorum vindictam poscente*, bis verbum ponitur, Ezech. XXX, 24. Job. XXIV, 12. nomen נְאָקָה de omni gemitu Mosi frequens. Non habent sub hac radice reliquae linguae, at per ה scriptum, נְהַק et نهق de *ruditu* asinorum ponunt Chaldaei Arabesque: retinuit tamen Job. XXIV, 12. ubi de clamore lugubri hominum sermo, Chaldaeus, בְּנֵי נְשָׁא נָהֲקִין.

1497. נאר Ps. LXXXIX, 40. Thren. II, 7.

Verbum reliquis linguis Orientalibus Hebraica significatione ignotum: Arabibus enim نار est, de igne positum, *concitari*, *accendi*, atque etiam *lucere*, ex נור ortum. Ad alias alii radices retulerunt, de quibus

bus vide num. 937: qui ad נאר, verterunt, LXX, ἐκτινάσσειν et ἀποτινάσσειν, exque illis Arabs نغض, (quod enim in Polyglottis legitur نغض, *rupit*, Graecorum dissimile, vitiosum videtur, in mscr. Vaticano psalmorum scribitur, نغصت) Syrus utrobique ܐܣܠܝ *rejecit*, Chaldaeus in psalmo, אַשְׁנֵי *mutavit, abrogavit*, in Threnis, בעט *proculcavit*, Hieronymus in psalmo, *attenuasti pactum servi tui*, (mira phrasis) in Threnis ad ארר referens, *maledixit*. Parum certi habemus, nisi quod verbum in Threnis idem esse videtur, quod in sequente membro זנח, *rejecit*.

1498. נביא *propheta*.

Nomen linguis Orientalibus omnibus commune, Chaldaicae, Syriacae, Samaritanae, (hujus enim licet unicum modo Castellus citaverit exemplum, evolvens tamen versionem Samaritanam plerumque invenies, ubi Hebraice est נביא) Arabicae, sed demto Aleph, نَبِيّ, sicque et Aethiopicae נבי. Vide Ludolfi lex. p. 304.

Prophetae unde נביאים dicti non satis liquet, pluribus se derivationibus non prorsus improbabilibus offerentibus: התנבא enim cum et *insanire* sit, et *canere*, ab utroque duci prophetae nomen potuerit, sed et utrumque denominativum esse a נביא possit. Verisimilius, atque a Stockio jam memoratum, primitivum esse نَبَأَ *nuntiavit, indicavit*, ut sit propheta, proprie, *nuntius*: mirumque tam probabili prodita etymologia, aliam Joannem Simonis plane ex theologia comminisci potuisse, נבא *esse inflare, et inspirare*. A nuntiandi notione Arabes faciunt, نَبَأٌ *nuntius, quod nuntiatur*, generatim, *historia, narratio*, ut Sur. XXXIII, 20. يسالون عن انباكم *interrogabunt nuntia de vobis*, i. e. interrogabunt, certiora de vobis vestroque adventu rescire cupientes, Sur. III, 39. ذلك من انباء الغيب *haec est una de historiis occultis, quas revelamus tibi*, Sur. XXXVIII, 20. هَلْ أَتَاكَ نَبَأُ الْخَصْمِ *numne pervenit ad te narratio de litigantibus*. Possis, fateor, et ad نَبْأَةٌ *vox occulta et submissa*, نَبَأَ submissam edidit vocem, nomen referre, quod prophetam mentientes saepe submissa et obscura voce loquerentur

tur (Jeſ. VIII, 29.): nec ad ſolam canum vocem, ut lexica Arabum inſpicienti primum videri poſſit, نبأ pertinet, ſed ſub radicibus triliteris, a bilitero نب incipientibus, ſubmiſſam vocem, muſſitationem, gemitum, fremitum aliorum quoque animalium Arabes habent. Deſcribere haec ex lexicis liceat: نَبَّ *mutivit, fremuit, caper, peculiariter libidinoſus.* — — نَبَأَ *ſubmiſſam et occultam vocem edidit*, canis (i. e. muſſitavit) نَبْأَةٌ *vox occulta et ſubmiſſa, vel etiam: vox canum, latratus* — — نبح *latravit canis, fremuit dorcas, hircus, ſibilavit ſerpens,* نَبْحٌ *vox ſerpentis,* نُبَّاحٌ *upupa gemebunda.*

Ut verum dicam, utrum ab annuntiando, an a voce gemebunda, ſubmiſſa, ſibilante, prophetae nomen habeant, non liquet.

In ea libri regnorum parte, quae Achabi hiſtoriam enarrat, multaque habet in dictione peculiaria, נביאים, aliquando videntur, *ſacerdotes*, eſſe, eo certe numero, illisque functionibus et occaſione obvios habes, ut vix de aliis quam de ſacerdotibus cogites. Sic mihi quidem interpretor,

1) *450 prophetas Baalis*, et *400 prophetas luci*, 1 Reg. XVIII, 19. ſeqq. usque ad v. 40. Videntur ſacerdotes luci et Baalis eſſe, vaticinandi ſimul donum, atque adflatum Baalis Aſtartesque prae ſe ferentes, ac vaticinari auſi.

2) *400 prophetas Jehovae, quos rex Israelis convocat, ſuſpectos Joſaphato, alium adhuc prophetam conſulere cupienti:* 1 Reg. XXII, 6. ſqq. Videntur ſacerdotes vitulorum aureorum fuiſſe, ſub quorum imagine Jehova colebatur, ſtipendiis regiis auctorati, atque pro illius temporis more vaticinari auſi.

3) *Centum prophetas Jehovae, quos Abdias occultaverat, cum prophetarum Jehovae vitae Iſabella immineret.* 1 Reg. XVIII, 4. ſeqq. Numerus major, quam ut veriſimile ſit, prophetas fuiſſe. Erant in terra Israelitica altaria, in quibus qui vitulorum cultum deteſtabantur, inviſibili Jehovae ſacrificia offerebant, a Deo probata, (1 Reg. XIX, 10. 14. XVIII, 30.) horum ſacerdotes fuiſſe crediderim, qui hic *prophetae Jehovae* vocantur. Vaticinandine donum aut habuerint, aut prae ſe tulerint, an pro illius temporis more *prophetae* dicantur, non definio.

Aegy-

Aegyptiorum ſacerdotum primus ordo προφῆται dicebantur, poſſint ergo videri et Hebraei Aegyptio more ſacerdotes נביאים vocaſſe. Id quidem non veriſimile ſolum, ſed prope certum, ſi in Moſis ſcriptis, aut aliis antiquis נביא hac ſignificatione occurreret: at cum exempla non niſi in ſcriptore coaevo hiſtoriae Achabi, nono poſt exitum ex Aegypto ſeculo inveniamus, nec usquam deinde נביאים ſacerdotes eſſe ſuſpicari poſſimus, Aegyptia origo veridiſſimillima.

1499. התנבא נִבָּא, *carmina canere*, *inſanire*.

Verbum נִבָּא *vaticinatus eſt*, denominativum a נביא. Sed praeter hanc in Hithpael et Niphal novas adſciſcere ſignificationes videtur:

1) *furendi*, *inſaniendi*, nempe, quod prophetarum in edendis oraculis furor aliquis erat, (*inſanam vatem adſpicies*, Virgilius) 1 Sam. XVIII, 10. (Sic quidem conjunguntur, Jerem. XXIX, 26. משגע ומתנבא.) *Prophetaſſe* Saulum in medio domus ſuae, ut plerique vertunt, quis ſibi reliqua legens perſvaſerit? — — Unum video et dubito, poſſe et ad ſequentem ſignificationem referri, atque verti: *carmen canebat Saulus in medio domus ſuae*, *et David pſalterium pulſabat*. Haec ergo inter dubia ambigo.

2) *Canendi*, 1 Paral. XXV, 1. ex lectione XXVII codicum Kennicottianorum, נבאים, efferenda, נִבְּאִים, quam verto, *canentes citharis*, *et nabliis*, *et cymbalis*.

Nomen, *Barnabas*, Lucas Act. IV, 36. interpretatur, non, ut exſpectasſes, *filius prophetiae*, ſed, υἱὸς παρακλήσεως, quod, ſi ad noſtram radicem ברנבא ſcriptum nomen referas, vertendum puto, *filius exhortationis* vel *admonitionis*. نَبَأٌ *nuntius*, *adnuntiatio*, ad exhortationes et admonitiones transferri potuerit. Alii ab aliis verbis derivant, ſed parum veriſimiliter.

1500. נבוב Job. XI, 12.

Haec verba, איש נָבוּב ילבב, Vulgata vertit, *vir vanus in ſuperbiam erigetur*. Retulitne Hieronymus ad radicem נבב, quae Arabibus eſt, primo, *fremuit*, deinde, *magnifice ſe extulit*, ſuperbivit? an, concavum, vanum interpretatus eſt?

1501. נבחז 2 Reg. XVII, 31. idolum Auvaeorum.

Magna lectionis varietas, in fine quibusdam codicibus Zain majusculum, aliis ſolitae magnitudinis, denique et nonnullis Nun, נבחן haben-

bentibus. Vide Kennicotti varias lectiones. Mihi quidem נבחן probaretur, quod ז in fine rationem reddere nequeo, ipsumque nos Zain majusculum illuc deducit: nullus tamen omnino veterum interpretum ita legit, sed Chaldaeus, נבחז, Vulg. *Nebahaz*, Syrus ܢܒܚܙ, quod librariorum vitio ex ܢܒܚܫ ortum suspicor, ex Syro Arabs, يبنزاق. LXX nescio unde ἐβλαζὲρ.

Elegantissimam habemus *de Nibchas idolo Avvaeorum* dissertationem Conradi Ikenii, earum, quas anno 1749 junctim edidit, undecimam, cujus pracipua excerpam. Ex sententia Thalmudicorum ac Judaeorum, idolum fuit, canis figura, dictum a נבח *latravit:* his quidem cum contradicat, irridens prope, Jurieu, sed nihil adferens praeter aliam conjecturam etymologicam, Ikenius censet, Judaeis in rebus domesticis fidem habendam, ut Graecis aliisque. Hic quidem me dissentire, nec eandem traditionibus Judaeorum, quam scriptoribus coaevis Graecorum fidem habere, alibi professus sum (*): nec Avvaeorum superstitiones res sunt domesticae Judaeorum. Multa tamen vera et aliunde confirmata cum apud Thalmudicos invenerim, nec rideo nec sperno quae de Nibchazo tradunt. Ikenius autem perfecit, ut et jam valde videantur verisimilia. Omitto, quae de cane ab Aegyptiis aliisque culto habet. Id vero insigne est, quod §. 22. exponit copiosius. Trium horarum spatio ab urbe Beryto, Tripolim versus, in alto monte ingentis magnitudinis canis, columnae insistens, olim erectus fuerat, nunc in mare projectus, sed cujus adhuc reliquiae visuntur, ingenti latratu pericula adventantia, custos regionis, nuntiabat, a quo *Naharcalb* (نهر كلب) *fluvius canis*, Lycus Graecis olim dictus, nomen accepit. Latratus artificium sacerdotum, cavus enim fuisse, atque columnae cavae impositus, videtur, unde facilis fraus. Hujus canis latratoris, custodis litoris Phoenicum, imaginem ac cultum, Auvitae, forte ex vicinia Beryti adventantes coloni, terrae Samaritanae intulisse videntur. Ipsam gentem Auvitarum nomen עַוִּים a canis cultu ac latratu habuisse suspicatur, عوى enim *latravit, ululavit canis*. Hoc quidem in dubiis adhuc relinquo, caetera videntur perquam verisimilia.

Nomen si in Nun desinat, omnia expedita, נִבְחָן enim, seu, quod mallem, נַבְחָן *latrator* erit. At si ultima litera Zain, satis exploratam ejus rationem reddere nequeo: Kimchius compositum nomen volebat ex

(*) in introductione ad N. T. Edit. IV. p. 72.

נבח *latravit*, et חזה *vidit*, quod *latrantis canis dentes conspiciantur*: ego, si quadriliterum sit, ex נבח et חזה compositum, mallem, *canem qui latrat, cum videt adventans periculum.* Sed forte, si omnino componendum, nec ז in ז mutari potest, mallem ex נבח et حَزَّانٌ *mons, in quo struere ignes Arabes solent*, conficere, ut sit *canis latrator alto in monte, in cujus fastigio Pharus.* Sed haec verecunde scripta existimari velim, a dubitante, committeretne lectorum judicio, an omitteret.

1502. הִבִּיט , נָבַט *intueri.*

Copiosius de verbo egit Schultensius in Originum libro I. c. 12. primam vim verbi esse in *micando* et *fulgurando* statuens, indeque acrem conjectum oculorum dictum. Hoc si perfici posset, Jes. V, 30. propria significatione verbum acciperem, וְהִבִּיט לָאָרֶץ *fulminabit in terram, et ecce caligo spissior fulmen insequetur*: sed non video perfectum a Schultensio esse. وبص et alia de fulmine poni, ex lexicis Arabum probavit, idque jam antea ex Golio notum, sed hoc ad نبط transferrre, intuitum, illisque ipsis adnumerandum adliterationibus, quas in aliis reprehendit. Ergo malim, donec certiora adferantur, vim propriam ac primam verbi, atque unde *intueri* dictum, ignorare.

1503. נִבְכֵי יָם *scopuli maris* Job. XXXVIII, 16.

Vocabulum difficilius, de quo consulendus Schultensii commentarius. Fuerunt qui *perplexa* maris verterunt, praeeunte Chaldaeo, מְעַרְבְּלֵי *perplexitates clausurae maris*: sic aliis punctis scribendum et ad radicem בוך referendum esset, נְבֻכֵי. Raschi, ipsum נְבֻכִים בָּאָרֶץ Exod. XIV, 3. conferens, *claustra maris* vertit. Non satis placet phrasis. — — Vulgata et Syrus, *profunda maris* habent, admodum bona sententia, posfetque in subsidium vocari اذنبك *eminuit, altus fuit*, alto mari pro profundo posito. Praeplacet tamen, quod attulit Schultensius, قُنْبُكٌ *collis acuto vertice*, quo utens, non ut ipse fecit, *salebrosa maris* intelligo, sed, *scopulos maris*, scopulos mari tectos.

Quid spectantes LXX πηγὴν θαλάσσης verterint, non liquet: suspicor eos נבעי legisse, et ad נבע *scaturire* retulisse. כ et ע saepe a librariis permutantur. Non inelegans sententia, cum fontes, mari tribuere Hebraei soleant. Vide Genes. VII, 11. et pag. 113. 114.

1504. כָּבַל *foedare, impurum habere.*

A כבל *marcescere*, faciunt Hebraei נְבֵלָה *corpus exanime, cadaver*, hinc quia cadavera impura sunt, denominativum faciunt Chaldaei, *foedavit, turpe reddidit, abominabile reddidit, dehonestavit.* Vide Buxtorfii lex. Chald. p. 1288. Eadem notione et Hebraice ponitur Jerem. XIV, 21. Nahum. III, 6. a Chaldaeo utrobique נַבֵּל redditum: *noli foedare*, (impurum declarare,) *solium tuum gloriosum!* inque Nahumo, cujus praecedentia quoque describo, *projiciam super te impura, et inquinabo te.* Non expresso etymo, quod nec necesse interpreti, Vulgata vertit, *contumeliam facere*, et, *contumelia adficere*, Syrusque, quod eodem redit, ܨܥܪ *ignominia adficere:* Aquila et Symmachus in Hexapl. Syr. *ne contemne.* Soli in Jeremia dissentiunt LXX, vertentes, *μὴ ἀπολέσῃς ne perde:* voluerunte a נבל, *ne marcescere fac?* an a נְבֵלָה, *ne cadaver fac, ne mori fac?* utrumque sequenti, *solium tuum*, non bene aptum, phrasisque inconcinna. — — Et Mich. VII, 6. בן מנבל אב est, *filius contemnit patrem*, sed alio, ut videtur, etymo, *pro stulto* (נָבָל) *habet patrem.*

1505. נַבְלֻת Hos. II, 10.

Ἅπαξ λεγόμενον, maxime dubium, licet in re ipsa, *pudenda adultera* sic dici, ignominiose retegenda, vix quidquam sit dubii. Possit esse, sive 1) *turpe membrum* ejus, a pracedente נָבַל, sive 2) *membrum sceleris sedes*, a נבלה, *stultitia, scelus*, sive denique 3) *emarcidum membrum*, a נבל *emarcuit.* Sic erit, ut Horatius cecinit, *hietque turpis inter aridas nates podex velut crudae bovis.* — — Mihi quidem utraque notio conjungi, et *membrum pudendum sed emarcidum* נבלת dici videtur. Caeterum in editis plerumque defective scribitur, at plene נבלותה habent quinquaginta codices Kennicottiani: Vulgata, Hieronymo defective legente, et נַבְלָתָהּ efferente, *stultitiam ejus* vertit.

1506. נֵבֶל *uter, urceus fictilis et lapideus.*

Utrumque significare videtur, recteque jam monuerunt, *urceum fictilem*, quae ipsi propria videtur significatio, intelligendum Jerem. XLVIII, 12. Thren. IV, 2. quibus locis addo Jerem. XIII, 12. 14. ubi urcei vino pleni collidi dicuntur, quod in utres non cadit, et Jes. XXX, 14. Nulla cognatarum linguarum praeter Aethiopicam Hebraica significatio-

catione habet. Suspicor ortum ex قَبَل *lapis*, ut proprie sit *urceus lapideus*, deinde et ad fictiles, atque etiam ad utres transferatur. Varie vertunt LXX, ut Jerem. XIII, 12. 1 Reg. X, 30. ἀσκός, Jes. XXX, 14. Thren. IV, 2. ἀγγεῖον ὀστράκινον. De tribus Graecis Hieronymus ad Jerem. XIII, 12. *verbum Hebraicum* NEBEL, *Aquilae prima editio laguncułam, secunda ipsum Nebel, Symmachus craterem, Theodotio vas interpretati sunt.*

1507. נֶבֶל *nablium.*

Citharam plectro, nablium digitis psallebant, vide scripta n. 1184. de כנור. Svidas sub ψαλτήριον, ὄργανον μουσικὸν, ὅπερ καὶ ναῦλα καλεῖται. Sunt ergo in rei summa eadem, נבל, ψαλτήριον, et de quo infra dicemus עוגב. Potuisse tamen et נבל atque עוגב, adcuratius suminto vocabulo, distingui, ex Ps. CL, 3. 4. discimus; quid inter ea discriminis fuerit, ignoramus. LXX ibi נבל ψαλτήριον, עגב generaliore usi vocabulo, ὄργανον verterunt.

1508. נָבַע, *scaturivit, manifestus fuit, adparuit.*

Duo verba, sono et significatione diversa, sub has Hebraeis literas coierunt, quae Arabes puncti diacritici ope distinguunt.

1) نَبَع *scaturivit*, quae et usitatissima est Hebraici נבע significatio, inque lexica omnia recepta. Verbum ὀνοματοποιητικὸν scaturientis aquae sonum בַּע exprimens, praemisso ei, ut solent Hebraei, Nun, esse videtur.

2) نَبَغ *manifestatus fuit, adparuit, divulgatum fuit*, unde et Syri habent in Aphel, ܐܰܒܥ, *in lucem protulit evulgavit.* Sic accipio, quod expuncta ad radicem בעה referunt, נִבְעוּ Obad. 6. mutatisque punctis effero, נָבְעוּ מַצְפֻּנָיו, *patuerunt, manifestata sunt, occulta ejus.* In loco parallelo Jeremias c. XLIX, 10. habet גִּלֵּיתִי את מסתריו ונחבא לא יוכל *revelavi occulta ejus, ut abscondi nequeat.* At radicem נבע referens praeivit Syrus, ܐܬܒܥܝܘ ܡܛܫܝܬܗ adparuerunt occulta ejus. Ad eandem significationem et retulerim Ps. LXXVIII, 2. אביעה חידות מני קדם *manifestabo* seu *evulgabo aenigmata antiqua.* Matthaei quidem interpres Graecus c. XIII. 35. ad *scaturiendi* notionem retulit, ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *effundam occulta a fundatione mundi*, sicque et

et Aquila, ὀμβρήσω αἰνίγματα, atque Symmachus, ἀναβλύσω προβλήματα, non ineleganter ſane, ſed quisque auribus judicet, utrum videatur veriſimilius, *propalare aenigmata*, ſeu *occulta*, an, ea *effundere*, *ſcaturire facere*. Chaldaeus hic אַבִּיעַ retinuit: LXX, Vulg. Hieron. Syr. ſimpliciter, φθέγξομαι, *loquar*, verterunt. — — Etiam Prov. I, 23. אַבִּיעָה לכם רוחי vertendum videtur, *manifeſtabo vobis mentem*, i. e. *cogitationes et ſententias meas*, concinente ſequente membro אודיעה *nota faciam verba mea vobis*.

1509. נָבַךְ Jeſ. XIX, 3.

נָבְקָה Jeſ. XIX, 3. mutatis vocalibus ad radicem בוק referri poſſe, dictum pag. 162. idque in verſione praetuli: at puncta ſi ſequamur, radicis נבך erit, quae quid ſignificare loco Jeſaiae aptum poſſit, non ſatis liquet. Habent Arabes نبق بها vertuntque, *pepedit*, quod ſi verum, proprie forte erit, *anguſtavit in illo*: qua anguſtandi ſignificatione ad Hebraica translata, נָבְקָה רוח מצרים בקרבו erit, *anguſtabitur ſpiritus Aegypti in medio ejus*. Verum non ſolum diſplicet conjectura, ſed et ipſum, *pepedit*, ſuſpectum. نبق Arabum lexicographi explicant per حبق بها, quod Golius reddidit, *pepedit*, Gigg. forte melius, *amplexatus eſt eam* (puellam) *peculiariter leniter*. Reliqua quae Arabes ſub نبق habent, nihil ad locum Jeſaiae, reliquae linguae Orientales radicem נבך ignorant. Ergo eam abdicemus, verbumque mutatis vocalibus pro Niphal a בוק habeamus.

1510. נֶגֶב *ariditas*, *auſtralis regio*.

Auſtrum ab ariditate dici jam monuerunt lexicographi, linguarum Chaldaicae et Rabbinicae auctoritatem adferentes. Omittere non debuiſſent certiora ex linguis quibus Rabbini inferre ſignificationes non potuerunt: Syris ܢܓܒ *exſiccavit*, Samaritanis נגב *ſiccum*, et נגבנה *ſiccitas*. Prima et adpellativa ſignificatione occurrit Joſ. XV, 19. Jud. I, 15. ubi ארץ נגב *terra ſiccitatis*, opponitur *ſcaturiginibus aquae*. A ſiccitate nomen accepit

1) terra, quam auſtralem dicimus, Judaeae, Joſ. XV, 21–32. deſcripta.

2) auſtralis regio univerſim, ita dicta Phoenicibus Hebraeisque, quod quae ab Auſtro Palaeſtinae ſunt, Aſiamque ab Africa dirimunt, ſummopere ſicca. Fuit haec ſignificatio linguae Hebraicae quodammodo parti-

particularis, a Phoenicibus ut puto tralatitia: non omnes populi a siccitate australibus regionibus ducere nomen potuerunt.

Quomodo acciderit, ut alias omnes sub نجب notiones *nobilitatis* et *gloriae*, *liberalitatis* adeo, habeant Arabes, non meum est hic expedire: ab aliis discere malim.

1511. נֶגֶד *ante*, *e regione*.

Duplicem adnotemus specialiorem particulae significationem, primam dubitantes.

1) Si Genes. II, 18. 20. כנגדו vera est lectio, intelligerem feminam, *quae esse possit e regione ejus*, i. e. cum qua concumbere possit, ejus amplexibus aptam. Sic simili phrasi, sed alio verbo Levit. XVIII, 23. de coitu dicitur: *femina non stabit* לפני בהמה *ante jumentum*. Sed forte כנגדה legendum, de quo vide infra sub נגד dicenda.

2) Sensu convivali de hospitibus, quos epulis adhibemus, ponitur, Ps. XXII, 26. *vota mea rependam* נגד יראיו *coram timentibus ipsum*, i. e. epulis votivis ac sacrificialibus timentes Deum convivas adhibebo, mecum convescentur. Nempe dicuntur convivae e regione sedere hospitis: vide 1 Reg. I, 25. 2 Reg. IV, 38. 2 Sam. XI, 13. Esther I, 3. Luc. II, 22. XIII, 26.

1512. הִגִּיד, נָגַד.

Verbum tres maxime significationes Orientalibus habet, ex quibus deinde et aliae ortae: illas solas excerpo, quae aliquid ad Hebraica monumenta, reliquas omitto. Est ergo

1) نجد *manifesta ac clara fuit res*, a נֶגֶד, proprie, *ante oculos fuit*.

2) نَجُدَ *animosus*, *strenuus fuit*, نَجِدٌ نَجِيدٌ et نَجُدٌ *strenuus*, *fortis*, نَجْدَةٌ *fortitudo*, quo et retulerim نَجَدَ *superavit*, *vicit*. Suspicor proprie esse, *ante alios fuit*, *praecessit*, animosumque et fortem, a praecedendo dictum.

3) Syris, Chaldaeisque *traxit*, forte hoc ipsum a praecedendo.

4) Item Syris, *flagellavit*, quod a trahendo loro ortum videtur.

5) *Duxit*, Chald. Syr. Samaritanis, unde et his מנגד *dux*. Incertum, utrum a trahendo, an praeeundo *ducere* ortum: forte ab utroque, a prae-

a praeeundo ubi de hominibus, a trahendo, ubi de inducto auro argentoque sermo.

Jam de Hebraicis. Codex masorethicus in Kal verbum non habet: aliqui tamen antiquorum יגד עקב Genes. XLIX, 19. aliis punctis sic instruendum, pro Kal verbi נגד habuerunt. Syrus, ܘܗܘ ܢܓܘܪ ܥܩܒܐ, *ipse trahet calcaneum*, i. e. interprete Ephraemo, in primo agmine erit, reliquum exercitum ut calcaneum post se trahens. Vides hic, *trahendi*, et *praeeundi* notiones, tanquam coalescere. Sic et commentarius Samaritanus memorat, aliquos Hebraica interpretari, هو يكون مقدمة العسكر وهم ورآه *ipse erit primus in exercitu, et reliqui post ipsum.* Arabs Erpenii vincendi notionem verbo ex Arabia commodavit: يغلبه عقبا *vincet eum a tergo.* Flagellandi significationem verbo sive ut Kal, sive et Piel accepto, dedit Syrus, Ps. LXXVII, 3. nostra ידי נגרה, vertens, *manus ejus* ܢܓܕܬܢܝ *flagellavit me.* Nempe legit ידו נגדה, ex quibus alterum נגדה habet codex Kennicotti 37, legeruntque etiam LXX, sed aliter vertentes, ἐναντίον αὐτοῦ (נֶגְדּוֹ.)

Frequens verbum in Hiphil, הגיד *indicavit*, a prima quam posui significatione, seu potius a נֶגֶד ipso. Aliquando est, *confiteri*, *profiteri*, ut Deut. XXVI, 3. הגדתי ליהוה *confiteor Jehovae, quod venerim in Palaestinam*, ipse testor, quod omnia, quae patribus meis promiserat, implevit. *Indico Jehovae*, quod venerim in Palaestinam, absurdum dictu, maxime is si loquatur, qui in ipsa natus Palaestina est. Recte ergo Vulgata, *profiteor hodie coram Domino*, atque paraphrastice Saadias, شكرت, *gratias ago domino.* Eodem modo et acceperim, Job. XXVI, 4. את מי הגדת מלין, *apud quem hac tibi tanquam professione fidei opus erat? Nemo ista negat!* atque Jes. XLVIII, 6. *audivisti, et jam vide, haec omnia,* הלא תגידו *nonne confitebimini?* i. e. audivisti haec omnia praedicta, vidisti impleta! nonne confiteberis?

Unico loco, Zach. IX, 12. participium מַגִּיד alia significatione, ex num 2 et 5, aut *victoris* aut *ducis* poni videtur. Verto, *jam ducem secundum victoriosum dabo tibi.*

1513. נגיד.

Usitatissima, inque omnia lexica recepta, *principis*, notio, a quinta verbi significatione, *duxit*, orta. Proprie *dux* est, et vero bellicus, deinde

deinde ad omnes viros primarios ac principes transfertur. Quibusdam libris usitatum, נגיד simpliciter pro rege ponere, ut 1 Sam. IX, 16. X, 1. XIII, 14. XXV, 30. 2 Sam. V, 2. VI, 21. VII, 8. 1 Reg. I, 35. XIV, 7. XVI, 2. 2 Reg. XX, 5. Ezech. XXVIII, 2. (Ezechiel alias nomine נשיא uti pro rege solet) 1 Paral. V, 2. XI, 2, XVII, 7. XXIX, 22. 2 Paral. VI, 5. Huc referendum puto, quod Ptolemaeus Philometor, Aegypti rex, Dan. XI, 22. נגיד ברית vocatur, i. e. *rex foederatus*. Ex parallelismo membrorum possis et suspicari, Ps. LXXVII, 13. idem dicere נגידים in priore membro, quod in sequente, מלכים, magis tamen placeret oratio, si ex secunda verbi significatione sint, *fortes et magnanimi duces*.

Prov. VIII, 6. נגידים אדבר, non ad principis notionem retulerim, ut solent, sed ad primam quam posui verbi, *manifesta loquar, vera, cuique plana, certa, indubia*. Talia quidem sunt virtutis praecepta, atque sic in hoc versu ut מישרים, inque nono ut נכחים למבין describuntur. Forte et, quid veteres habeant, scire cupias: Syrus et Chaldaeus, meae sententiae proximi, ܫܪܝܪܐ, שרירותא, *vera*, vel, *firma et certa*, Arabs, الفاظا شريفة *verba nobilia*, LXX. σεμνὰ, Vulg. *de rebus magnis loquar*.

Id unum adhuc adjicio, ne quem Arabica, نَجْد et نَجِد *terra eminentior, via aperta atque alta, pars altior Arabiae*, turbent, alta dici a נָגַד, quod oculis eminus exposita sunt, atque conspicua.

1514. נֹגַהּ, proprie, *Aurora*.

De נֹגַהּ, quod *splendorem* vertere solent, tenendum, cum Hebraeis tum Syris proprie de *aurora* poni. Syris ܢܓܗܐ *aurora*, ܢܓܗܐ *tempus diluculi*, ܐܢܓܗ *totam noctem, usque ad diluculum aliqua in re perseveravit*. Huc et referendum, quod نجه Arabum lexicographi exponunt per طلع *ortus est sol*. Insignis locus, ubi pleno diei opponitur Prov. IV, 18. *via justorum est*, כאור נגה *ut lux aurorae, quae crescit et lucet* (semper fit lucidior) *usque ad certum diem*. Hinc cum verbis זרח *oriri*, et יצא *egredi*, construitur, Jes. LX, 3. נגה זרחך *aurora quae tibi oritur*, LXII, 1. Hinc intelligitur, quae sit, אפל ואין נגה לו *caligo cui nulla est aurora* Amos V, 20. *nox, quam nulla aurora sequitur*, itemque Jes. L, 10. *perambulans tenebras, nec aurora illucescit illi*. Hinc et

et *resplendescentia* נגה vocatur, Ezech. I, 4. 13. 27. ubi נגה, resplendescentia ab אש *igne* distinguitur. De ejusmodi circa deum resplendescentia in nube et tanquam Aurora si accipias Habac. III, 4. ubi luci opponitur, intelliges obscuriuscula aliis visa verba, נגה כאור תהיה *aurora ut lux*, ut plenus dies, ut ipse sol *erat*.

Caeterum et latius de omni splendore poni potest, ut *ignis flammantis*, Job. XVIII, 5. *stellarum* Joel. II, 10. IV, 15.

Lunae ubi נגה tribuitur, Jes. XIII, 10. LX, 19. dubitare possis hacne latiore significatione, an *repercussi luminis*, sumatur? Posterius probo, quia aliud ei verbum opponit Jesaias, de stellarum solisque luce loquens, *stellae* לא יהלו אורם *non splendere faciunt lucem suam*, *luna* לא יגיה אורו *non repercutit lucem suam*.

1515. נָגָה *occultus*, *liberatus fuit* &c.

Non omitti debuisset in lexicis נָגָה tert. rad. ה quiescentis, cum ex punctis masorethicis וַיַּגֶּה Thren. III, 33. huc referendum sit. نجا pro نجو Arabibus est, 1) *occultari*, *occultum esse* (*) 2) *occultari a periculo*, *evadere*, *liberari* 3) in transitivis conjugationibus, *liberare*. Sic Thren. III, 33. dicetur, *non adfligit ex animo*, *sed liberat filios hominum*, facilius etiam processura versione, si וְיַגֶּה cum Vau simplici scribas. Neque haec ita dico, ut puncta masorethica plane probem: mallem enim verbum dolendi habere, quale Lutherus expressit, idque habeo, mutatis vocalibus וַיֹּגֶה efferens, a r. יגה *doluit*: *non ex animo adfligit*, *et dolore adficit filios hominum*. Hoc verbum הוֹגָה *dolore adfecit*, in v. 32. plene scriptum praecesserat. Veterum plerique aliquod adfligendi verbum, sed utcunque ex conjectura arreptum posuerunt, LXX ἐταπείνωσε, Syrus ܡܡܟܟ *humiliat*, Vulg. *abjecit*. Unus Kennicotti codex ויגיה habet: sic ad נָגָה pertinet, וַיַּגִּיהַ, vertendum, *splendere facit*, i. e. *exhilarat homines*.

Ad eandem radicem הָגוּ, הֶגֶוּ adpellatum, retuleruntne LXX Prov. XXV, 4. κρύπτε, *occulta*, et v. 5. κτεῖνε *occide*, vertentes, ut نجا in prima et quarta conjugatione est, *amputare*, *resecare*?

(*) Haec occultandi notio in lexicis quidem sub prima conjugatione non memoratur, habes tamen in نَجِيّ *consors arcani* aliisque derivatis.

1516. מגלה, מַגָּל, כגל.

מַגָּל, *falx messoria*, Jerem. L, 16. Joel IV, 5. ad rad. כגל referendum esse, jam dudum alii monuerunt, Arabibus enim مِنْجَل *falx*, forte proprie, *culter*, a نجل *confodere*, *findere*, *vulnerare*. Syri, ut Hebraei contrahunt, dicuntque Nun eliso ܡܓܠܐ.

Huc et מְגִלָּה, *volumen*, Zach. V, 1. mutatis vocalibus מַגָּלָה retulerunt LXX δρέπανον πετόμενον vertentes, exque illis Arabs, مِنْجَل طَايِر: sed puncta masorethica hic sine dubio meliora, falcis enim non ea est longitudo et latitudo, quae ibi memoratur, nec, volare.

1517. כבע Jes. XL, 30.

יִכָּעֵר cum Dagesch, quod in nonnullis editionibus et codicibus legitur, non ad radicem יגע referendum (Jod enim non nisi in sibilante per Dages compensatur) sed ad כבע, vertendumque, *percutient*, i. e. *allident pedem*. Sed יִגְעַר sine Dages non dubitans praefero, aliqui adeo codices plene ייגער habent, quod non potest non ad radicem יגע derivari.

1518. כבר Ps. LXXVII, 3. Genes. II, 18.

כבר *traxit*, idem quod גרר, ex lexicis satis notum, alterum forte ex altero ortum, et utrumque antiquioris linguae biliterum. Syris verbum etiam est, *protrahere*, *diu aliquid facere*; sicque videtur accipiendum Ps. LXXVII, 3. ידי לילה כגרה *manus mea totam noctem perseverat*, nempe in precando exporrecta.

Arabibus نجر inter alia est, *asciare*, sicque et Syris ܢܓܪ *tornare*, forte a trahendo: indeque faciunt, نَجَّار, ܢܓܪܐ *faber lignarius*, نَجْر *natura*, q. d. *forma*, *exasciatio*. Suspicio mihi suborta, Genes. II, 18. per Resch legendum esse, כְּנִגְרוֹ *secundum exasciationem*, *formam*, *naturam ejus*, i. e. ut hic habent veteres et recentiores, *similem ipsi*. Ex nullo tamen codice hanc lectionis varietatem laudari video: suntne satis excussi diligenter? exiguum enim in non paucis literarum R et D discrimen, oculos non valde attenti fugiens.

1519. כבש *exigere debitum*, &c. *poenas peccatorum*, *dominari*, *regnare*.

كبس Arabibus primo est intransitive, *festinare*, deinde et *festinare facere*, ut, *compellere camelos*, *agitare feras*. Ab hac festinandi et festinanter compellendi notione Hebraeis כבש est, acriter impellere, i. e. *exigere acriter*, creditam a debitore pecuniam, Deut. XV, 2. 3. tributum, Dan. XI, 20. 2 Reg. XXIII, 35. servitia et operas, Exod. III, 7. V, 6. 10. 13. Jes. IX, 4. Job. III, 7. XXXIX, 7. (ubi de laboribus ponitur, ad quos adigitur asinus domesticus, et a quibus onager immunis,) militiam, 1 Sam. XIII, 6. XIV, 6.

Reatum peccati cum debito, quod solvendum est, comparent orientales (confer, Syriacum ܚܘܒܐ, et Matth. VI, 12. ὀφειλήματα) Hebraeis etiam כבש est, *poenas peccatorum exigere*. Sic accipio Jes. XXIX, 13. si lectionem כָּבַשׁ praeferas, in 22 codicibus et 11 editionibus a de Rossio repertam: *propterea quod poenas jam dedit populus hic*, *nec tamen illis emendatus solo me ore et labiis colit*: atque Jes. LIII, 7. כָּבַשׁ *severe ab illo poenae exactae sunt*, quamquam hic praefero, ut jam in biblioth. Or. Adpend. T. XIV. p. 169. lectionem כבש per Schin, ab undecim deinde codicibus de Rossianis confirmatam.

Est et in aliis linguis dominari, sive ab exactione servitiorum, sive quod debitor, qui aere rependere non posset, servituti addicebatur: nec de solis servorum ponitur dominis, sed et honestissime de regibus. Sic quidem Aethiopibus כבס vel כבש *regnavit*, unde regem suum *Negus* dicunt, idque ei nomen ita proprium, ut in versione Maronitica Ps. LXXIII, 15. (al. LXXIV, 14.) *populus* النجاشي *Negusorum* pro Aethiopibus poni credatur. Hoc quidem usu honestissimo semel in Hebraicis occurrit Zachar. X, 4. *ex ipso* (Juda) *prodibit* כל נוגש *omnis dominator*, rex vel princeps. Aliqui veterum et alibi dominandi significatione, non ipsis ignota, accepisse videntur, ut Chaldaeus Jes. XXIX, 13. vertens, אתרברב *effert se*, et Syrus Dan. XI, 20. ܫܘܠܛܢܐ *dominium*.

1520. כרא 2 Reg. XVII, 21. *postravit*, *labi fecit*.

Chethib hujus loci וידא idem omnino significare puto ac Keri, וַיַּדַּח *propulit*, *labi fecit*, sive in Kal וַיִּדָא sive in Hiphil וַיַּדָא efferendum. Arabibus

bibus نَدَّ conjecit in terram. *Labi illos fecit*, laqueum tanquam illis tendens, *ne amplius sectarentur Jehovam.* — — Alii ad דָאָה referentes, his punctis instructum, נִדָּא, *avolare fecit a sequela Jehovae.* Hieronymus, forte cum נדה ex interpretatione Rabbinorum conferens, *Separavit tribum Israelis a domino.*

1521. נדב *vocavit, spontaneus fuit, digne ad munus vocatus fuit, vitam exposuit periculis.*

ندب Arabibus est, *vocare*, ut *auxilio advocare*, ad bellum vocare. Chrestomath. Arab. p. 40. *non poscunt a fratre suo*, حين يندبهم *cum vocat*, (auxilio vocat) *illos tempore infortunii, de eo quod dixit probationem*, sed statim advolant. Hinc et ندب الجيوش, (quod Schultensius in adnotationibus ad Hamazam p. 310. grammaticae Erpenianae ex historia Saracenica excerpsit) *vocavit exercitus*, i. e. ad bellum emisit. Hac quidem significatione bellica olim accepi, aliis quam masorethae vocalibus instruens, נדבת Ps. CX, 3. עַמְּךָ נְדָבֹת בְּיוֹם חֵילֶךָ *populum tuum vocas* i e. *in aciem educis, die victoriae tuae*, sicque in germanica versione reddidi: at cum videam 179 codices Kennicottianos cum Vau נדבות habere, sententiam muto, atque et versionem in tertia editione mutavi. Utinam et de Rossius hic suorum codicum nobis dedisset excerpta.

2) A vocando dicitur, נְדָבָה רוּחוֹ אֹתוֹ vel, נדב לבו אתו Exod. XXV, 2. XXXV, 21. 29. *vocavit eum spiritus ipsius, cor suum*, i. e. *spontaneus fuit*, itemque, plena phrasi, נְדִיב לֵב *vocatus a corde suo, spontaneus*. Exod. XXXV, 5. 22. 2 Paral. XXIX, 31. Omittunt tamen alicubi, atque subintelligunt, לב, ita ut נָדִיב simpliciter positum, sit, *spontaneus*. In Hithpael התנדב proprie, *ipse se vocavit, spontaneus fuit.* Haec quidem spontanei notio late per plura etiam derivata regnat, jam ita expedita, ut non opus sit cum Coccejo, audaciore literarum permutatione, ad נדף *impulit* referre.

3) نُدِبَ *vocatus est*, de eo dicitur, qui ad munus aliquod vocatur eique praeficitur, maxime tamen, si ei muneri et aptus, ut ita dicam, a Deo et natura ad illud vocatus est. Vide verba Tebrizii in chrestomathia Arabica p. 40. excerpta. Hinc נָדִיב *muneri alicui praefectus*, et ve-

ro plerumque in laudem de iis, qui magiſtratu digni ſunt eoque egregie funguntur. Copia exemplorum facit, ut ea non deſcribam, petantur ex Buxtorfii concordantiis: unum tantummodo enoto, quod in eo propria *vocandi* notio ſupereſſe et transparere videtur, Prov. XXV, 7. *noli gloriari coram rege, et in loco magnatum ne conſiſte: melius enim eſt, tibi dici, huc aſcende, quam ut humil eris* לִפְנֵי נָדִיב אֲשֶׁר רָאוּ עֵינֶיךָ *coram Nadib quem viderunt oculi tui*, i. e. coram eo quem, munere dignum, ad munus a rege vocari vident oculi tui.

4) A ſpontaneo dicitur, גֶּשֶׁם נְדָבוֹת *pluvia ſpontanea*, i. e. larga et liberalis, Pſ. LXVIII, 10. Βροχὴν ἑκούσιον, literaliter, ſed non male, reddiderunt LXX, Hieronymusque, *pluviam voluntariam*. Hunc forte locum ſpectans Schultenſius, primam notionem verbi fecit, *uvere*, *uveſcere*, *uvidule manare*, quam, licet Arabica multa addens, nullo exemplo Arabico, aut lexicographi Arabici teſtimonio firmavit.

5) Eſt et in quarta, اندب نفسه *periculis objecit vitam ſuam*, vel ſeſe, proprie, *vocavit* ad pericula mortemque vitam ſuam. Putem, ſic Jud. V, 2. 9. התנדב ſumendum eſſe, de iis qui alacriter morti ſe et vulneribus exponunt, ac paulo plus dicere, quam, ſpontaneum eſſe. Job. XXX, 15. נְדִיבָתִי ſubintellecto נפש, eſſe videtur, *anima*, ſive, *fortis ac virilis, quae omnibus ſe periculis ſaepe expoſuit*, ſive, *quae nunc ad pericula et mortem tanquam evocatur; illisque objicitur*.

Caeterum, ſi plura velis de hoc verbo habere, duosque in digerenda ſignificationum ſerie diſſentientes audire, arbiter futurus, lege quae Schultenſius in editione grammaticae Erpenianae 1748 facta p. 309–311. ad Hamaſam, ſeu Koraiti carmen ſcripſit, meumque in Pſ. CX. collegium criticum p. 512–517. 522. 523.

1522. נדד *fugit*.

Hanc ſignificationem, ex lexicis notam, habet et ندّ Arabum, נדד Chaldaeorum: ex ea et ortum Syriacum ܢܕ *nauſeavit*, proprie, *refugit*, unde Hebraeis נִדָּה *foeditas*.

Sic et Jeſ. X, 13. נֹדֵד כָּנָף accipio, *diffugiens alis*, praeiverunt LXX ὃς διαφεύξεται. At aliter, de commotione alarum acceperunt, Vulgata et Syrus, *qui moverat pennam*, ܕܡܢܝܕ ܓܦܐ *qui elevat alam*. Sic idem foret cum נוד, quod infra vide, nec incredibile, ſimillimorum ver-

borum significationes permutari: propria tamen radici כרך notio cum locum egregie tueatur, nolim aliam ex diversorum verborum confusione adsciscere.

De ואדדה Jes. XXXVIII, 15. ad pag. 398. ablego.

1523. כֵּד Exod. XV, 8. Ps. LXXVII, 13. *collis, cumulus*.

Est Arabicum نَدٌّ *collis, cumulus*, nescio adhuc unde ita dictus, forte proprie, *collis arenae*, a fuga et mobilitate. Fuerunt, qui *utrem* verterent, in Exodo Syrus, in psalmo LXX, Vulg. Chald. Syrus: sic tamen כאד scribendum fuisset, quod in nullo hucusque codice inventum. Hieronymus in psalmo, *acervum* vertit, in Exodo, nescio quomodo, omisit. Quod in Exodo habent LXX ὡσεὶ τεῖχος, ipsum ex Arabico نَدّ explicari possit, quod inter alia *aggerem* significat: sententia foret, aquam stetisse, *ac si aggere coerceretur*, minus tamen apta constructione, *steterunt* כְּנֵד *ut agger*, pro כְּבַנֵּד. Caeterum et utrem et aggerem excludit, solumque admittit cumulum, Jos. III, 13. 16. *aqua Jordanis stetit* נֵד אֶחָד *cumulo uno* quamquam et ibi, sed sua addens Hebraicis, Syrus vertit, *ut in utre uno*.

Ps. XXXIII, 7. כנס כנד מי הים omnes consentire in *utrem* video, LXX, Vulg. Hieron. Syr. Chaldaeum, mirum tamen vel ibi nullum codicem כאד habere, nullum etiam, quod constructionem expeditiorem facturum erat, בנד, *colligens in utre aquam maris*. Difficile omnibus, atque adeo mihi, (sic enim germanice verti) contradicere, nec tamen vel sententia placet, *aquam maris a deo tanquam utre colligi*: adparet enim, non in utre inclusa. Ergo vel hic, *cumulum, collem,* intellexerim: *congregans in cumulum aquas maris*. Mare eminus prospicientibus altum videtur et tumidum, ac tanquam aliquis tumulus aut fluctuans collis arenae.

1524. נִדָּה Levit. XX, 21. *conjugium cum fratris vidua*.

Quatuor nomina tanquam propria jus Hebraicum quatuor generibus connubiorum prohibitorum dare, זמה, תבל, חסד et נדה, in jure Mosaico §. 102. disputatum, pauloque copiosius in, *Abhandlung von den Ehegesetzen Mosis* §. 103. De nostro Moses: *si quis ducat uxorem fratris sui*, נדה היא *Nidda est*. Referunt fere ad notionem foeditatis, sed ita nimis generale ac late patens nomen, omnia enim connubia incesta, *foeda*. Ego locis citatis contuli Arabicum نَدٌّ et نِدٌّ plur. أَنْدَادٌ

par,

par, *similis*, *rivalis*, unde et idola, rivales tanquam dei انداد dicunt. Nomen inde habet conjugium, quod fratrem, si post mortem fratris ejus ducere viduam possit, ejus rivalem facit. Uxorem qui, antiquo jure, ut partem hereditatis fraternae sperare poterat, forte et sperabatur ipse, viventi etiam fratri rivalis metuendus. Vide jus Mosaicum T. II. §. 109. p. 264–266.

1525. נְדֻדִים Job. VII, 4.

Vaga esse videntur *somnia*, ut Chaldaeus vertit, נדדת שנתא *vagationes somni*. De terribilibus in Jobi morbo somniis vide collecta in *introductione ad Vet. Test.* T. I. P. I. §. 10. n. 3.

נֵד quaere sub rad. נוד.

1526. נָדָה Jes. LXVI, 5. Amos VI, 3.

Duplicem aut triplicem verbum in linguis Orientalibus habet significationem, ut plura tertiae radicalis ה, quae ad loca Hebraica transferri possit, reliquas enim, quae nihil ad nos, omitto.

1) Arabibus ندا pro ندو est, *vocavit*, *advocavit*. Sic quidem acceperim Amos VI, 3. המנדים ליום רע *advocantes diem malum*. Advocare diem malum est, mala, quae Deus minatur *irridere*, *quod ventura non credamus*, *perque risum et jocum a propheta petere*, *ut cito veniant*. Vide Amos V, 18. ubi ejusmodi irrisores dicuntur, מתאוים *cupientes diem Jehovae*, Jes. V, 19. Malach. III, 1. Frequens Corano, de his qui deo i. e Muhammedi non credebant, *accelerant* i. e. *cito venire cupiunt malum*, *plane ac si esset bonum*: Sur. VI, 57. X, 12. XIII, 7. XVI, 1. XXI, 38. XXII, 46. XXXVII, 176. XLII, 16. 17. XLVI, 23. 34. LI, 14. 59. LXVII, 27.

2) Rabbinis et recentioribus et Thalmudicis, נִדָּה est *recedere*, נִדָּה *removere*, unde separationem a synagoga, excommunicationis aliquod genus, נִדּוּי vocant. Vide haec copiosius in Buxtorfii lexico p. 1303–1307. Hujus quidem usus Rabbinici nullam omnino rationem habiturus, eamque a magistris effictam existimaturus eram ex interpretatione locorum biblicorum, nisi et linguae vernaculae aliquid ejusmodi, licet non prorsus idem, offerrent. Syris ܢܕܐ *fugere* esse creditur, incerto licet exemplo, quod enim ex Ps. XXXI, 12. citatur, ܢܕܝܬ, possit etiam mu-

mutatis vocalibus ad radicem ندا referre. Verum et Samaritani habent, נדה *recessit*, Aethiopesque, נדא *propulit*. Ergo hanc significationem verbo abjudicare non ausim, estque omnino loco Jesaiae perquam apta, modo non de ritu excommunicationis Judaicae multo recentiore cogites. Sic in Jesaia accepisse videntur Vulg. *abjicientes*, Syr. ܡܣܠܝܢ *rejicientes*, Chald. מרחקין *procul esse jubentes*. Caeterum Amosi etiam loco *separandi* significationem, quam forte a suo Rabbino acceperat, Hieronymus dedit, sed ita ut הַמְנֻדִּים passive efferret, qui separati estis in diem malum. Utcunque sit, si נדה est, *fugere*, *separare*, hanc significationem a נדד accepit.

3) *Impuritatis* quoque notionem habet, nec forte a fugiendo, sed a fluendo, impuraque tabe, ut videtur, acceptam. ندا pro ندو *uvidus fuit, maduit*, Syris ܕܢܐ *stillavit* et vero ita ut ad sordes corporis referatur, unde et ܕܢܝܘܬܐ *sordes corporis*, peculiariter, *leprosorum*. Possis ergo et מנדיכם in Jesaia vertere, *qui impuros vos habent*, ut LXX βδελυσσόμενοι. Res eodem redit, sed tamen priorem a fugiendo et repellendo derivationem praetulerim.

1527. נֵדֶה *merces meretricia* Ez. XVI, 33.

Referendum ad Arabicum, quod vix dum memoravi, ندا 1) *uvidus* 2) *liberalis fuit*, unde نَدٍ *munificus*. Est, *donum amasiae datum*.

1528. נָדַם *tristis fuit, poenitudine ductus fuit*.

Verbum licet me judice nuspiam in codice Hebraico occurrat, lexico tamen inserendum, quod ad intelligendas aut dijudicandas facit antiquas versiones, quarum auctores alicubi illud spectasse videri possunt. Arabibus نَدِمَ *poenitentia facti ductus fuit, rem factam doluit*, نَدَمٌ *poenitentia*, نَادِمٌ *poenitens*. Jes. XV, 1. 2. Graecus interpres pro Hebraicis נדמה: עלה הבית ודיבן aut legens aut conjiciens, נִדְמוּ, habet, λυπεῖσθε ἐφ᾽ ἑαυτοῖς, ἀπολεῖται γὰρ καὶ Δηβών. Hic quidem נדם ad tristitiae significationem retulisse videntur. Iidem Ps. IV, 5. ודמו καὶ κατανύγητε, reddiderunt, quo et Theodoretus de *poenitentia* intellexit,

xit, Arabsque hoc ipſo verbo נדם reddidit, *eorum, quae in corde veſtro volviſtis* اندموا *poeniteat vos.* Ut tamen verum fatear, non videntur mihi hic de נדם, ſed de דמם cogitaſſe, nec κατανύγητε, illis eſſe, *poeniteat vos*, ſed, *dormite*. Vide, de κατανύσσεσθαι *alto ſomno ſopiri*, pro דמם ab illis ſaepe poſito, p. 449.

Unicus eſt locus, cui, mutatis vocalibus, נדם *triſtitiae* ſignificatione ſumtum, ſatis aptum, Hoſ. X, 7. נִדְמֶה שֹׁמְרוֹן מַלְכָּהּ, *luget Samaria regem ſuum*, vel etiam, regis nomine ad ſequentia relato, *triſtis eſt Samaria:* verum vel ibi mihi quidem, mutatis itidem vocalibus, praeplacuit, נְדַמֶּה, *comparemus Samariam*, i. e. ſimilitudinem de Samariae fatis proponamus. Vide pag. 447.

1529. נָדָן 1 Paral. XXI, 27. Ezech. XVI, 33.

In Paralipomenorum loco unanimiter a veteribus, *vagina*, vertitur, non invitante modo ſed prope cogente filo orationis: *reverti fac gladium in vaginam ſuam.* Haec ſignificatio ſi certa, transferre poſſis ad locum Ezechielis, ita ut, *vagina*, turpi ibi ſenſu ponatur, aliqua inter נֵדֶה et נָדָן paronomaſia: *omnibus ſcortis dant dona, tuque dediſti vaginam tuam omnibus amaſiis tuis.* Id quidem in verſione germanica tentavi: obſtare tamen video, pluralem נדניך *(vaginas tuas)*, nec ullus codex ſingulare נדנך, quod ſperaveram, habet: quo victus conſenſu codicum ad conſvetam revertor interpretationem, נדן idem quod נדה *munus meretricium*, facientem.

Ipſam adeo ſignificationem *vaginae* ſuſpectam facit, quod praeter Chaldaicam alia Orientis lingua nulla eam ſub נדן habet, ac ne derivationem quidem probabilem miniſtrat. Accedit, quod ne Chaldaicum quidem נדנה, *vagina*, ex Dan. VII, 15. citari ſolitum, ſatis certum, ſive adeo parum veriſimile, cujus enim auribus haec probentur: *contriſtatus* (proprie, *confoſſus*) *eſt ſpiritus meus, in medio vaginae*, i. e. corporis, quod tanquam vagina eſt animae (*)? Pro בגו נדנה *in medio vaginae*, aliter in voces diviſis literis legere poſſis; בְּגִין דְּנָה *propter hoc*, ſicque accepiſſe videtur Vulgata: *ego Daniel territus ſum in his.* Haec quidem dubitanti duo ſe obtulerunt:

1) Pro

(*) Citant Plinii hiſt. nat. libr. VII. §. 53. *donec cremato corpore inimici remeanti animae velut vaginam ademerint.* At ubi hiſtoricus ſcribit, vaginamne pro corpore ponet, nulla excuſatione, nullo VELUT adjecto?

1) Pro בְּרַכָה legendumne בַּרְכָה, *reverti fac gladium ad zonam*, i. e. iterum ex zona suspende. بَدَن 1) *corpus* 2) *zona*, quae corpus ambit.

2) Chaldaeis, לדנה *vagina*. Volunt aliqui N et L aliquando permutari, ut in לִשְׁכָּה et נִשְׁכָּה cella. Ergone נְדָנָה (sic enim jam 1 Paral. XXI, 27. scribendum erit) idem cum לְדָנָה? Ipse illo loco Chaldaeus interpres hoc vocabulo usus, ואתיב סַיְפֵיהּ לְלִידְנָהּ. Caeterum hoc ipsum Chaldaicum לדנה cum nulla linguarum cognatarum habeat, nec Hebraicum nisi in chronicis post exsilium Babylonium scriptis occurrat, suspicari possis, et נדנה et לדנה exoticum esse, ex aliqua barbara lingua in Chaldaicam Hebraicamque seriorem admissum? ex qua? id ignoro, Persica enim, quantum ex lexicis discere possum, neutrum habet.

1530. כֹּהַב *praeda* Obad. 13?

نَهْب Arabibus, *praeda*, et نَهَبَ *rapuit*. Verbum notissimum ac vulgatissimum, cujus significationes si certis credere exemplis, non dicto atque auctoritati lexicographorum cupias, adi, non Golium, sed Castelli lexicon Heptaglotton. Hinc Obadiae v. 13. וְאַל תִּשְׁלַחְנָה בְחֵילוֹ sensu prope cassum, certe perquam difficile, aliter dispertitis in verba literis, aliisque vocalibus additis, וְאַל תִּשְׁלַח כֹּהַב חֵילוֹ vertendum videtur, *et ne exsue spolia* (praedam) *exercitui ejus*, ne cape spolia ex fugitivis exercitus ejus, ne nudos illos et exsutos dimitte. Vide biblioth. Or. priorem T. XX. p. 167. et quae infra de שלח, *exsuere*, dicemus.

1531. כָּהַג *gemuit*. Nah. II, 8.

כהג praeter solitam, *ducendi*, *agendi*, *abigendi* notionem, et hanc *gemendi* habere, monuit jam Simonis: sed paulo dicam plenius. Nah. II, 8. *ancillae ejus* מנהגות כקול יונים verterunt ex consveta verbi significatione LXX. ἤγοντο ὡς περιστεραὶ, *ducebantur ut columbae*, sed omisso כקול, quod indicio est, de sono ac voce columbarum sermonem esse. Melius sane Vulgata: *gementes*, *ut columbae*, sicque et Chaldaeus ac Syrus מְנַהֲמָן: nec sine consensu illi linguarum Orientalium. Arabibus نَهَجَ inter alia, *anhelavit continue*, *vix interrupto spiritu*, *quomodo quis valde lassus respirare solet*, *suspiriosus fuit*, *vel*, *ex asthmate laboravit*, unde et

نَهْجٌ *anhelatio, asthma.* Syris quoque ܢܗܓ de voce ponitur, *clamavit, rugiit, rudit, suspiravit.* Hanc unde significationem habeat, non pro certo dixerim, utrum a, *ducere vocem*, an, quod qui acrius ad eundum impellitur, anhelat, an ex antiquiore aliqua radice *biliteru* הג, quae et in הגה atque הגג superfit, non pro certo dixerim: est tamen hoc perquam verisimile, cum et הגה de voce columbarum Jes. XXXVIII, 14. LIX, 11. ponatur. Vide in posterum plura in grammatica Hebraica, de ejusmodi biliterorum, sive naturalem sonum exprimentium, sive antiquioris linguae reliquiis. — — Jam et dubitari possit, sitne נִהַג de vento positum, Exod. X, 13. Ps. LXXVIII, 26. *deus adduxit-ventum?* an, *spirare fecit?* Prius video veteres praeivisse.

1532. כָּהָה et כְּהִי.

Lamentandi significatio, quae verbo ejusque derivatis tribui solet, certa, licet reliquae linguae Orientales eam non habeant, quarum dissensui velim etymologiarum studiosos, pauloque, quam ego sum, audaciores consulere. Suspicari coepi, esse, ut plura a נ incipientia, a naturali sono ductum, ab הוֹ particula lugentis et lamentantis, Amos V, 16. unde proprie foret, *O! O! dicere*: sed sonus naturalis in derivato, נְהִי *lamentum*, mutatione literae H in J plane perierit.

Arabibus نَهَى inter alia est, *prohibuit, vetuit*, forte ab O! lugubri, voce prohibendi, monendique, caveas periculum, atque ab eo revocandi. Huc in versione germanica תאוה נהיה Proverb. XIII, 19. retuli, displicebat enim, et adhuc displicet, quod plerisque placuit, ad היה referentibus, et vertentibus, *desiderium, quod evenit*, seu, ut praeierat Vulgata, *desiderium si impleatur.* Lege integrum versum, desiderabisque oppositionem, inter *desiderium impletum*, quod suave esse non diffiteor, et *recedere a malo* (סור מרע) quod abominatio stulti dicitur. Ergo sic rem instituebam: نَهَى est *prohibuit, vetuit*, hinc et اِنْتَهَى *vetitis abstinuit*, vel omnino, *abstinuit* (e. g. vino, Venere) quae notio Arabibus usitatissima, item passive in prima نُهِيَ *abstinuit*, seu, ut in lexicis dicitur, *missam fecit rem, supersedit ea, sive potiri possit, sive non.* Sic bona prodibat sententia: *cupiditas quae coercetur* (limitibus coercetur, qua non omni fruimur et abutimur) *dulcis est, sed abominatio malorum recedere a malo.*

Post

Post editam demum versionem vidi, quod primo non intellexeram, plerosque veterum, LXX, Syrum, Chaldaeum, summam mihi sententiae praeivisse, atque ita, ut magis forte placere possit. LXX habent, ἐπιθυμίαι εὐσεβῶν, Syrus et Chaldaeus, *desideria honesta*. Nempe a نهى *prohibuit*, انتهى *abstinuit re vetita aut periculosa*, oritur, نَهُوَ *prudens fuit* نهة et نَهُوٌ *prudens*, نُهْيَة *prudentia*.

Hos ergo jam sequerer, nisi alia, de qua antea non cogitaveram, probabilior etiam filoque orationis aptior se offerret explicatio. נהיה *prohibitum* jam interpretor, نُهْيَة Arabibus: totum adscribam versum, ut intelligatur, quam apte sibi duo ejus membra respondeant: *cupiditas vetita dulcis est animae;* (nitimur in vetitum) *atque abominatio stulto, recedere a malo.* Sic jam in editione repetita bibliorum reddidi.

Chaldaeis נהה in passivis conjugationibus est, *congregari*, forte, si quid admiscere etymologici liceat, proprie *convocari*, ita ut denominativum ab נהי etiam sit, *clamare*, aut a significatione Arabici نُهِيَ الى *perductus fuit, pervenit*, أَنْهَى *perduxit*. Hoc sensu accipio 1 Sam. VII, 2. וַיִּנָּהוּ *congregati sunt omnes Israelitae post Jehovam*, i. e. sive, *universi ad ejus cultum redierunt*, sive, *convenerunt universi ad supplicationes publicas, ut iterum fidem Jehovae addicerent.* Sic jam Josephus intellexisse videtur, Ant. VI, 2, 1. τοῦ λαοῦ – – ἐπ᾽ εὐχὰς καὶ θυσίας τραπέντος τοῦ θεοῦ, καὶ πολλὴν ἐμφανίζοντος τὴν περὶ αὐτὸν θρησκείαν καὶ φιλοτιμίαν. Chaldaeus, eodem adeo verbo usus, אתנהיאו בתר פולחנא דיוי *congregati sunt ad cultum Jehovae.* Intulerat et libro radicum Kimchius, sed dubius inter, ויתאבלו *planxerunt*, et ויאספו *congregati sunt*, quorum prius in pleraque recentiorum lexica receptum. Mihi non satis placet phrasis, *plangere post Jehovam:* altera videtur expeditior.

1533. נהל *aquatum ducere, pascere.*

Est quidem, *ducere*, etiam latiore sensu, ut cum grex passum ducitur, est tamen proprie Arabibus, أَنْهَل *aquatum duxit*, a نَهِل *primo potu haustuque bibit*, نَهَلٌ *potus quo primum adaquantur cameli, oppositus secundae adaquationi* علل *dictae.* Hinc multa lux non paucis locis

cis codicis sacri, sed hic ablego ad Schultensium, qui libro primo originum capite VII copiose de verbo ejusque derivatis egit. Unum excerpo, Jes. LI, 17. אין מנהל לה forte non vertendum, *non erat, qui eam duceret*, sed, *qui aquam ei porrigeret:* valde ebriis haustu aquae vix quidquam optatius ac salubrius. Pro consveta tamen explicatione facere videtur parallelismus sequentis membri, *non erat adprehendens manum ejus.*

Ergo prima significatio erit, *aquatum ducere gregem*, deinde generatim, *pascere*, denique et, *nutrire*, ut Genes. XLVII, 17. *pascere pane*, i. e. panis quantum opus est suppeditare. Fatetur et Schultensius, latius patere, aliqua tamen loca, ubi pascendi significatio praeferenda videtur, proprie de adaquatione accepit.

1534. נהללים Jes. VII, 19.

Et hic Schultensium sequor, qui §. 12. capitis supra citati, locum irriguum intelligit, ubi adaquari greges camelique possunt, Arabibus a bibendo مَنْهَل dictum. Apta sic oppositio ad נעצוצים spineta, quae in aridis esse solent desertis: apta et inter vespas et muscas distributio, illae sua habitacula ex ramis arborum et spinarum suspendunt, hae irrigua sive adeo palustria amant.

Chaldaeus, eumque secuti non pauci ad הלל retulerunt. LXX, Syrus, Vulgata, *foramina, fissuras*, vertentes, aut נחללים per Chet legerunt, quod tamen in nullo hucusque codice inventum, aut alliteratione aliqua, cum nescirent quid נהלל esset, ignotum vocabulum interpretati sunt, ה pro ח positum existimantes. Quod saepe recentiores facere videmus, urgente necessitate et ignorantia, idemne et veteres aliquando tentasse mirabimur?

1535. נהר. *aperire, prospectum apertum habere, lucere, laetari* Jes. II, 2. LX, 5. Jerem. XXXI, 12. LI, 44. Mich. IV, 1. Ps. XXXIV, 6.

Aliquid me novi et veri de verbo non nisi sexies obvio habere putavi, inque versione germanica sequutus sum, sed jam iterum deliberans abdico: expono tamen lectoribus, quibus indiciis illud mihi videbar reperisse.

Apud Arabes نهر et *fluere* significat, et *lucere, splendere, latum et amplum esse, dilatari*, ex quibus notionibus primam, *fluendi*, plerumque verbo Hebraico dederunt, quod deinde esse volunt, *confluere, diffluere* Hic mihi

mihi duo suspecta, primo, quod in sex his locis nullibi proprie de fluente aqua ponitur, sed ubique metaphorice: deinde quod imagini montis templi aliorum jugis impositi, Jes. II, 2. Mich. IV, 1. vix convenit phrasis, *fluent*, i. e. *confluent ad eum gentes*, nisi παράδοξον aliquod captetur. Res ipsa hic mihi poscere videbatur, *eminus videbunt et prospicient illum omnes populi.* Hac mihi significatione poni in Caisi carmine videbatur, chrestom. p. 97. 98. *subegi in vulnere manum meam* فانهرت فتقها *dilatavi fissuram ejus*, *ut pervium visui esset*, proprie, ut cis stans videre per illud posset, quod trans illud est. Accedebat, quod ותפקחנה Genes. III, 17. Jonathan Chaldaice reddit, ואתנהרן *et aperti sunt oculi amborum.* Hanc igitur mihi struebam significationum seriem; 1) *aperire*, 2) *aperire fenestram*, *prospectum*, *removere obstaculum*, *quod prospectui officit:* hinc 3) *lucere.* Sed video, unum locum probandae novae significationi non sufficere, cum ibi simpliciter sit, *latum facere*, *dilatare*, ac modo lati vulneris consequens, ut per illud prospectus pateret.

Excerpere jam et addere liceat, quid in verbo obscuriusculo veteres habeant.

1) *Fluendi* notionem debemus Hieronymo, qui Jes. 2. habet, *fluent ad eum*, in Micha *confluent*, sicque et in sua psalmorum versione, Jes. 60. *adflues*, quod in commentario interpretatur, *in modum fluviorum aquis subitis inundaberis.*

2) LXX plerumque veniendi, aut conveniendi significatione acceperunt: ἥξουσι Jes. 2. et Jerem. 31. σπεύσουσι Mich. 4. οὐ μὴ συναχθῶσι Jerem. 51. Sic et Syrus Mich. 4. ܢܐܙܠܘܢ. Eodem forte redit, quod Jes. 2. et Mich. 4. habet Chaldaeus: *convertent se ad cultum Jehovae.* Egregie hoc plerisque locis aptum: nuspiam tamen in aliis linguis נהר hac notione poni memini.

3) LXX. ut nunc leguntur Jes. 60. φοβηθήσῃ *timebis*, verterunt: at ut Hieronymus illos legebat inque commentario citat, *tunc videbis*, *et gaudebis*, verbo potius *gaudendi* notionem tribuerunt, sicque et ex illis vertit Arabs تفرحين *laetaberis.* *Timendi* notionem et Syrus expressit, Jerem. 51. ܢܕܚܠܘܢ ܠܗ *timebunt illum*, parum probabilem, nec usu reliquarum linguarum firmatam.

4) Ipsum verbum Jes. 60. Syrus et Chaldaeus, תנהרין *illuminaberis*, Jerem. 31. et Ps. 34. quin et LXX in psalmo φωτίσθητε. Putem hic, *illuminari* more Orientalium pro *gaudere* positum, estque haec significatio quibusdam locis egregie apta.

5) Cla-

5) Clarius eam verbo graeco expressit Theodotion Jes. 60. καὶ χαρήσῃ. Sic et Jerem. 31. Syrus, ܢܬܦܢܩܘܢ, Chaldaeus יתפנקון *deliciis oblectabuntur.*

6) *Obedire* habet Chald. Jerem. 51. quod conjecturale esse videtur.

7) Bis Syrus, *sperare,* vertit Jes. 2. ܘܢܣܒܪܘܢ ܠܗ, Ps. 34. ܣܒܪܘ. Hoc unde?

En quae diffidia! Aliquae significationes, quod usu carent linguarum Orientalium, repudiandae, ut *obediendi*, *sperandi*, etiam *timendi*, licet haec ultima filo orationis Jerem. LI, 44. egregie sit apta. Inter reliqua loca significationes sic dispertiri tentaverim:

1) Laetandi significatio, gaudio a luce dicto, his locis aptissima Jes. LX, 5. Jerem. XXXI, 12. quibus eam in versione germanica expressi, et Ps. XXXIV, 6. *intuentur ipsum et exhilarantur.* De Jes. LX, 5. monendum, posse ibi et gaudii atque hilaritatis notionem ad dilatationem referri, quam نهر Arabibus significat, lexicographis et grammaticis per وسع *amplus*, *latus fuit*, explicantibus. (Chrestom. p. 97. 98.) Svadet quodammodo parallelismus membrorum, in primo est, *tunc timebis* וְנָהַרְתְּ, in secundo dicitur, ופחד ורחב לבבך, *trepidabit et dilatabitur cor tuum.*

2) Reliquis locis, Jes. II, 2. Mich. IV, 1. Jerem. LI, 44. *confluendi* significatio relinquenda videtur, licet usu linguarum Orientalium non firmata, quae نهر de fluente quidem aqua, non de confluxu hominum ponunt. Displicet, fateor adhuc, quod *fluere ad montem* elevatum non nisi παραδόξως dicitur: usus quidem frequens linguarum saepe etymi obliviscitur, verum id fit in verbis valde usitatis, non in rarioribus. Possis quidem his ipsis locis priorem etiam significationem aptare, *laetari de monte templi*, *laete ad illum accedere*, *laetari de Belo*, nec tamen audeo: ergo de illis adhuc deliberandum, dederintque alii, his quae exposui ac dubitavi perlectis, certiora.

1536. נָהָר *fluvius.*

Hoc nomine *fluvios majores*, maxime *Euphratem* dici, rarissime *Nilum*, cui Aegyptium vocabulum יאר pene proprium, supra num. 939. jam dictum.

Euphrates quidem κατ᾽ ἐξοχὴν הַנָּהָר, fluviorum Asiae in vicinia Palaestinae longe maximus, ut Genes. XXXI, 21. ubi Jacobus, ex Meso-

po-

potamia fugiens, trajecisse dicitur את הנהר, nullo nomine addito, quod res ipsa prodit. Vix monitu opus duxissem, nisi fuissent, qui hic Orontem intelligerent, mediocrem fluvium, omni geographia conjecturis suis eversa. Idem et pluraliter נהרות בבל *flumina Babylonis* dicitur Ps. CXXXVII, 1. nempe quod ex Mesopotamia egressus, Tigridique vicinus factus, in multa divisus minora fluvia Tigridi miscetur. Eodem modo, aut dualiter, de duobus magnis fluviis, Euphrate et Tigride accipio, Ps. LXXXIX, 25. ubi fines Palaestinae a mari ad flumina ducuntur, ושמתי בים ידו ובנהרות ימינו, *faciam ut una manu mare teneat, dextera fluvios.*

Jon. II, 4. de *flumine in fundo maris*, qualia norunt naturae marisque periti, ponitur. Exemplum celebratissimum ejusmodi fluminis, ac ne in fundo quidem, sed et in summo mari, fretum Gaditanum, ab una parte Oceano in mare mediterraneum intrante, ab altera mediterraneo mari in Oceanum exeunte: sed plura sunt in fundo maris, de quibus naturae peritos consules, non lexicographum Hebraeum.

1537. מנהרות Jud. VI, 2. *speluncae subterraneae.*

Dictae, non ut volunt lexicographi, a luce quam foramen admittit, sed a نَهَرَ *fodit*, *effodit.*

1538. נָא *crudus* הניא *irritum fecit.*

Duo verba habent Arabes, 1) نَاءَ pro نَيْءَ *semicocta, cruda fuit caro*, unde نَيْءٌ *semicocta caro.* 2) نَاءَ pro نَوَاءَ, *surrexit, gravi onere pressus*, vel, *aegre surrexit*, *surrexit contra alium*, aliquando tamen et idem quod praecedens, *crudus fuit.* Priori respondet Hebr. נָא *crudus*, *semicoctus* Exod. XII, 9. Hinc הניא *irrita fecit consilia* &c. proprie, *cruda, immatura illa reddidit.* Sic et a priore verbo in secunda conjugatione faciunt Arabes, نَيَّأَ, *non bene, nec satis firmiter perfecit tractavitque rem.* Alii, Kimchii conjecturam sequuti, nullo linguarum Orientalium usu aut exemplo, verbo הניא *frangendi* notionem dederunt. יני Ps. CXLI, 5. quaere infra sub ניי.

1539. תְּנוּאָה Num. XIV, 34. Job. XXXIII, 10.

Priore loco esse mihi videtur *actus aliquid irritum faciendi:* וידעתם את תנואתי, *intelligetis, quid sit, cum ego aliquid* (nova vestra belli consilia)

(9) T

ſilia) *irritum facio:* poſteriore, *cruditates*, i. e. *imprudentia, imprudenter admiſſa peccata:* הן תנואות עלי ימצא, *cruditates*, *peccata imprudentiae in me invenit, jam hoſtem me habet.*

Aliter veteres. In Jobi libro, μέμψιν, *querelas*, LXX. Vulg. et Chaldaeus habent, Syrus, *praetextus*, quod olim in verſione ſequutus eram, ſed *crudas i. e. vanas accuſationes*, etymon ſequutus, intelligens. In Numeris Saadias vertit, موضع اعنائي *locum defatigationis*, collato ut videtur, نوأ *aegre et ſub onere-ſurrexit:* LXX θυμὸν τῆς ὀργῆς, Vulgata, *ultionem*, forte ex conjectura, nullo linguarum uſu, niſi forte, نوأ على *ſurrexit contra aliquem;* Maurus, *exciſionem;* Syrus, תלונתי legens, *quod murmuraſtis contra me.*

1540. נוב *in orbem ire*, *provenire*, *creſcere.*

Proveniendi, *germinandi*, *creſcendi* notionem verbo dant lexica, nec eam nego: ex prima tamen notione idem eſſe videtur, quod Arabicum ناب pro نوب *in orbem ire, per vices ire, redire*, unde نايبة *in circuitu recurrens*, et *fortunae caſus*, q. d. *orbis fortunae*, نوبة *orbis fortunae* نوبة *vicis una, ordo per vices ad alios perveniens, periodus, circuitus.* Vide, ſi plura cupis, Schultenſium ad Hamazam, p. 311. 312. Hinc proventum terrae Hebraei תנובת שדה dicunt, tanquam, *orbem agri*, ſuos per omnes menſes fructus efferentis, quem deſcriptum vide a Virgilio in Georgicis, l. II v. 516–522. novumque ex nomine verbum faciunt, נוב *provenire*, linguis ſororiis hac ſignificatione ignotum, Hebraeorumque peculium.

Ex prima et propria ſignificatione poni videtur Pſ. LXII, 11. חיל כי ינוב *opes cum vice fortunae contingunt* (fluxae illae ac caducae) *ne animum advertite.* Sic et Arabibus نايب *contingens*, et خير نايب proprie, *bonum alicui contingens.* Pſ. XCII, 15. עוד ינובון בשיבה *adhuc redibunt i. e. refloreſcent in ſenectute*, petita ab arbore imagine, quae per hiemem moribunda vere reviveſcit.

ינובב Zach. IX, 17. ſalvis legibus grammaticis ad radices נוב et נבב referri poteſt: prius placuit recentioribus, quibus lubens accedo, vertoque, *vinum quod provenire* (naſci) *facit virgines*, aut, ſi malis, *quod cre-*

crescere et efflorescere facit virgines. Quid autem spectantes LXX verterint, ἐυωδιάζει, *quod grato odore allicit virgines*, Syrusque, ܡܒܣܡ *quod suave est virginibus*, de eo mihi non liquet. Habent sub נבב Arabes, نَبَّة *odorem*, sed, *foedum et ingratum.* Latiusne significatio olim patuit, bonum etiam odorem complexa?

1541. ניב Jes. LVII, 19. Malach. I, 12.

Vertere solent, *proventum*, vel *germen*, ex veteribus nemine praeeunte Hieronymum praeeunte, qui Jes. LVII, 19. in Vulgata reddidit, *creavi fructum labiorum.* Vix satis concinna phrasis, certe non talis, ut conjectura nos ex filo orationis facta illuc deducat: nec melius placet in Malachia, *et quod proventum*, vel, *germen Jehovae attinet, contemtus est cibus ejus*, sacrificia in altari oblata, de quibus manifeste sermo, quis germen Dei dixerit?

Veterum aliqui obscurum ipsis vocabulum omiserunt, in Jesaia LXX et Syrus, in Malachia Syrus. Chaldaeus in Jesaia, ממלל ספותא *loquelam labiorum* vertit, paraphrastice? an ad נבב referens? quod forte olim loquendi significationem et in aliis linguis habuit, quam in sola servavit Aethiopica. In Malachia LXX et Vulg. τὰ ἐπιτιθέμενα, *quod superimponitur*, Chaldaeusque, *dona:* recte quoad sententiam ipsam, de sacrificiis enim Deo oblatis sermonem esse, manifestum: at unde id ניב dici potuit?

Mihi quidem sic videtur. In Jesaia est, ex נוב *in orbem ire, mutatio labiorum:* mutationem labiorum creabo, i. e. aliis plane labiis vos alloquar, non amplius poenas, sed *pacem, pacem* adnuntiabo. Malachiae I, 12. ניב mihi est, *orbis festorum et sacrificiorum*, ut Jes. XXIX, 1. חגים ינקפו *festa in orbem circumeant*, legitur. Simillimum verbi ناب usum enotarunt Arabum lexicographi: *dedidit se assidueque institit obedientiae erga Deum et pietati, peculiariter, sacrorum vices et ordinem observans.* Sic totus erit cultus divinus, illo tempore sacrificiis maxime et festis absolutus, atque ניבו נבזה מאכלו vertendum, *et cibus, quem cultus dei religiosus nobis praebet, contemtibilis.*

1542. נוד. *moveri, agitari, palpitare, tremere.*

Confer ad verbi Hebraici vim et significationem intelligendam, Arabicum ناد, *motus, agitatus fuit,* cujus quinta conjugatio, تنوّد, de *ramorum* agi-

agitatione ponitur, *vento impulsorum*, Syriacumque ܢܕ, *motus, concussus territus fuit, palpitavit corde*. Plane ex usu Arabicae conjugationis quintae Jes. XXIV, 20. de terra tremente ponitur, התנודדה כמלונה, *agitatur ut lectulus ex ramis arborum suspensus*, vide enim quae de מלונה num. 1301. scripsimus. Ps. LVI, 9. ipsas *palpitationes cordis* significare videtur, et כודי ספרת vertendum, *palpitationes meas numerasti:* certe, quod alii habent, נוד et נדד, ut saepe fit confundentes, *fugas meas numerasti*, titulo psalmi repugnat, eum ad primam Davidis fugam referenti: fugas Davidis numerare Deus non poterat, cum primum fugeret, nisi forte per praescientiam futurorum. Caeterum non nego, aliquando נוד idem esse, quod נדד *fugit:* ex regula tamen significationes distinguendae, unde et malim, נָד Genes. IV, 11. *tremens*, quam profugus, et v. 16. ארץ נוד *terram terroris*, quam, *exsilii*, intelligere. נוד *condolere*, dictumne ab *agitatione et commotione capitis*, quae condolentium est gestus naturalis? an a palpitatione cordis?

1543. נָוָה et נָוָהּ.

Notissimum נָוָה, cum He quiescente, *habitavit;* est tamen ubi aliam vel optes notionem, vel praeiverunt veteres. Habac. II, 5. גֶּבֶר יָהִיר וְלֹא יִנְוֶה vertere omnino possis, *tyrannus vastabit, non habitabit*, יהיר ad הור relato, de quo num. 545. actum. Fuerunt tamen ex veteribus, qui aliter verterent, nec improbabiliter. LXX οὐθὲν μὴ περάνῃ *nihil ad finem perducet*, sicque ex illis Arabs, idque יִנְוֶה omnino significare possit, collato قوي *intendit*, in sec. قوّي *perfecit et exsequutus fuit rem suam*. Vulgata: *non decorabitur*. Sic conferendum, قوه *eminuit, altus, magnificus fuit, validus, generosus fuit animo*, in sec. قوّه *laudavit*, atque ut verbum tert. rad. He Mappicatae, יִנְוָהּ scribendum. Ex hac Arabica significatione in versione germanica reddidi: *demens est tyrrannus, non vere altus et nobilis.*

Ad eandem, alti, laudabilis, laudandique notionem et אַנְוֵהוּ Exod. XV, 2. retulerunt, LXX δοξάσω αὐτόν, Vulg. *glorificabo illum*, Syrus, Samaritanus, Arabs Erpenii, et ambo Chaldaei recentiores, *laudabo illum*, favente parallelismo sequentis membri, in quo ואשבחהו sequitur: obstat tamen, quod נָוָהּ scribendum fuisset, אנוהו.

Est

Est et نوي vel نيّ *pinguis fuit*, quod quaere infra sub ני.

1544. נוח Zachar. VI, 8. Habac. III, 16.

Quiescendi significatio nota et certa, nec et his, quae supra indicavi locis, inepta: ea tamen adcuratius legens dubitare coepi, sintne ex נוח *quiescere*, an ناح pro نوح explicanda. Ejus prima vis esse videtur, quam sub decima conjugatione habent lexica, *ululavit:* hinc 1) in prima, *planxit*, *lamentatus est* 2) in tertia, *ex adverso oppositus fuit ventus vento*, proprie, *ulularunt contrarii sibi venti*, unde تناوحة *ex adverso et directe oppositus vento ventus.* Placebat Zachar. VI, 8. *ululare facient et confligere ventum meum in terra septentrionis*, de conflictu Persarum et Scytharum, ut mihi videbatur, positum, idque germanicae versioni intuli. Hab. III, 16. dubitabam inter datam a me versionem germanicam, et, *lamentor diem angustiae, superventurum populo hostili*, (proprie, יְגֻדֶנּוּ *qui invadit nos.*) ubi quaestio, utrum praeferendum, ex varietate lectionis יגדנו vel יגודנו pendet. Vide notas ad versionem germanicam, et biblioth. Or. T. XXIII. p. 186. 187.

1545. נֹחַ *Noachus.*

Noacho nomen inditum esse a *solando*, נחם, auctor est Moses, Genes. V, 29. qua in derivatione molestum Mem contra morem abjici. Suspicari possis, pro ינחמנו scribendum, יְנִחֵנוּ, *requiescere nos faciet a laboribus nostris;* sed nullus omnino ita codex. Alludebaturne, ut saepe fit in nominibus propriis, ad duas radices, נחם et נוח? an, quem pater *consolatorem*, נַחַם, vocaverat, eum posteri ex fatis viri, quod quietum et tranquillum mare expertus est, paulisper inflexo nomine, נֹחַ *quietem, γαλήνην* vocarunt? ܢܘܚܐ Syris γαλήνη. Vide lexicon Syr.

1545. הֵפִיחַ, נחח.

הֵפִיחַ, puncta si sequamur, nec ad נוח, nec, ut facere solent ad fictitium יפח, sed ad נחח referendum esse, sub n. 998. monitum. Habent Arabes: نوّخ est, *procumbere jussit camelum*, quod faciunt, ubi Deo, ut sacrum, et debitum offerunt. Hinc habent نُخّ, *cameli, qui pro-*

cumbere jubentur coram exactore, ut pro صـل قـة *dentur, i. e. pecudum portione, quae ut sacra debetur deo.* Videtur prima vis verbi esse, in *procumbendo* aut transitive, *humi deponendo*, indeque ad sacrationem eorum, quae deo debentur, transiisse. Hebraicum הֵנִיחַ plerumque est, *deposuit*, vel etiam, *reliquit.* Amos V, 7. non dubio filo orationis est, humi prosternere, וּצְדָקָה לָאָרֶץ הִנִּיחוּ. Sacrificiali sensu ponitur Jud. VI, 18. *donec efferam sacrificium meum*, והנחתי לפניך *et deponam i. e. offeram coram te.* Hinc

1547. נִיחוֹחַ *sacrificium*,

et frequens phrasis רֵיחַ נִיחוֹחַ *odor sacrificii.* Reliqua in lexicis quibuscunque sub יכח invenies, quibus haec supplementa nolim onerare.

1548. נין *propagare.* Ps. LXXII, 17. verbum dubium.

Ἅπαξ λεγόμενον, magna lectionis variatate, יִנּוֹן in Niphal (sic Keri) et יָנִין in Hiphil, (sic Chethib) scriptum, explicant fere recentiores, *propagare, augescere, crescere, numero et magnitudine*, sive denominativum putantes a נין *filius*, sive *filium* a propagando dictum. Merae conjecturae, et parum verisimiles, nihil ejusmodi habentibus sub נון vel נין linguis Orientalibus, ipsoque illo, נין *filium* esse, ut infra videbimus, incerto. Alia quidem omnia sub literis נון reliquae habent linguae Orientales, *piscis* nomen Arabica, Chaldaica, Syriaca, Samaritana, atque ab ejus similitudine, *gladii*, Arabica, verbum nullum praeter grammaticorum illud نَوَّنَ *nunnavit*, i. e. *Nun vocale nominibus addidit.* Nec veterum ullus praeivit, ne primi quidem lexicographorum, Kimchius et Reuchlinus. Abdicemus ergo nullo argumento aut teste firmatam conjecturam, fateamurque potius, si lectio vera, ignorantiam. Verum de lectione, ipsoque verbo נון dubitandum.

LXX verterunt, διαμενεῖ, Vulg. *permanet*, Hieronymus, *perseverabit*, Chaldaeus מְזוּמָּן הוּא: hi omnes videntur legisse, יִכּוֹן *stabilietur nomen ejus*, eodemque, nisi fallor redit, aut ignorantiam fatetur, Syrus, qui omisso verbo habet, *coram sole* (erit) *nomen ejus.* Hoc ipsum יכון per Caph in uno suorum codicum de Rossius, in alio Kennicottus a prima manu יכין reperit. Ergo aut lectio mutanda, verbumque נון proscribendum, quod equidem suaserim, aut illi ex veteribus significatio danda

da *manendi*, *perseverandi*, linguis Orientalibus ignota, aut fatenda ingenue ignorantia.

1549. מנענעים, נוע 2 Sam. VI, 5.

Ἅπαξ λεγόμενον, et incertae significationis. نعنع et تغنغ est, *flaccidus fuit*, *ultro citroque vacillavit*, sed et possit ad נוע *commoveri* referri. Sistri aliquod genus esse videtur, a commovendo et quassando dictum: sic Vulgata, *sistris et cymbalis*. Chaldaeus et Syrus, רביעין ܪܒܝܥܐ, *tabulas quadratas*, habent, Arabs, طبول مربعة *tympana quadrata*. LXX αὐλοῖς, *tibias*, verterunt.

1550. תְּנוּפָה, הֵנִיף, נוּף.

Opponuntur sibi saepius in sacrificiis הניף תנופה, et הרים תרומה, itemque חזה התנופה, et שוק התרומה: Exod. XXIX, 27. Levit. VII, 34. X, 14. 15. Num. VI, 20. XVIII, 18. Manifestum, utrumque oblationem significare, sed diverso ritu. Aliorum, maxime Judaeorum de utroque sententias, non repeto, disces eas ex Castelli et Coccejii lexico. Mihi quidem ex vi oppositionis verisimillimum:

1) תרומה esse, *oblationem elevatis manibus factam*.

2) תנופה *depositionem rei sacratae ante Jehovam atque altare*, et הניף *humi ponere*.

Commendat explicationem Syriacum ܢܦ *incurvatus*, *inclinatus est*, ܐܬܢܦ *inclinatus est*.

Nec quidem diffiteor, aliquando et utrumque nomen generaliore significatione de utroque actu poni, ut de pectore et armo dextero Exod. XXIX, 28. כי תרומה היא. Levit. IX. 21. הניף אהרן תנופה: verum quis ignorat, nomina non semper proprio significatu, sed et latiore poni, ita ut synonyma fiant, quae sibi strictiore sensu opponuntur.

De Levitis deo sacratis ponitur, Num. VIII, 11. 13. 15. forte, quod ante altare procumbentes cultui se Dei addicerent. Sic והניף אותם תנופה לפני יהוה verterem, *procumbere eos coram Jehova jussit*, *hocque ritu sacravit segregavitque ab Israelitis reliquis*.

Eandem verbi utriusque oppositionem, etiam ubi non de sacrificiis sermo, invenies Jes. X, 15. כהניף שבט את מרימיו *ac si baculus demitteret qui ipsum tollunt*: i. e. ac si baculus putaret, se hominem attollere, a quo demittitur, se vivere, se ferire, non hominem a quo geri-

geritur. Est et ibi alia lectio, quam hic explicare longum. Vide notas ad versionem germanicam, biblioth. Or. T. XIII. p. 138. et de Rossi varias lectiones.

Ex eadem demittendi, inclinandique notione et lucet phrasis frequens, הניף יד על *demisit manum super aliquem*, i. e. eum percussit, et הניף חרב *demittere cultrum*, sive ברזל, *ferrum*, *super lapidem*, Exod. XX, 22. Deut. XXVII, 5. Jos. VIII, 31. i. e. illum ferro serrare vel sculpere: *demittere falcem in segetes* Deut. XXIII, 26: *demittere* coelitus *pluviam*, Ps. LXVIII, 10. גשם נדבות תניף עליהם *pluviam volentem*, i. e. largam, *demittis super illos*.

Conspergendi notionem verbo semel tribuunt, non recentiores solum, sed et veteres omnes, exigente filo orationis, Proverb. VII, 17. נַפְתִּי מִשְׁכָּבִי מֹר *adspersi cubile meum myrrha* (Vulg.). Et sparsio a *descendendo*, *demittendo*, dici potuit: verum et possit, mutatis vocalibus ad aliam radicem, ex usu Orientalium sparsionem significantem verbum referri, ut, ad نَفَّ (נפף) *conserere terram*, נַפְתִּי, aut ad نفط (נפט) *conspergere farinam lacte vel aqua*, נִפַּתִּי adpellandum. Posterius veri non dissimile.

Plane non alia solum, sed et contraria Syriacae Hebraicaeque notio Arabici, ناف, sive mediam radicalem Vau sumas, sive Jod: pro نوف enim est, *elata fuit res*, *eminuit*, unde نَوْفٌ *gibbus cameli*, pro نيف *imminuit rei*, *eminuit supra eam*, unde et نِيَاف *arx alta*. Adnotandum duxi ob nomen נוף inde derivatum. Mirus hic linguarum dissensus et antiphrasis: sed forte olim *eminere*, *altum esse*, et *inclinari*, *descendere*, inter verba נוף et ניף dispertitum, postea confusa. Observavi nonnunquam, Arabibus verba unius literae inflexione et mutatione contraria significare.

At quid faciemus dicto Jesaiae, c. XXX, 32. מלחמות תנופה, *bella Thenuphae?* Ex his, quae praecesserunt, erunt, sive ad נוף *demittere*, manum, ferrum referas, sive ad ناف *imminere*, *bella ex alto*, *ex loco superiore*, *coelitus gesta*, idque in versione germanica posui, *bey Adufen und Cithern soll der Krieg von oben herab gegen sie geführet werden*. Nec tamen subticenda mira, ut primo adspectu videri possit, Arabis ver-

versio, Polyglottorum editoribus et interpreti latino nedum intellecta, يتحاربوه منذ البدو *bellum cum eo gerent ex deserto.* Non illa ex Graeco facta, sed ab aliquo profecta, qui Hebraica legens ex illis Arabica corrigere voluit: תכופה contulit cum تنوفة *desertum*, quod vide apud Golium p. 398. Satis felix et historiae concinens conjectura, Assyriis enim vanus metus ostendebat bellum Taraconis, per deserta Arabiae ipsam invasuri Assyriam. Caeterum hunc locum cum attigerim, et reliquorum dabo veterum interpretationes. 1) LXX πολεμήσουσιν αὐτὸν ἐκ μεταβολῆς. *Mutationem citam acierum, et exercitum in quasque se partes cito convertentem* intellexisse videntur, fere ut Rabbinorum non pauci תכופה *motum retro et citro*, sive etiam, *ad quatuor coeli plagas*, interpretati sunt: Svidas, μεταβολή ἐστιν, ἡ δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ γενομένη κλίσις κατὰ νώτου τὰς τῶν ὁπλιτῶν ὄψεις μετατιθοῦσα &c.: *in tacticis est declinatio quae bis in eandem partem fit, militum frontes in tergum convertens. Est autem duplex, altera ab hostibus, altera ad hostes. Quidam vero sic eam definiunt.* Μεταβολὴ *est versio frontis in tergum, vel contra, tergi in frontem. Et vero ea* μεταβολη AB HOSTIBUS (ἀπὸ τῶν πολεμίων) *dicitur, duplicem requirit declinationem hastam versus, quae autem* IN HOSTES, (ἐπὶ τοὺς πολεμίους) *duplicem declinationem clypeum versus.* Adscripsi, quod Bielius in lexico interpretari oblitus erat. 2) Theodot. πολεμοὶ ἀφορισμοῦ, quo nomine quid intellexerit, difficile dictu, forte, bella sacra. 3) Vulg. *bella praecipua:* forte separatum deo putabat Hieronymus praecipuum dici. 4) *Bellum forte* habent Syr. et Chald. קְרָבָא ܩܪܒܐ ܚܣܝܢܐ, תַּקִּיפָא. Legeruntne תקפה? an תכופה *vim, violentiam* interpretati sunt?

Ad Arabicum ناف pro نوف *eminuit* duo sequentia nomina refero, quae male a recentioribus, *tractus*, regio verti solent: nempe

1551. נוף Ps. XLVIII, 3. *eminentia*, *collis*, *mons*.

De Sione dicitur, יְפֵה נוֹף, quod ex Arabico vixdum allegato interpretor, *pulcherrimus montium*, (pergit vates) *gaudium totius terrae*, *mons Sion*.

Recentiores quod habent, *tractus*, *regio*, infelici Kimchii conjecturae debent, qui in radicum libro interpretatur, מחוז או פלך *provincia aut regio*: quasi vero mons mediocris Sion, provincia, dici possit. Nihil

hil pro hac, quam unus alteri credidit, significatione ex linguis adferri cognatis potest, ne etymologia quidem: nec quisquam hic illam veterum praeivit, licet sequens כנפות Chaldaeus, cui credebat Kimchius, פלכין reddiderit. Hic quidem veteres ita diversi, ut profiteri ipsi videantur, ignotum ipsis vocabulum esse:

1) LXX εὐρίζων *(bene radicatus)* ἀγαλλιάσει, exque illis Vulgata, *fundatus exsultatione*, Aquila καλὸς βλαστήματι, Hieronymus, *specioso germine*. Raschi in commentario, ניף *significat ramum seu frondem arboris*. Haec unde? Contuleruntne ניף cum נוב *germinare*? His tamen id fidei habuit Reuchlinus, ut vel verbum נוף in lexico suo interpretaretur *pampinavit*, *frondificavit*, *circumstipavit surculos*.

2) Symmachus, ἀπ᾽ ἀρχῆς ἀφωρισμένη, *ab initio separata*, aut, ut legendum suspicor, ἀπαρχῆς ἀφωρισμένη, *primitiarum separatio*. Retulit ad usum verbi הניף sacrificialem, *deo offerre*, seu ut plures ex veteribus voluerunt, *deo separare*.

3) Chaldaeus: *pulcher*, היך חתנא, *ut sponsus*. Hic quid spectarit, quo modo, qua arte, qua conjectura, ex נוף *sponsum* effecerit, meum non est divinare: intulit tamen et hoc licet sponso in sponsam mutato, suis commentariis Raschi: *alia explicatio, sponsa pulchra, sic enim in urbibus maritimis sponsam vocant* נינפי. — — Est hoc Graecum νύμφη! Quae ineptiae נף Hebraicum ad Graecum νύμφη referre? Interpres Chaldaeus psalmorum, cui talia debentur, valde recens et indoctus.

4) Syrus, ܡܫܒܚܐ *laudabilis*. Hoc quomodo ex יפה נוף effici possit, ignorare me fateor, nec paginam conjecturis commaculo.

1552. נָפָה, plur. נָפוֹת *eminentiae*, *promontoria*.

Ter occurrit, Jos. XI, 2. XII, 23. XVII, 11. a LXX ubique, a Syro duobus prioribus locis, a Vulgata ultimo, pro nomine proprio habitum. Ferri id in נפת דור poterat, at c. XVII, 11. שלשת הנפת, *tria* . . ., adpellativum exigere nomen videtur, nec quod ibi habent LXX exque illis Vulgata, τὸ τρίτον τῆς Ναφεθά, *tertia pars urbis Nopheth*, lectoribus probabitur.

Adpellative qui accipiunt, plerumque *provincias*, *regiones*, interpretantur, praeiveruntque ex veteribus, Chaldaeus ubique, פלכין, Vulgata c. XI, 2. *regiones Dor*, XII, 23. *provincias Dor*, vertentes: ex illo Rabbini, ex hac christiani acceptum lexicis intulerunt. Mera est conjectura, nullo linguarum usu aut etymologia firmata, et vero parum probabi-

babilis: urbis enim Dor cur provinciae, contra morem libri Josuae, ubique memorantur? tresne illa urbs olim non nobilis, provincias habebat, aliae urbes nullas?

Ex Arabico نَافَ eminuit, נפות *eminentiae* forent, ut, colles, montes: lectorum ergo et philologorum erat, interrogare geographum, aliquasne elevationes Dora habeat? Nonnihil jam responsi ferre potuissent a Relando, qui p. 740. Palaestinae ex Stephano docet, litus *Dorae saxosum, et conchae purpureae dives esse*. Sed plura addiderim ex recentioribus: Dora habet promontorium, licet non magnum, inque ejus vicinia duo alia sunt promontoria: sic jam נָפוֹת דור erunt, *promontoria Dorae*, et, שְׁלֹשֶׁת הַנָּפֶת *tria promontoria*. Testem cito Pocokium in itinerario Syriae et Palaestinae, hoc unum praefatus, quae olim Dora, nunc *Torturam* vel *Tarturam* esse, orto contractoque nomine, sive ex Aramaeo, טוּר דורה *mons Durae*, sive ex Arabico طُرْ دورة *saxum Durae*. Jam ut a septentrione incipiam, primo ingens habemus promontorium, Carmelum, juxta urbem Megiddo, quae ipsa Jos. XVII, 11. memoratur. Huic ab Austro Castellum Pellegrinum, ipsum cum promontorio, quartam partem milliaris Anglici in mare procurrente, Pocok. T. II. §. 72. tandem Tortora ad ipsum portum habens parvum, cum ruderibus castelli, promontorium, §. 73. Haec qui in editione Anglica legere cupit, evolvat Pocokii itinerarium. T. II. p. 57-59.

Hanc praeivisse interpretationem Syrus videtur, c. XVII, 11. ܬܠܬ ܩܪ̈ܢܢ *tres anguli* vertens: promontoria anguli in mare excurrentes: in summa etiam sententiae concinit, παράλιον vel παραλίαν vertens Symmachus.

נָפוֹת non potest nisi pluraliter adpellari: at sine Vau נפת דור in editis legitur c. XI, 23. exigua lectionis varietate, atque etiam in sex codicibus Kennicottianis c. XI, 2. Sic singularis esse possit, ac נֶפֶת דור *promontorium Dorae*, שְׁלֹשֶׁת הַנָּפֶת *tria* quae vixdum *dixi promontoria*. Qui ut nomen proprium expresserunt, sine Vau legerunt.

1553. ניר *lucerna*, *novale*, *jugum*.

Vocabuli ניר significationes in lexicis obviae, sunt 1) *lucerna*, *lumen*, idem quod נֵר, sed figurato plerumque significatu, 2) *novale*. Huc et secundum puncta masorethica נִר, aut, ut plene sex codices Kennicottiani

et biblia Nisselii habent, נִיר, Prov. XXI, 4. referendum: *novale malorum est peccatum*, i. e. *novi quid audent*, *novalia proscindunt mali*, *sed haec totidem sunt scelera: audent aliquid brevibus, Gyaris, et carcere dignum.* Vide notas ad versionem germanicam. Plures adeo codices plene ניר habere testis est de Rossius, atque ad hanc lectionem Chirek referendum, contra sine Jod scriptum, נֵר *lucerna* adpellandum, quod habent multi codices et editiones de Rossii, idque in versione germ. sequutus sum.

Est praeterea ad veteres intelligendos sciendum, ܢܝܪܐ Syris, نير Arabibus jugum esse, ut, in Hexaplis Syr. Jerem. II, 20. in versione Arabica Ps. II, 3. Hanc significationem ad Hebr. nomen transtulit Vulgata, נִירָם אָבַד Num. XXI, 30. *jugum eorum disparuit:* male ut videtur, nec enim concinne composita phrasis, *jugum eorum periit*, *Hesbona.*

Hunc quidem locum cum attigerim, in quo veteres omnes ונירם, pro nomine habuerunt, aliquid de ejus interpretationibus dicendum. 1) Vertere possis, *et lumen illorum periit*, *Hesbona*, fere ut Cicero Corinthum *lumen Graeciae* dixit. Sic ex veteribus accepisse videntur, Chaldaeus, מַלְכוּ *regnum*, Arabs Erp. سلطنتهم *dominium ipsorum*, vertentes. Nec tamen placet, lumen enim exstingui potius, quam perire diceretur, ac magis etiam sequentia obstant, haec enim, *Hesbona lampas populi periit Dibonam usque*, quis auribus adprobet? 2) Saadias: *periit eorum vestigium* (سبلوهم) *ex Hesbon:* quod quomodo ex Hebraico ניר effici possit, nondum assequor. 3) Σπέρμα, *semen*, verterunt LXX, (τὸ σπέρμα αὐτῶν ἀπολεῖται, Ἐσεβὼν ἕως Δαιβὼν,) posterosne intelligentes, ex 1 Reg. XI, 36. 2 Reg. VIII, 19? an sativos agros, pulcra novalia? Posterius quidem praeplaceret, habetque sine dubio Syrus, 4) ܢܟܣܐ *agros* vertens. Hoc quidem praefero, ac verto, *culta illorum Hesbonam inter et Dibonam novalia perierunt.*

Ut verbum si interpretari lubeat, vide scripta pag. 1161.

1554. כוש *ultro retroque agitari*, *vacillare* &c. Job. XXXIV, 6. Ps. LXIX, 21. Mich. I, 9.

Arabibus ناس pro نوس, *ultro citroque agitatus fuit*, deinde *vacillavit*, unde نوّاس *vacillans*, *pendulus*, *conturbatus*, *perturbatus*, *languens*. (Castelli lex. Ar.) Syris ܢܫܐ *debilitari*, *aegrotare*. Hinc

mihi

mihi explicandum videtur Job. XXXIV, 6. אֲנוּשׁ חִצִּי *agitabo*, *i. e. vibrabo*, *coruscabo telum meum:* et Ps. LXIX, 21. *opprobrium fregit cor meum:* וָאָנוּשָׁה *et vertigine agor*, aut si malis, *perturbor*. Ad radicem אנשׁ verbum ואנושה vix sine anomalia referri potest. — — Qui in Jobi libro verterunt, βίαιον τὸ βέλος μου, LXX, exque illis Vulgata, *violenta sagitta mea*, ad radicem אנשׁ, *debilis, infirmus fuit*, retulerunt, et κατ' ἀντίφρασιν acceperunt: solitum Graeco interpreti, sed parum verisimile, artificium. Sic et Mich. I, 9. אנושה מכותיה verterunt, κατεκράτησεν ἡ πληγὴ αὐτῆς.

Hoc ipso quem vix dixi Michae loco כי אֲנוּשָׁה מכותיה possis, demta anomalia numeri, ad נושׁ relatum, et tono in penultimam syllabam retracto, vertere, *quoniam intremisco, vel aegerrime fero, plagas ejus*, (Hierosolymae:) sicque et Jerem. XXX, 12. *intremisco ad plagas tuas:* sed haec dubitans scribo.

1555. נָזָה *conspergi*, הִזָּה *conspergere*.

Arabibus نزو *salire*. Haec prima ut videtur verbi vis, atque inde הִזָּה cum עַל constructum, *insilire fecit in eum aquam vel sanguinem*, est, *conspersit eum aqua vel sanguine*.

Ex hac spargendi significatione aegre expedies Jes. LII, 15. כן יַזֶּה גוים רבים, quod enim habent, *sic consperget gentes multas*, non satis expeditam habet ad praecedentem comparationis partem oppositionem, fuissetque interposito עַל dicendum, כן יַזֶּה עַל גוים רבים. Sed haec contra consvetam explicationem, aliasque recentiorum interpretum, exposita vide in Tomi XIV. bibl. Or. adpendice, p. 167. 168. Mihi hic ad aliam deveniendum videtur radicem,

1556. נָזָה, *amoenus fuit*, *Hiphil oblectavit*. Jes. LII, 15.

Nempe نَزُهَ frequentissimum Arabibus verbum, *amoenus jucundus fuit conspectu*, unde, نُزْهَة, مَنْزَهَة, مُتَنَزَّهة (hoc Abulfedae frequentatum) *locus amoenus*, atque adeo, *paradisus terrestris*. نزهة est et *oblectatio*, unde Nubiensis geographiae suae titulum fecit, نزهة المشتاق *oblectationes cupidorum*, i. e. *studiosorum*. Hinc הִזָּה erit, ob-

oblectavit. Verba Jesaiae punctis mutatis, et litera H facta mobili, כן יַזֶּה גוים רבים, verto, *ut multi super illum* (עליו, vide varias lectiones) *stupuerunt, quod abjectior ejus forma esset, ita oblectabit gentes exteras multas:* ut Judaei stupuerunt, eumque repudiarunt, nihil exspectato Messia et victore rege dignum in eo videntes, ita deliciae erit gentium exterarum. Vide versionem germ. et notas.

נזח, מזיח Job. XII, 21. quamvis huc pertinere putem, posui cum aliis sub מז, num. 1287. quod ibi quaesitum iri putabam.

1557. נזל *fluxit*, de odoribus.

De odore poni videtur, a ventis disperso, Cant. IV, 16. *evigila, Aquilo, veni Auster, perflato hortum meum,* יזלו בשמיו, *ut diffluant aromata ejus.* Fluunt quidem vere, et stillant ex ruptis arborum corticibus aliqua aromata, sed nihil ad hanc stillationem ventus.

1558. נֶזֶם, *annuli, non ex auribus modo, sed et ex naribus dependentes.*

Cum nolim eadem bis dicere, bis lectoribus vendere, remitto hic ad *antiquitatum Hebraicarum compendium meum, p. 46.* et praelectiones in illud, quae forte ante hoc lexicon editum jam prodierint. Haec modo hic adnoto, in lexico necessaria: primo male rem egisse Zornium et Schroederum, qui annulos per nares trajectos, Asiae, et antiquo orbi ante inventum Americam negant; deinde in etymologiis ludere Schroederum (de vestitu mulierum Hebraicarum) radices alienissimas, נמס et בזם conferentem, denique, si نزم, ut lexica Arabum sine exemplo habent, est, *momordit*, ab admorsa, i. e. perforata aure, nasoque inaurem et annulum nasi nomen accepisse, id vero si falsum, ac نزم in lexicis Arabum errore librariorum puncta diacritica male ponentium ex بزم ortum, ut in grammatica Arabica §. 2. num. 14. suspicatus sum, nihil nos de hoc nomine etymologici habere, derivationemque omnino latere. Nec id mirari debemus, cum multa ornatus nomina etiam in nostris linguis extera sint: exteros imitamur, eorum ornatum adsciscimus, atque cum illo nomen. Verisimile, נזם, quod nulla praeter Hebraicam lingua Orientalis habet, exterum ac barbarum esse; desinamus ergo, imperite in etymologiis ludere, risumque praebere non nimis credulis.

1559.

1559. נזר *separavit, sacravit.* Hos. IX, 10.

Sub نذر Arabes, Syri, Chaldaei, Samaritani sub ܢܙܪ verbum Hebraicum habent. *Separandi* significatio notissima, inde *sacrare se*, unde et qui deo se sacravit נָזִיר *Naziraeus.* Hinc est, quod Hos. IX, 10. legimus וַיִּנָּזְרוּ לַבֹּשֶׁת *segregarunt*, i. e. *sacrarunt se Baali.* Festum qui agere volebant, sacras vittas sumebant, seque deo consecrabant. Vide et Hos. IV, 14. ubi quod in priore membro est, עם הזונות יפרדו, *cum meretricibus separantur*, (sanctificant se, atque in lucorum parum castos meatus secedunt) in sequente effertur, *et cum prostibulis sacrificant.* Vix opus somonitu duxissem, nisi viderem, hic laborare veteres et recentiores. Solus recte, eodem verbo usus, Syrus ܐܬܢܙܪܘ ܠܒܗܬܬܐ: reliqui, LXX. ἀπηλλιώθξησαν, Vulg. *abalienati sunt in confusionem*, Chald. *associarunt se Baali.* Recentiorum lexica non compilo; evolvat quisque.

1560. נֵזֶר *separatio, sanctificatio, diadema, votum.*

Diadema a separatione aut sanctificatione dictum, quod eum non reliquis solum hominibus eximat, sed et tanquam sanctum faciat, qui eo ornatur. Insignis locus Levit. VIII, 9. ubi *flos aureus* ex tiara sacerdotis ejus fronti impendens, נזר הקדש, *separatio* sancta dicitur.

Nec tamen hinc explicare velim, אַבְנֵי נֵזֶר Zach. IX, 16. ut plerique, *lapides sanctos*, alii methaphorice accipientes, alii de gemmis in pectorali sacerdotis cogitantes, male apto quod sequitur verbo מתנוססות. Mihi potius sunt *lapides votivi*, a نذر 1) *separavit* 2) *addixit aliquid, vovit, devovit*, et نَذْر *votum. Lapides, inquit, votivi eriguntur:* trophaea intelligo, et victoriarum monumenta, ex quibus Maccabaeorum tempore, de quo sermo, illud maximum et celeberrimum, quod 1 Maccab. XIII, 27-30. describitur, in urbe Modeim erectum. Sancta quidem ejusmodi trophaea vota dici possunt, unde nolim eos, qui sanctos lapides verterunt, LXX. Vulg. Chald. reprehendere, sed rem dicere clarius ac distinctius studui.

A diadematis notione ortum,

מזרים et מזרות *corona borealis*, quaere sub מזר.

1561. נזיר Genes. XLIX, 26. Thren. IV, 7.

Naziraei significatio notissima, duobus, quae supra indicavi locis parum apta videtur. Josephus, qui Naziraeus nunquam fuit, vinum bibens,

bens, Genes. XLIX, 34. vocatur, נזיר אחיו: id de castitate viri, uxorem Potifaris adulteram fugientis, interpretati sunt: verum in votis Naziraeatus castitatis nullae partes sunt, Simson, Naziraeus, in meretricum gremio, nec Naziraeatum exsuebat, donec caput tonderetur. Calmetus nomen praefecti atque inspectoris thesaurorum regis Persiae, *Nasir*, confert, quod ex Chardinii itinerario T. II. p. 236. didicerat, sed scribere Arabicis literis non poterat: scribendum illud, ut ex litera S liquet, per צ, نَاصِر vel etiam ejus loco نَاظِر, non per ז, Z Gallorum. Multo certe melius Onkelos, *segregatus* i. e. eximius ex fratribus suis. Sed omnibus praestat, quod Syrus habet, ܒܟܠܝܠܐ ܕܐܚܘܗܝ *coronatus fratrum suorum.* A נזר, *diadema*, נזיר hic est, *diademate insignis*, i. e. rex, sive quod Josephus dum viveret, licet non nomine, re tamen et imperio rex esset, sive, quod potius reor, ut tribui Josephi regnum aliquando portendatur. Vide notas ad vers. germ.

Thren. IV, 7. parum verisimiliter de *Naziraeis* (נזיריה) dicitur, *puriores sunt nive, lacte candidiores, coralliis rubentiores.* Haecne eximia pulcritudo corporis ex abstinentia a vino per unum aut duos menses? Lautene pascebantur aliorum sumtibus, ut nostri monachi? Atqui nulla hujus liberalitatis Israelitarum mentio aut memoriae: adde perpaucos per totam vitam Naziraeos fuisse, qui publice ali ac saginari potuerint, sed plerosque per unum mensem. Ergo his potius adsentior, qui *principes, natalibus nobiles*, intelligunt, sive, *eximii*, vocentur, sive a *tiara altiore, auro et gemmis ornata*, נזר, non regio quidem hic, sed tamen nobilium diademate.

1562. מִנְּזָרִים Nahum. III, 17.

mihi esse videntur, *proximi a diademate insignibus*, i. e. *a regibus*, formae, מִגֹּאֵל *proximus a Goele*, *proximus uno excepto cognatus*, Ruth. II, 20. III, 12. pro מִן גואל. Plura in grammatica editioni partim parata. Dagesch in נ, cujus nullam se reddere rationem fassus est Abenezra, si omittas, ut in sex codicibus mscr. et tribus editionibus omitti auctor est de Rossius, idem erit cum praecedente נְזִירִים, forte aliis quoque vocalibus passivis מִנְּזָרַיִךְ *separati tui*, *nobiles et eximii*, *diademate notati tui*, adpellandum.

Ve-

Veteres hic valde dissentiunt, ut de vocabulo non plus nobis novisse, sed omnes conjecisse, videantur. LXX. ὁ συμμικτός σου, *peregrinus tuus:* videntur solum זריך arripuisse, quod possit esse, *peregrini, exteri tui*, literis מן aut neglectis, aut nescio quo artificio per ἐξήλατο, redditis, (ἐξήλατο ὡς ἀντέλαβος ὁ συμμικτός σου): Vulgata, *custodes tui*, מנזריך et מנצריך confundente Hieronymo: Syrus ܢܙܝܪܝܟ *Naziraei tui*, Mem initiali neglecto, nec verisimiliter, habueritne enim Nive innumeros, locustis comparandos, Naziraeos? Chaldaeus, טס *laminae* (ferreae) quod unde arripuerit necdum conjeci.

1563. נָחָה, הִנְחָה Jes. VII, 2. LXIII, 14.

نَحَا pro نحو Arabibus est, *cont ndere ad aliquem* vel virum, vel locum. Hinc in Hiphil Hebraei, הנחה *duxit*, proprie, *contendere*, i. e. ire, *proficisci fecit*. Decies eadem significatione et in Kal occurrit, conjugatione transitive sumta, nisi forte, punctis mutatis, ad Piel referre placeat, e. g. נָחִיתָ pro נִחִיתָ Exod. XV, 13.

In Kal semel pro *tendendo, proficiscendo* poni videtur, tono vocis mutato, Jes. VII, 2. נָחָה ארם על אפרים *tendit Syrus ad Ephraimum*, castra illi conjuncturus: quod enim editiones habent, נָחָה, femininum verbi נוח, *requiescit Syrus super Ephraimo*, et grammaticae contrarium est, nomina populorum masculine construi jubenti, nec bonam fundit sententiam. Vide biblioth. Or. T. XIV. p. 116–118.

Ad Hiphil תניחנו Jes. LXIII, 14. sine Jod lectum תַּנְחֵנוּ, retulerunt LXX. Syrus, Chaldaeus, Vulgata, *duxisti*, vertentes: idque ob expeditiorem sententiam praefero. Duo codices Kennicottiani, 305, et 607. sine Jod habent, תנחנו, pauci quidem numero, sed major est versionum, omnibus codicibus longe antiquiorum auctoritas.

1564. מִנְחָה, vel מַנְחָה *tractus*, *regio*. Genes. XLIX, 15.

A نحا *tendere*, faciunt Arabes, نَحْو, نَحَاةٌ, نَاحِيَة, *tractus, regio, plaga, ora.* Hoc ad Genes. XLIX, 15. transfero, ubi ob asperitatem constructionis displicet, *vidit* מְנֻחָה *quietem*, sequente masculino, כִּי טוֹב, *quod bonus esset*. Ergo ad نحا relatum, punctisque adfectum masculinis, מִנְחָה vel מַנְחָה, verto, *vidit tractum, quod* bonus

bonus esset, suppetias etiam ferente parallelismo sequentis membri, *et terram, quod amoena esset.* Biblioth. Or. prior, T. IX. p. 230. 231.

נחח et הֵנִּיחַ quaere supra sub נוח n. 1545.

1565. נחל מצרים, *fluvius Aegypti*, vel, *vallis Aegypti.*

Aliquoties ut limes Palaestinae et Aegypti memoratur, quem usque, nec ultra, Palaestina Israelitis concessa: Num. XXXIV, 5. Jos. XV, 4. 47. 1 Reg. VIII, 65. 2 Reg. XXIV, 7. Jes. XXVII, 12. Variae nominis fuerunt interpretationes.

1) Plerique vel *fluvium*, vel *torrentem Aegypti* vertunt: hic vero fluvius qui sit, de eo valde diffident. Ipse Nilus intelligi posset, maxime ob parallelismum Genes. XV, 18. ubi australis terminus נהר מצרים *fluvius Aegypti* dicitur; sed obstare videtur, quod illo ipso in loco fluvius Aegypti opponitur, *fluvio magno Euphrati*, quo certe Nilus non minor est. Aliis rivus visus est, circa Rhinocoruram, sed hi ipsi iterum diversi: his enim rivus est e Nilo egressus, qui prope Rhinocoruram mari misceatur, (proximis veritati, modo Rhinocorurae nomen omisissent) aliis torrens ex Idumaea egressus, sed qui nullo teste probari potest. Müllerus ostium intelligit Nili Pelusiacum. Copiosiorem de his disputationem legere si cupias, nec enim hic vacat aliena excerpere, adi *Conradi Ikenii dissert. de finibus terrae promissae* (tertiam volumnis secundi dissertationum Ikenii junctim editarum) et *Christiani Müller saturam observationum cap. IX.* Meam jam adjicere sententiam liceat.

Abulfeda in descriptione Aegypti num. 68. auctor est, urbem Bilbeis, metropolim regionis Gauf vel Hauf *perfluere unum fluviorum ex Nilo, quo tempore crescit, emanantium, qui dicatur, Nilus filii Menga, et ex quo tota regio bibat.* Vide meas ad illum adnotationes, (283. 285.) urbemque Bilbein in tabulis quaere d'Anvillianis, in quibus et hunc Nilum filii Menga expressum videbis. *Vanslebius*, ut jam in nota ad Abulfedam 43. monueram, in *relation de l'Egypte* p. 47. audiisse se Damiatae ait, licet ipsi videatur parum credibile, *canalem aliquem Nili artificialem haud procul Gaza in mare influere.* Quae audierat, Abulfedae concinunt, estque canalis aliqua parte artificialis, per quem regio Gauf, ultra arenarum Nilo non mersarum deserta sita, aquam Nili accipit, illaque foecundatur. Vix dubium, quin Septembri mense fluat, inque mare mediterraneum viam sibi aperiat, quo Nilus altissimus, fortassis et Augusto et Octobri: at quibus mensibus ripis suis continetur minus aquae devehens

Nilus,

Nilus, ut, Januario, Februario, Martio, Aprili, Majo, atque etiam aliis,
non poteſt non hoc, utcunque dicere volueris, brachium Nili, canalis,
oſtium, ſiccum eſſe aut perquam tarde ſtagnare potius circa Bilbeim, quam
fluere, ut alii multi Nili canales, ipſe ille qui Cahiram tranſit. Geogra-
phi quod hunc exitum Nili prope Gazam ignorant, non mirandum. Pau-
ci qui ex Aegypto in Palaeſtinam proficiſcuntur has regiones adeunt, ma-
ri enim plerumque iter faciunt, non terra: hique ipſi pauci *Nilum filii
Monga prope Gazam in mare effluentem* non videbunt, ſed omnia ſicca,
niſi Septembri menſe, quo maxima eſt Nili exundatio, illa loca attin-
gant. — — Jam et intelliges, hoc brachium Nili a Moſe Geneſ. XV,
18. eodem jure נהר מצרים *flumen Aegypti*, vocari potuiſſe, quo Abul-
fedae eſt, بحر ابن منجا *mare, i. e. Nilus filii Munga,* et tamen
Euphrati, ut fluvio magno, opponi.

2) Poſſis et נחל מצרים *vallem Aegypti vertere*, licet id neminem
recentiorum facere jam meminerim, resque prope eodem redibit: erit
regio جَوْف, i. e. *vallis*, quam Nilus filii Mongi perfluit et foecundat;
exundante Nilo humilior, ultra altiora, ideoque infoecunda, deſerta
arenoſa. Vide de hac omnino Abulfedae Aegyptum pag. 45. notamque
meam 43. in qua de ambigua et incerta nominis ſcriptione, حَوْف *(Hauf,
ora)* et جَوْف *(Gauf, vallis)* diſputatum. Nec obvertas, vallem Aegy-
pti ſi interpreteris, ea hujus vallis quae ultra Nilum filii Monga ſunt, Iſ-
raelitis acceſſura, quod parum ſit veriſimile: Septembri menſe tota vallis,
quousque fertilis eſt, Nilo merſa, atque Nilus eſt. Jam prope malim,
נהר מצרים *fluvium Aegypti*, נחל מצרים *vallem Aegypti*, regionem
Gauf ab illo foecundatam intelligere.

3) *Rhinocoruram* LXX interpretati ſunt, (ἕως Ῥινοκορούρων,) de qui-
bus Hieronymus, in vicinia Aegypti vivens, ſed ignorans, Rhinocoru-
ram hoc ab Aegyptiis nomine vocari, in commentario ad h. l. *pro tor-
rente Aegypti LXX Rhinocoruram transtulerunt, quod eſt oppidum in Ae-
gypti Palaeſtinaeque confinio, non tam verba ſcripturarum, quam ſenſum
verborum exprimentes.* At Epiphanius, incredibilem mihi, ſed avide re-
ceptam a multis, admiſcens fabulam, de diviſione totius terrarum orbis
tres inter filios Noachi, praeſente patre, Rhinocorurae facta, tradit, quae
Graecis Rhinocorura ſit, eam ab indigenis Νεελ, i. e. נחל, vocari: Ῥι-
νοκοροῦρα γὰρ διερμηνεύεται ΝΕΕΛ, καὶ οὕτω φύσει οἱ ἐπιχώριοι αὐτὴν
καλοῦ-

καλοῦσιν, ἀπὸ δὲ τῆς Ἑβραΐδος ἑρμηνεύεται, κλῆρει, ἐπειδήπερ ὁ Νῶε ἐκεῖ ἔβαλλε κλήρους. Fabulam non credo, curque mihi plane videatur incredibilis in jure Mosaico §. 29. rationes reddidi: at nomen NECHILO in deserto, Aegyptum inter atque Asiam interjecto, ex Joanne Helfricho didici: sed ille NECHILO ab *Elarisch* (Larissa) quam volunt Rhinocoruram esse, distinguit. Vide ejus itinerarium 1579 Lipsiae editum, sub die 13. 14. Octobris, paginas enim citare non possum, quod illis numeri non sunt superpositi. Die 13 Oct. *Arischae* est, inde circa medium noctis proficiscitur, totumque diem 14 equo vectus secunda ante vesperam hora pervenit ad locum NACHILO dictum, nihil habentem praeter sterile solum, et fontem ingratum atque impurum. (*Ich kam zwey Stunden vor Abends an einen Ort, welchen sie nennen, Nachilo, der war aber anders nichts als ein sandiger unfruchtbarer Boden, dazu ein böser unreiner Brunne.*) Ergo aut Rhinocorura non est, ut fere omnes sumunt. *Arisch*, (vide notam 148. ad Abulfedam) aut, non Rhinocorura, sed sterilis subdio locus, diei inde itinere, nomen habuit, de quo Epiphanius refert.

Mihi quidem nomen proprium vel hanc ob caussam non placet, quod ubique in locis supra citatis *Aegypti* nomen additur, נחל מצרים. *Vallem, fluvium*, torrentem Aegypti intelligo, at nomen proprium nobilis urbis quis fere semper nomini regionis junget? quis dicat, נֹף מצרים? aut סין מצרים? Roma Italiae?

Forte quaeras, nullumne in hoc deserto exitum Nili in mare viderit? nullum in ipsa sterili valle Nechilo? Sed memineris, Nilum Septembri mense maxime exundare, postea ripis jam coerceri, agrosque conseri, Helfrichum autem die decimo quarto Octobris veteris calendarii, i. e. 25 Octobr. nostri, illo in deserto iter fecisse.

1566. נְחִילוֹת Ps. V, 1.

Vocabulum perquam dubium, in cujus interpretatione nullas in partes ire, sed modo enarrare atque dubitari ausim.

1) Sunt qui de argumento psalmi accipiunt. LXX Aqu. Symm. Theodot. Vulg. ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης, *pro ea, quae hereditatem consequitur*, quo nomine Hieronymus ecclesiam intelligit. Fuerunt quoque, teste Raschio, ex Judaeis, qui de hereditate cogitarunt, quibus recte obvertit, ne verbulum quidem in toto psalmo de hereditate legi.

2) Ergo Raschi, ipse de titulo argumentum psalmi exprimente accipiens, exercitus hostiles intelligit, ex Chaldaico נְחִיל דברים, *examen*

apum

apum. Hic quoque ut arbitror male: putat, נחיל *multitudinis*, *exercitus* nomen esse, verum est a نَحْل *apes.* Nec psalmum perlegenti videbitur de exercitibus hostilibus agere.

3) חבבין *fistulas* vertit Chaldaeus, ad חלל *perforare*, et חָלִיל, ut videtur, referens. Bona explicatio, si sine Jod נְחִלוֹת scriberetur. — — Instrumentum musicum si sit, forte ad نَخِيل, *palma*, referre possis, ut sit *psalterium*, *ligno palmae obductis nervis.* Obstat instrumento musico, quod cum אל praecedente construitur: novem tamen codices Kennicottiani habent על הנחילות, nec negandum saepe אל pro על poni.

4) Venit mihi in mentem, conferri posse Arab. نخل *cribrare*, *meliorem separare et deligere partem*, ut sit, *oda accinenda purificatae et meliori parti populi.* Id quidem egregie aptum argumento psalmi: timidus tamen sum in amplectenda conjectura.

Ergo adhuc dubito, ignorantiam fateor, sed ea, quae habeo, lectoribus exposui.

נחללים quaere sub ח n. 737.

1567. נחם.

Varias verbi derivatorumque significationes ex lexicis disces, recte in illis proditas: at cum mirari possis, tam diversa, *solatium*, *poenitentiam*, *vindictae cupiditatem*, easdem literas, idem verbum significare, addere liceat, quod Hebraeis unum, Arabibus duo verba esse, sono ac significatione diversa.

1) نَحَمَ *cum vehementia et in pectore spiritum duxit*, *gemuit.* Huc refero Hebr. *poenitudine ductus est*, proprie, *ingemuit:* itemque, *vindictam spiravit*, ut Genes. XXVII, 42. מתנחם לך להרגך *spirat contra te ad te occidendum.* Ad eandem *spirandi* notionem et refero Syrorum Chaldaeorumque, ܢܘܚܡܐ, נְחָמָא, *resurrectio*, *resuscitatio.* Vide lex. Syriacum p. 544.

2) نَغَمَ *lusit*, *eleganter cantavit.* Hinc forte, נִחַם *solatus est*, proprie, *ludere*, *cantare fecit*, exhilaravit. Meliora si quis dederit, gratus accipiam.

1568. כָּחַם Hos. XIII, 14.

Suspicionem meam, כחם hic idem esse, quod ܢܘܚܡܐ Syrorum, *resuscitatio mortuorum*, insertoque לא legendum, כחם לא יסתר מעיני, *resuscitatio non occultatur ab oculis meis*, i. e. mortuos etiam excitare possum, p. 196. Tomi XIX. bibliothecae Or. exposui. Placet sane praecedentia legenti, nullus tamen codex conjecturam firmavit.

1569. כחר *flavit, rhonchissavit*. Ps. LXIX, 4. Jerem. VI, 29.

Verbum in Hebraicis lexicis non paucis omissum, habent Arabica: نخر *sonum emisit, spiritumque cum sono duxit per nares*, نُخْرَة *vehemens flatus venti*, itemque Syriaca, ܢܚܪ *rhonchissavit*, ܢܚܪܐ *rhonchus*. Nomina derivata habent et Hebraeorum lexicographi, ut נחרה Jerem. VIII, 16. *rhonchus equorum*. Hinc explicanda aliqua putem, quae alii ad חרה referunt. Jerem. VI, 29. נָחַר מפח, verto, *flavit, spiravit vehementius follis*. Plerique quod hic vertunt, *adustus est follis*, non aptum filo orationis: follis si aduratur aut comburatur, non comburetur, ut sequitur, plumbum, sed moderatior fiet ignis, seu potius tota officina cessabit. Verbum نخر et Venema hic in subsidium vocavit, sed aliter eo usus: *rhonchissat flatus eorum ab exustione ipsorum in rectum*, quod de superbo contra Deum flatu interpretatur.

Displicet et Ps. LXIX, 4. נחר גרוני, *adustum est guttur meum*: et hic malim, *rhonchissat guttur meum*, idque praeivisse videntur veterum plerique, modo recte intellecti essent: certe nemo, praeter dubium Chaldaeum, aliquid de calore aut adustione habet. LXX ἐβραγχίασεν ὁ λάρυγξ μου, Vulg. *raucae factae sunt fauces meae*, Hieron. *exasperatum est guttur meum*. Clarius Syrus, ܢܚܪ ܓܓܪܬܝ, nempe ܢܚܪ Syriacum idem quod Arabibus خَرَّ *rhonchos duxit* (dormiens): ex Syro Arabs Anthiochenus, تبحّحت *raucum factum est*, Chaldaeus, אתחרחר, quod plerumque ad *ustionis* notionem referri solet, sed possit aeque bene ad خَرَّ *rhonchissavit*.

Caeterum cum نخر et ܢܚܪ, tum خَرَّ naturalem sonum rhonchissantium exprimunt, suntque, ut pleraque verba naturalia, bilitera,

pro

pro Orientalium linguarum more trilitera facta, illud, praemisso נ, hoc geminata tertia radicali.

Ad radicem נחר et נחרו בי Cant. I, 6. refert S. Rev. Velthusen, vertitque, *fratres mei rhonchissarunt contra me*, *sie haben mich angeschnarcht*, i. e. *asperis verbis me acceperunt*. Vix id placet, hoc filo orationis: *sole adusta sum, nam filii matris meae asperis me verbis exceperunt*. Hic quidem mallem pro Niphal verbi חרה habere, idem significante quod התחרה (n. 844.) *contendere cum aliquo*, contendendi verbo pro *invidendo* posito: *sole denigrata sum, ipsi enim fratres mei invidebant mihi* (admirationem laudemque pulcritudinis), *custodire me vineas jusserunt, unde factum, ut meam vineam* (pulcritudinem) *non custodirem*.

1570. נַחַר Job. XXXIX, 23. נַחְרָה Jerem. VIII, 16.

Utrobique equis tribuitur, ac *rhonchus* verti solet, quod et mihi probatur, ita tamen ut et *fremitum* equorum complectatur. Sic in Jeremia, Vulgata *fremitus equorum*, et Syr. ܢܚܪܐ. De irato fremitu caballorum, ab hinnitu feminas concupiscentium diverso, vide notas ad Jobi locum. In Jeremia qui φωνὴν ὀξύτατος ἵππων verterunt, LXX, ὀξύτατος nomine *acutum* equorum *fremitum* intellexisse videntur, aut per Daleth lectum נחדת, ad חדד retulisse. — — In Jobo LXX δόξαν στηθέων, *gloriam pectoris* equorum, verterunt, forte quod נַחַר et *guttur*, *jugulum*, esset, unde multa sub نحر denominativa habent Arabes: Vulgata, *gloria narium ejus terror*, quod ipsum significare posset collato Arabico, نُخْرَة *extremitas rostri equini*, et Chaldaico שלושתא רנחירה, *catena ori equi imposita* (*Kinn-Kette*). At non de membro, sed de sono, de fremitu equorum, accipiendum esse, testis est Jeremiae locus, ubi cum audiendi verbo construitur, מדן נשמע נחרת סוסיו *a Dan auditur fremitus equorum ejus*.

1571. נחיר Job. XLI, 11. *nares*.

Satis unanimiter נחיריו nares ejus vertunt, LXX. Vulg. Chald atque adeo harmonice Syrus, ܡܢ ܢܚܝܪܘܗܝ, Ar. من مَنَاخِرِهِ. Monuerat jam Coccejus, Chaldaeis נחירין hac significatione usitatum esse, cui addiderim, per omnes prope linguas Orientales propalatum. Syriacum

ܢܚܝܪܐ

تنيسا vixdum, interpretem citans, ex hoc ipso loco attuli: Arabibus نُخْرَة et نُخَرَة *foramen nasi, extremitas rostri equini, asinini, porcini,* مَنْخَر *nasus,* seu potius *unum nasi foramen.* Tebrizius, in Chrestom. Ar. p. 56. 57. اصل المنخر في الانف من النخيرة وهو مدّ الانف ونخرتا الانف خرقاها, *ortum nomen* منخر *(nasus) a* نخيرة i. e. *spiratione, inque duali* منخرين *sunt duo foramina nasi.*

Possis quidem et in hoc loco ipsum halitum intelligere, per nares emissum; نَخِير Arabibus dictum: sic quidem ego in versione germanica, sed prope poenitet, nec tamen emendavi, ambigens, quo vocabulo germanico aptissime linguaeque convenienter de naso vel rostro crocodili uti debeam.

1572. נחש *infelix fuit* Genes. XXX, 27.

נחשתי ויברכני יהוה בגללך plerique veterum Vulg. Syr. Chald. Arabs uterque, *expertus sum, quod Jehova mihi benedixerit propter te,* bona sententia, sed vix adsequor, quo modo, aut quo linguarum Orientalium usu נחש esse possit, *experiri.* LXX. οἰωνισάμην, *auguror,* multo certe melius, נחש enim est, *ex serpentibus auguria capere,* idque recentiorum haud pauci sequuti: displicet tamen, primo verbum auguror, ab eo qui valde adulari cupit, pro *video,* vel, *scio* positum, deinde sequens ויברכני, ubi כי ברכני exspectasses. Liceat et mihi sententiam dicere. نَحِسَ est, *infelix, infaustus fuit,* نَحَسَ *vexavit, durus, molestus fuit,* نَحْس *infelicitas* نَحِس *infaustus dies,* نَاحِس *penuria annonae calamitosus annus,* مَنْحُوس *infortunatus.* Verterim ergo, quin adeo verti germanice: *infelix antea eram* (multa adversa et calamitosa gregi meo acciderunt antea) *sed benedixit mihi propter te Deus.*

1573. נָחָשׁ nomen proprium, 2 Sam. XVII, 25.

Loco, quem citavi, Abigaila, soror Davidis, dicitur בת נחש, quod alii nomen matris Davidis esse volunt, perquam veri dissimiliter, nec enim

enim a matribus iisque solis denominari posteri solent, alii audacius adeo volunt, Isaeum alio nomine Nachasch dictum fuisse, idque adeo ad locum Jes. XIV, 29. transferunt. Mihi quidem נחש primus maritus matris Davidis fuisse videtur, cui duas filias, Abigailam et Serujam pepe- rit, postque ejus mortem Isaeo nupsit, octo filiorum futura mater. Vide patris mei dissertat. de nominibus masculinis in feminina mutatis, §. XI. aut, si edere licet, nec morte impedior, *vitam Davidis*, praelo prope paratam.

1574. נחת *descendit* 2 Reg. VI, 9. Dan. IX, 24.

2 Reg. VI, 9. כי ארם שם נְחִתִּים secundum puncta ad radicem חתת referendum, sed quamcunque ejus significationem verbo aptare tentaveris, sententia cassum. Id sine dubio dicitur, quod veteres satis unanimiter interpretati sunt, *Syri ibi occultarunt sese* (sic LXX. Syr. Chald.) sive, ut Vulgata, *in insidiis sunt*. Mutatisne punctis ad nostram radicem referendum, *Syri illuc* נחתים *descenderunt*, i. e. in insidiis latent? Quaestionem propono, non definio: puncta enim licet omnino falsa existimem, possint tamen et in נְחִתִּים a r. חתם mutari, *Syrus ibi obsignatus est*, i. e. latet; sic tamen sine Jod, נְחִתָּם, scribendum fuisset.

Numero jam 886. de חתך disputans, professus sum, נֶחְתַּךְ Dan. IX, 24. posse et his punctis animari, נִחֲתַךְ *septuaginta hebdomades descendunt tibi*, id vero est, coelitus revelantur, promittuntur. *Descendendi* et *demittendi* verba ita Orientales ponunt: Arabibus, ipsique Corano, انزل *descendere fecit*, de revelationibus divinis frequentissimum.

Vident lectores, hic me dubia ponere et incerta; sed vel haec exponere judici, tales mihi lectores, fas est.

1575. מַטֶּה, מטה 1 Sam. XIV, 27. Hab. III, 14. *hasta, telum.*

מַטֶּה 1 Sam. XIV, 27. non, baculus, vertendum, quem in acie non gerere solet armatus, sed, *hasta*: apud Arabes frequentissimum, *baculi* et *hastae* idem nomen esse. Eodem modo et accipiendum Habac. III, 14. ubi *caput hostium telis vel hastis perforatur*.

1576. נָטַל Thren. III, 28.

כי נטל עליו de ipso homine, qui jugum attollit, i. e. suscipit super se, acceperunt LXX. Vulg. Syrus: de Deo, qui onus illi imponit, Chal-

Chaldaeus. Poſſis tamen et neutraliter vertere, *cum grave eſt ipſi*, ex Syriaco ܝܩܪ *gravis fuit:* aut mutatis vocalibus נְטֵל ex verbo nomen facere, *cum grave onus eſt ſuper ipſo.* Ambigens ſcribo.

1577. נטע *infixit*, *plantavit*, *efforavit.*

נטע, plerumque plantavit, cum et de paxillis infixis ponatur, Cohel. XII, 11. deque tentorio paxillis firmato, Dan. XI, 45. veriſimile, plantationem ab infigendo dictam, aut forte ab efforando, plantamus enim foramen fodiendo. Hac ſignificatione occurrere mihi videtur Pſ. XCIV, 9. נטע אזן *efforans aurem*, (vide p. 1350. 1351. de כרה dicta) diſplicet enim, *plantans aurem.* Ergo forte haec ſignificationum ſeries, 1) *efforavit* 2) *infixit* facto foramine, *paxillum* 3) *plantavit.* Cognatae linguae hic me deſtituunt, Syriaca plane verbum non habet, Arabica, Aethiopica, Samaritana aliis ſignificationibus, non Hebraica plantandi.

Ad *infigendi*, *adfigendi*, firmandi notionem et refero Jeſ. LI, 16. לנטע שמים, *ad firmandum coelum*, *fundandamque terram*, ſive coelum tentorio comparetur, de quo verbum נטע poni vixdum dixi, ſive ſtellae poetae paxilli videantur, quibus firmatum atque ab altiore laqueari ſuspenſum ſit. Sic ex interpretum non paucorum ſententia Virgilius Aen. IV, 482. *Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.*

Syrus vertit, *qui expandi coelum:* legensne לנטות? quod tamen in nullo hucusque codice repertum: an paraphraſtice, quod coelum tentorio comparari putabat, a paxillis, quibus terrae infixum eſt, expanſo? an denique, quod ע et ה, ut in duabus ſit Syrorum dialectis, Samaritana, et Galilaea, permutari exiſtimabat?

1578. הִטִּיף, נטף ſtillavit.

Verbum ſtillandi et de doctrina poni, et de vaticiniis coelitus demiſſis, monuerunt jam plerique et loca indicarunt. Ex uſu aliarum linguarum addiderim Aſſ. Bibl. Or. T. I. p. 30. *Ephraemus* ܐܪܘܝ ܐܪܥܐ ܒܡܠܦܢܘܬܗ *rigavit terram doctrina ſua.* Muhammedes ſaepe, أنزل الله *deſcendere,* ex Hebraico uſu, *defluere fecit Deus*, i. e. *Coranum coelitus demiſit*, *aliquid revelavit.*

הִטִּיף Mich. II, 6. ter occurrens, *vaticinandi*, et *vatis auctoritate aliquid denuntiandi*, notione accipiunt recentiorum plerique, quos et in verſione

ſione germanica ſequutus ſum. At Symmacho eſt, *ἐπιτιμᾶν*, *increpare:* *μὴ ἐπιτιμᾶτε ἐὰν ἐπιτιμήσητε*, *οὐκ ἐπιτιμῶντες οὐ κωλύει καταισχυμμός*. Verſionem equidem, ne facilem quidem, et quam interpretari nolim, meam non facio, id unum moneo, poſſe הַטִּיף tale quid ſignificare. A נטף *ſtillavit*, Arabes faciunt, نَطَفٌ *gutta*, deinde et, *vitium corporis*, guttae nempe ſimile, hinc أَنْطَفَ *vitii inſimulavit*, id vero eſt, reprehendit. Non probare me, dixi, nec tamen in propheta, paronomaſiarum et luſuum in diverſis earundem literarum ſignificationibus captatore avido, plane excludo: poſſit in duobus primis membris eſſe, *vaticinari*, in tertio, *reprehendere*, *mores caſtigare*, *vitia libere indicare: ne vaticinamini! vaticinantur*: (i. e. prophetarum prope voce denuntiant) *at niſi vitia indicaverint*, *non ideo recedet ignominia*. Non meam dico ſententiam, ut quisque intelliget, verſionem germanicam legens, ſed de Symmachi verſione ut non omnino improbabili diſputo.

1579. נְטִיפָה Jeſ. III, 19. VIII, 26. *inauris*, *margarita*.

Varias verſiones cum veterum, tum lexicorum, colligere et enarrare, hic ſupplementa ſcribenti, nec vacat, nec neceſſe eſt: lexica ipſi evolvent lectores, veterum, quae in illa tranſlatae ſunt, diſcordes explicationes excerpſit, qui optime de hoc vocabulo egit, Schroederus capite IV commentarii de veſtitu mulierum Hebraicarum. Vix dubium, quin margarita ſit, maxime, ex auribus pendens: ex etymo gutta, a cujus ſimilitudine margarita dicta. Nempe نُطْفَةٌ (proprie, gutta) Arabibus *inauris* eſt, et margarita, indeque denominativum تَنَطَّفَ *inauribus ornata fuit* (puella). Sic lexica Arabum, ſed vide haec copioſius dicta, et exemplis illuſtrata, a Schroedero.

1580. נָטָף *ſtacte* Exod. XXX, 34.

His accedo, qui *ſtacten* intelligunt, non qui balſamum, hoc enim mihi צֳרִי. Plura qui cupit, quam lexica habent, atque ipſe inquirere, adeat Celſii hierobotanicum T. I. p. 529. et Scheuchzeri phyſica ſacra ad Exod. XXX, 34.

1581. כְּמוּשָׁה Jes. XXI, 15.

Ad radicem כמש qui referunt, חרב כמושה intelligunt fere, *gladium dimissum libere, ut pro arbitrio vagetur*. Possit tamen et esse simpliciter, *e vagina eductus*, collato Thalmudico כמש *excoriare*. Posse et ad rad. מרש referri, num. 908. dictum.

1582. כיר, pro כוה, כוי *impinguare*. Ps. CXLI, 5.

אל יָנִי Ps. CXLI, 5. reddunt, *ne impinguet caput meum*, LXX. Vulg. Hieron. Syrus, Arabs uterque, eximia sententia, et ad seriem orationis aptissima. De conviviis cupediisque malorum (idololatrarum credo,) vixdum sermo fuerat v. 4. *ne gustem delicias ipsorum!* Pergit David: *inebriet me pius pietate et arguat me*, jamque, ex varietate lectionis, cujus testes et argumenta exposui in bibliotheca Orient. T. XIX, p. 161-164. שמן רשע על ינִי ראשי *oleum injusti ne impinguet caput meum*: i. e. *ne intersim eorum conviviis, festisque idololatricis.* Oleum convivale intelligitur, magna enim olim pars lauti convivii, unctio. Verbum יָנִי, et vero sine Aleph scriptum, quin haec significare possit, haud dubitandum: نِيّ Arabibus *adeps*, نَيّ *pinguedo*, utrumque, Vau et Jod contracto, ex نوي *pinguis evasit.* Potuissem ergo et supra ad radicem כוה referre.

Non pauci codices, a Kennicotto indicati, יניא cum Aleph, quod vertunt, *oleum capitis* (verbera justi) *ne irritum faciat caput meum*: qua in versione quid displiceat nolim hic repetere, jam expositum in T. XIX. bibliothecae Orientalis.

כוית *pinguedo*, Ezech. XXVII, 17. quaere pag. 1525. sub מכית.

1583. 1584. כין et ככר vel ככר.

Haec nomina Genes. XXI, 23. Jes. XIV, 22. Job. XVIII, 19. conjuncta, כין וככר, nec in explicatione ac disputatione de eorum significatu sejungi possunt, nisi idem bis, et vero multo obscurius, dicere velimus. Prius כין seu, ut in quibusdam codicibus scribitur, נן, *filium* esse, multi ut certum sumunt, nullo reliquarum linguarum, praeter Rabbinicam, usu.

Destituentibus nos hic linguis Orientis, veterum interpretationes enarrabo, sed antequam id faciam, aliquid de varietate lectionis in ככר dicendum.

1) Per

1) Per Gimel, לנגדי, Genes. 21. habent Samaritani codices, et editio Nisselii. Id possit esse, *qui est ante*, vel, *coram me:* amicusne? an uxor? an soboles?

2) Per Resch, נכר in Jesaia habent, biblia ex editione Münsteri Basil. 1536, inque Jobo biblia Nisselii. Vereor ne sit vitium typographicum: vera si lectio, esse possit, sive, *remotissimus cognatus*, *jam pene pro peregrino habitus*, sive *ultimus* ex dialecto Galilaeorum, cui *primus et ultimus* dicitur, ܩܪܘܚܠܐ ܒܘܟܪܝܐ. (Lex. Syr. p. 552.)

Jam ad interpretationes veterum accedo:

1) *filium et nepotem*, ubique habet Chaldaeus, ex quo in Rabbinorum interpretationes et lexica migravit, inque Genesi Arabs Erpenii. Eodem redire videtur, quod Aquila in Jobo, sed latiore utens vocabulo, habet, γένος καὶ ἔκγονοι, ubi ἔκγονοι sunt, *seri nepotes*. Conjectura, cui nihil opis, ne etymologiae quidem, ferunt linguae Orientales.

2) *Posteros et stirpem* plures habent, Vulgata, Genes. 21. *posteris meis stirpique meae*, Jes. 14. *germen et progenies*, Job. 18. *semen et progenies*, LXX in Jesaia, uno vocabulo complexi, σπέρμα, Syrus in Genesi et Jesaia, ܫܪܒܬܝ ܘܫܪܒܠܝ *(familia et stirps mea)* Saadias in Genesi, نَسْلِي وَعَقِبِي, *proles mea et posteritas*.

Eadem sententia, sed tamen separatim enarranda, haec, quae sequuntur,

a) Samaritani interpretis in Genesi, מותרי ודלקבלי, *reliquiae meae, et qui est e regione mei.* Nempe legebat, ut jam supra monitum, נגדי, idque literaliter vertebat לקבלי.

b) LXX in Genesi, τὸ σπέρμα μου καὶ τὸ ὄνομά μου, Syrusque in Jobo, ܫܡܐ ܘܕܘܟܪܢܐ *nomen et memoria.* Possis audere conferre Arabicum نكك *clamavit*, et *nomen* dictum putare a *clamando*, i. e. *vocando:* sed obstat, quod, quantum ex lexicis colligere possum, (ipse enim in auctore Arabico non reperi) نكك sola est clamorosa vox corvorum.

c) In Jobo LXX ambo vocabula נין et נכד in unum contrahentes, ἐπίγνωστον verterunt, οὐκ ἔσται ἐπίγνωστος ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ, *non amplius notus* (per ullos posteros) *erit in populo suo.* Suspicor, illos נכר legisse, et ad הִכִּיר *agnovit*, retulisse.

 Ex

Ex his nihil satis certi statui posse manifestum. Conjectura si uti velis, נין ונכד foret, *quicunque ulla cognatione aut amicitia vel remotissima noster est, atque ad nos pertinet.* Destitui nos a linguis Orientalibus dixi, quid tamen illae habeant, interrogari mihi a lectoribus videor. Thalmudicis נְכִי *patrem* significare dicitur, atque esse vox Persica, alii autem *canem* interpretantur: (Buxtorf. lex. p. 1350.) ego nihil certi habeo, nec Persicum Nani hac sigificatione reperio. נְכָו Chaldaeis, *insula*, Ezech. XXVII, 3. نكد et *vocem corvi* significat, et de *pauperibus ac miseris* ponitur. (Vide Castelli lex. Ar.) Possis conjicere: *canis et corvus meus*, i. e. quidquid meum est, vel *felix et pauper*. Sed non sunt nisi conjecturae haud mihi satisfacientes.

1585. נִיסָן, *Aprilis*.

Mensis primus Hebraeorum, non, ut in plerisque lexicis perhibetur, Martius, sed quantum solari aequari lunaris potest, Aprilis. Vide commentationem meam de *mensibus Hebraeorum*, undecimam earum, quas in Societate Scient. Goett. praelectas seorsim edidi.

1586. נֶכֶד Job. XXXI, 3. ex varia lectione.

De נכד cum נין componi solito, vix dum num. 1582. dictum, ubi quaerendum. Praeter ea loca et seorsim Job. XXXI, 3. ex varia lectione occurrit, וְנֶכֶד לְפֹעֲלֵי אָוֶן, non, ut Mercerus (Schultensio citatus) dixerat, in plerisque exemplaribus, sed tamen in duobus a Kennicotto citatis, 245 (Roterodamensi anno 1292. scripto,) aque prima manu, 48 (seculi XIV) porro in Kenn. 545. i. e. editione Mutinensi, sine anno. Addo editionem Stephani insignem in fol. minore 1541. (*) Lexicon quodque Arabicum docet, monuitque in commentario ad hunc locum Schultensius, exemplisque illustravit, نَكَدٌ *vitam esse miseram, paupertatem, aquae adeo defectum.* Ex lexicis Arabicis Castellianum hic consuli malim quam Golianum. Verte ergo: *et misera vita facientibus malum.*

1587. הִכָּה, נכה *percussit*.

הִכָּה *percussit*, pro, *occidit*, non de solis hominibus dicitur, sed et de feris, ut 1 Reg. XX, 36. Jerem. V, 6. Adnotandum censui ad Genes. IV,

(*) Miror, nihil de insigni lectionis varietate habere de Rossium: utinam haec aliquando legens, suos codices consulat, et quae habent, mihi, si vixero (quod vix sperare fas est) impertiatur.

IV, 15. לבלתי הכות אתו כל מצאו, quod non debebat verti, *ne occideret illum quisquis inveniret*, Caino enim domo patria, et ſocietate hominum expulſo quis hominum occurreret, eumque occideret? ſed, *ne eum occideret quidquid* i. e. *quaecunque fera eum inveniret*. Sic jam Joſephus Ant. I, 2, 1. intellexit: *illo autem timente, ne terram pererrans in feras incideret, atque ſic periret, juſſit eum Deus non anxium eſſe*, ἀλλ᾽ ἕνεκεν τοῦ μηδὲν ἐκ θηρίων γενέσθαι δεινὸν διὰ πάσης ἀδέως χωρεῖν γῆς, *ſed, quia nihil illi a feris adverſi eventurum eſſet, terram omnem peragrare*. In leone quodammodo propria vox eſſe poſſit, pedibus anterioribus praedam percutiente, capiente, ſauciante.

1588. פרעה נכו *Pharao Necho* 2 Reg. XXIII, 29. 33. Jerem. XLVI, 2. 2 Paral. XXXV, 20. XXXVI, 4.

Pharaonem claudum (חגורא) ex נכה רגלים, *percuſſus pedibus*, i e. *claudus*, (2 Sam. IV, 4.) interpretantur ubique Chaldaei et Syrus: vultque Kimchius, a vitio corporis nomen ei ductum fuiſſe. Sic et in Onomaſtico Simonis. Error manifeſtus, a quo ſibi caveant lectores. נכו ipſum eſt nomen regis Aegyptium, communi Pharaonis nomini additum, ut vel inde liquet, quod Herodoto eſt Νεκῶν: Aegyptii, lingua ab Hebraeis diverſiſſimi, Hebraicum *Claudi* nomen ei non indiderint, nec quidquam de hoc rege claudicante vetus hiſtoria, in ejus factis enarrandis copioſior, habet. Quod ex Ebn Batrik Simonis citat, (p. 598. onomaſtici) *Nahu Aegyptiis claudum ſignificare*, commentum Arabis eſt, qui nunquam Aegyptia didicerat, ex verſionibus bibliorum ſumtum: nihil certe ejusmodi lexica habent Coptica, et quod noſtro, *Necho*, proximum, NEXI, *ventrem* ſignificat. Ergo ſapientius, meliores linguae rerumque Aegyptiarum cognitiores, LXX, nomen ubique ut proprium retinuerunt, Φαραὼ Νεχαώ.

1589. נָכֶה *percuſſus*, *claudus*.

Claudicare, Orientalibus eſt, *infelicem eſſe*, vide צלע: hinc Pſ. XXXV, 15. נכים *claudi*, figurate ac ridicule, pro miſeris ponuntur et infelicibus, qui ſemiclaudum Davidem irrident. Puncta נֵכִים non prorſus ſunt ad analogiam grammaticam; interrogare liceat de Roſſium, nullisne in codicibus נְכִים invenerit?

Pluralis per א, Jeſ. XVI, 7. נְכָאִים hinc explicandus, quod Arabes verbum non ſolum نكي, ſed et, eadem ſignificatione, نكأ habent.

1590.

1590. מַכָּה plur. מַכּוֹת 2 Paral. II, 9.

Ex interpretationibus optima mihi videtur, quae de *tritico in mortario contuso* accipit. At vereor ne lectio falsa ipsumque vocabulum spurium sit. In loco parallelo 1 Reg. V, 25. (11) est מַכֹּלֶת *cibus*, sive ab אכל comedit, sive etiam a כול *mensurare*, unde demensum ac nutrimenta Hebraei dicunt, מַכֹּלֶת. Hoc quidem מכלת ex obscurioribus fuit, ut vel LXX 1 Reg. 5. ignorationem fassi retinerent, Μαχαλ, librarii ergo cum non intelligerent in מכות mutarunt. In chronicorum quidem libro codex nullus hucusque consultus מכלת habet, at exhibent versiones, omnibus codicibus antiquiores, LXX. Syr. Vulg. Chald.

1591. נָכַח *veritatem loquutus est*. Genes. XX, 16.

ונכחת LXX hoc loco verterunt, ἀλήθευσον *veritatis studiosa esto, vera loquere*, וְנֹכַחַת adpellatum. Egregia sententia et historiae, quae narratur, aptissima: *apud omnes quibuscum versaris, et omnia, vere loquere.* Particula נכח inter alia significat, *recta ante nos*, Prov. IV, 25. nomen, נכחים Proverb. VIII, 9. idem, quod in sequente membro, ישרים, *recta*, XXIV, 26. דברים נכחים *verba recta*, i. e. vera, Jes. XXX, 10. נְכֹחוֹת *vera*, in oppositione ad blanda prophetarum mendacia, LIX, 14. נְכֹחָה idem quod in praecedente membro, אֱמֶת *veritas*. Ergo et verbum a rectitudine significare potuerit, veritati studere. Vide et lexicon Syr. sub ܢܟܚ. In aliis explicationibus, ea ipsa quam olim sequutus eram, quid displiceat, dixi in bibl. Or. priore T. IX. pag. 188. 189.

1592. נָכַל *dolose egit*.

Habent hac significatione Syri, quibus perquam frequens, Chaldaei, Samaritani. Hucne et mutatis punctis referendum Ezech. XXI, 33. *gladius politus est* לְהָכִיל *ad fraudem faciendam*, ut promte intret, pugioni percussoris similis? Consvetae certe explicationes displicent; nec ulla, quae opem ferat, lectionis varietas.

1593. נְכָסִים *opes*, *possessiones*.

Vocabulum hac significatione dialectis Aramaeorum commune. De Syris plura si cupis, adi Schaafii lexicon, Samaritanus Genes. XXVI, 14. נכסן pro Hebraico מִקְנֵה, *grex*, posuit. Unico loco, Jos. XXII, 8.

exce-

excepto non nisi in libris post exilium scriptis, aut certe Chaldaismos habentibus occurrit, Cohel. V, 18. VI, 2. 2 Paral. I, 11. 12. De etymo dissident, Rabbinis ad כסה *texit*, Simonisque lexico ad כנס *congregavit*, literarum transpositione referentibus. Mihi quidem sic videtur: verbum כבס Syris, Chaldaeis, Samaritanis, *mactavit*, *sacrificavit*, hinc oves dictae, et ܢܟܣܐ *ovile*, *congregatio pecudum*; ab ovibus, praecipuis Nomadum divitiis, reliquae etiam opes et possessiones dictae. Sic vice versa מִקְנֶה primo, *possessio*, deinde, *grex*.

1594. נִכַּר *non agnovit*, *inficiatus est*. Job. XXI, 29.

נכר, *peregrinus fuit*, הִכִּיר *agnovit*, omnia lexica habent, nec jam de etymologica cognatione utriusque notionis disputo, utrum sit ex antiphrasi, quam aliqui voluerunt, an, quod potius reor, a peregrino, quod statim noscitur atque ut singulare in oculos incurrit, *noscere*, *agnoscere*, dictum. At quid fiet verbis Job. XXI, 29. *qui viam dudum ante vos ierunt atque absolverunt*, ואותתם לא תנכרו, *et quorum signa* (indicia viae, mercurios) non ......? Quod fere habent, *signa eorum non alienabitis*, praeeuntibus quodammodo Graecis οὐκ ἀπαλλοτριώσατε, obscurum. Mihi quidem hic conferendum videtur Arabicum, تنكّر *inficias ivit*, *nescivit*, *negavit*, cujus cum derivatis exempla vide in Castelli lexico, itemque Samaritanum נכר *negavit*, Genes. XVIII, 15. pro ותכחש positum. *Negare* a peregrino dictum, quasi diceres, hoc mihi peregrinum, inauditum, mirum est. Sic egregia prodit sententia: *quorum antiquitus posita signa viae non negabitis*, *non mendacii insimulabitis*, aut, si malis, *non ignoratis*. Praeivit in versione Jobi Schultensius.

נִכַּר in Piel Job. XXXIV, 19. idem esse quod הִכִּיר, *agnovit*, vidit idem quem dixi Schultensius, vertens, *neque agnoscit liberalem prae tenui*. De prosopolepsia sermo. Addiderim נכר cum suis derivatis Aehiopibuss esse, *mirari*, extera quippe et peregrina mirari solemus: θαυμάζειν πρόσωπα, (*mirari*, cum admiratione intueri) LXX interpretibus proprium pene de προσωποληψία verbum. Ita et hic LXX bis comma interpretati, οὐκ οἶδε τιμὴν θέσθαι ἁδροῖς, τοῦ θαυμασθῆναι τὰ πρόσωπα αὐτῶν. Syrus simpliciter, ܠܐ ܢܣܒ ܒܐܦܐ *non personarum respectu utitur*.

1595. נֵכָר et נֹכֶר *infortunium, poena atrox* Job. XXXI, 3. Obad. 12.

Arabibus, نُكْرٌ نَكْرٌ et نُكُرٌ *res ingrata, iniqua,* five, quod peregrina nobis videtur, aut quod peregrina ingrata et periculofa effe folent, عَذَاب نُكْرٌ *poena graviffima, faeva,* Sur. LXV, 8. fic et عَذَاب نُكُرٌ et عَذَاب نَكُورٌ *poena faeviffima* (forte proprie, iniqua, nam et iniqua نَكَرٌ vocare folent) Sur. VIII, 86. quin et fimpliciter, non praemiffo nomine عَذَاب, de *poena atroci* poni videtur, Sur. XXII, 43. XXXIV, 44. LXVII, 18. ubi poft enarrata populorum peccata et incredulitatem fequitur, وَكَيْفَ كَانَ نَكِيرِ *et qualis fuit poena?* itemque Sur. XXXV, 24. ثُمَّ أَخَذْتُ الَّذِينَ كَفَرُوا وكيف كان نكير *poftea punivi eos, qui increduli fuerant, et qualis* (quam atrox) *fuit poena.* Hinc jam lucet confveta editionum lectio Job. XXXI, 3. *nonne tempeftas injuftis?* ונכר לפעלי און *et poena faeva,* aut, fi malis, *faevum infortunium facientibus mala,* (languet, quod alii habent, *abalienatio*) itemque Obad. 12. ביום נָכְרוֹ *die infortunii vel rerum adverfarum ejus.*

De נכד, quod aliqui in Jobi loco habent, fupra actum.

1596. נכת vel נכתה Jef. XXXIX, 2. 2 Reg. XX, 13.

Utrobique Hiskias legatis Babyloniis oftendiffe dicitur, בֵּית נְכֹתֹה, quod plerique, *domum feu apothecam aromatum* vertunt, referuntque ad נְכֹאת Genef. XXXVII, 25. XLIII, 11. *aromata* verti folitum, quamquam, ut jam monuit Bochartus T. II. hierozoici p. 532. 533. non generale aromatum nomen fit, fed certae fpeciei, cujus? id equidem ignorare adhuc malim, cum Bochartianae conjecturae mihi non fatisfaciant. Aromatum varia genera in בית נכתה fuiffe, ex libro regum certum, oftendiffe enim praeter aurum et argentum Hiskias dicitur את הבשמים ואת שמן הטוב. Sed magnopere dubiam facit explicationem triplex in quatuor literarum voce anomalia fumenda interpreti, 1) omiffi א, 2) fcripti ה in fuffixo loco ו 3) fuffixi poft fingularem poni foliti, loco fuffixi pluralium: effe enim debuiffet נְכֹאתָיו. Nec ulla lectionis varietas rem expedit.

pedit. Ergo suspicor, aliud plane nomen esse, nescio unde ductum, thesauri, aut quodammodo proprium, נְכֹתֹה vel נְכֹתָה adpellandum. LXX retinuerunt, τὸν οἶκον τοῦ Νεχωθᾶ. In ejusmodi nomine sine duce historia difficilis ac periculosa conjectura. Syris, Chaldaeis, Samaritanis, נְכַת est, *momordit*, unde et Chaldaei usuras נוֹכְתָא dicunt. Potuerintne et tributa, (ut nos dicimus, *l'Accise*) a mordendo, demordendo, nomen accipere? possitne *domus redituum* esse.

Video, et posse oromatum aliqua genera ad *mordendi*, *admordendi* etymon revocari, quod vulneratione atque admorsu corticis emanant: sed et hoc repudiandum, eorum enim nomen in Pentateucho נכאת scribitur, perquam exigua lectionis varietate, נכות. Nondum liquet.

1597. נלה.

Ignotum linguis Orientalibus, Arabicae, Syriacae, Chaldaicae, Samaritanae, verbum, quod invenisse sibi Rabbini, et lexicographi, visi sunt, Jes. XXXIII, 1. ad quod et nomen מִנְלָם Job. XVI, 29. referre solent. In sola Aethiopica lingua נלו *pastorem* habemus, sed id nihil ad rem quaesitam, nec quisquam, quod sciam, eo usus. Schultensius confert Arabicum نال pro نيل *adsequutus* est, quem et sequerer si certa esset lectio, at cum utroque in loco dubia, nolim ad permutationem radicum נלה et נול confugere.

In Jesaia quidem pro כַּנְּלֹתְךָ, monstro grammatico, Chaldaeus, Symmachus et Vulgata legerunt כְּכַלֹּאתְךָ *cum defatigatus fueris*, vide biblioth. Or. Adpend. T. XIV. p. 117. Codices XXI. cum Vau habent כנלותך, quod supra sub לוה explicui.

Pro מִנְלָם Job. XV, 29. Graeci legerunt צֵלָם, Syr. מְלִים, vide bibl. Or. T. VII. p. 242-244. Consvetae lectioni, quae et codicum est plerorumque, consuli potest mutatione vocalium: מְנָלָם enim si efferas, possit esse, sive ab eodem quod jam Schultensius contulit, نيل, *assequutus est*, *omnia quae assequuti sunt*, sive a Chaldaico Syriacoque נְוַל, ܢܘܠ *texere*, unde et *texturam* ܢܘܠܐ, dicunt, Rabbinique מִנּוּל *sudarium*: *non extendet super terra texta tapetia*, superbi tentorii. Facilius etiam res procederet, si cum codice Kennicotti 147, legeres מִנְלִים. Nec ta-

men ipsi haec mihi, quae scripsi, satisfaciunt, atque, donec certi quid de נלה ex linguis Orientalibus adferatur, צלם Graecorum praefero.

1598. נמל *circumcidit*, suspectum.

Circumcidendi notio, qua hoc verbum ex Genes. XVII, 11. 26. 27. XXXIV, 22. in lexica receptum, perquam suspecta. Plane non habent verbum Chaldaei, Syri, Samaritani, Aethiopes, aliis omnibus significationibus habent Arabes. Omnia ex quibus citatur loca, punctis mutatis, ad notas ac certas radices מול et מלל ut Niphal referri possunt: Genes. XVII, 11. נִמַּלְתֶּם Niph. verbi מלל, media radicali in prima compensata per Dages more Chaldaeorum, LXX περιτμηθήσεσθε, v. 26. נִמּוֹל et v. 27. נִמֹּלוּ XXXIV, 22. נִמּוֹלִים. Delendum ergo fictitium verbum.

Quam ex fictitio verbo novam confinxerunt significationem abscindendi, locisque Job. XIV, 2. XVIII, 16. XXIV, 24. Ps. XXXVII, 2. obtruserunt, linguis reliquis plane ignotam, magis etiam repudianda: haec omnia ad מלל referenda, quod vide. Sed hi errores ex lexico in lexicon transierunt, fidem habente prioribus, non inquirente in verum, – describtore hic potius, quam auctore.

1599. נְמָלָה *formica.*

De significatione nullum dubium, cum et Arabibus نمل formica sit, et res ipsa Prov. VI, 6. XXX, 25. loquatur, in etymologia mire erratum. Retulit Bochartus, hieroz. P. II. libr. IV. cap. 20. ad fictitium, quod vixdum expunxi, נמל, *circumcidit*, quod formicae grana, quae in sua granaria comportant, circuncidant, eorumque capita abscindant, ne germinent. Hunc sequuti alii. Concidit cum gratis sumta significatione verbi. Equidem malim a *reptando* et *conscendendo* arbores dictas, Arabibus enim نمل *repere, serpere, conscendere perreptando arborem.* — Opposuerunt his, quae Salomon de נמלה dixit, formicas non commeatum hiemi, sed ova vel potius puppas comportare, hieme dormire: faciunt utrumque, nec hiemi qua dormiunt, sed proximo post hiemem tempori cibos comportant. Vide *Boerners Sammlungen aus der Naturgeschichte* P. I. p. 181. 182.

1600. נסב suscepit Ps. CXXXIX, 13. ex var. lect.

Pro תסכני בבטן Ps. CXXXIX, 13. תְּסֻכֵּנִי מִבֶּטֶן *suscepisti me ex utero matris meae*, legerunt, a verbo Chald. et Syr. נסב accepit, suscepit, verteruntque, LXX ἀντελάβου μου ἐκ γαστρὸς μητρός μου, *suscepisti me de utero matris meae*, Syrus, ܩܒܠܬܢܝ ܡܢ ܟܪܣܐ ܕܐܡܝ. Superant adhuc lectionis vestigia in codicibus Kennicottianis: 148, i. e. Argentoratensis quartus, תסבני habet, 97, forte et 76 ac 245, תסובני per Beth, מבטן 96.

1601. נָסַךְ.

Duas habet significationes,

1) alteram propriam, quae in lexicis legitur omnibus, *fundere*, unde et *ungere*, et *libare* ductum, Arabibusque generatim *sacrificare*. Ad hancne notionem mutatis vocalibus referendum Ps. CXXXIX, 13. תְּסַכֵּנִי בבטן אמי *effudisti me*, i. e. concipi semen genitale jussisti, *in utero matris meae?* Non placet!

2) alteram *texendi*, permutatione ut videtur, literarum ג et ך ab alio verbo mutuam sumtam, caeterum neutiquam dubiam, ex ea enim fluxit מַסֶּכֶת *tela, textura*, Jud. XVI, 13. Arabibus نسج *texuit*, ناسج *textor*, نساجة *ars textoria*, منسج *instrumentum super quo extenditur tela.* Hac notione accepit, ut mihi videtur, recte et egregie, Vulgata Jes. XXX, 1. לִנְסֹךְ מַסֵּכָה vertens, *et ordiremini telam.* Telam texere, de consiliis quae capimus, et artificiose perficimus, Arabibus frequens: Achmedes statim in initio vitae Timuri, de Deo, *cujus voluntate et imperii liciatorio* تنسج مقاطع الامور *texuntur telae omnium rerum.* Sententiam ipsam, demta figura, expressit Chaldaeus, לְאִתְמַלָּכָא מְלַךְ *ad capiendum consilium.* Svadet versionem parallelismus membrorum, quod enim hic est לנסך מסכה, in praecedente membro gerat, לעשות עצה, *facere consilium:* quam ob caussam et in versione germanica sequutus sum, sed simul figurate dictum exprimens, *die ihr künstliche Gewebe machet.* Eadem etiam notione, sed hic non me sequacem habentes, הַמַּסֵּכָה הַנְּסוּכָה Jes. XXV, 7. acceperunt, LXX. ἡ βουλὴ, ἣν βεβούλευται Κύριος, *consilium quod cepit dominus*, et Vulgata, *telam quam or-*

orditus est super omnes nationes. Illi quidem loco; utcunque eum legas, aliae versiones aptiores, de quibus deinceps.

Texendi versio eximie apta verbis psalmi 139, 13. aliqua punctorum mutatione, תְּסֻכֵּנִי בְּבֶטֶן אִמִּי *texebas me in utero matris meae:* ac pene praefero.

2) נָסֹךְ מַסֵּכָה Jes. XXX, 1. egregie possit et esse, *ungere unctionem*, i. e. *reges ungere, sed non spiritu meo:* idque praetulissem, nisi parallelismus praecedentis membri ei, cui primum locum concessi, interpretationi faveret. Jes. XXV, 7. si prius membrum cum Chaldaeo, Syro et Symmacho legas, ובלע פני שלוט השלוט על כל הארץ (bibl. Or. Adp. T. XIV. p. 60.) *percutiet in monte hoc faciem dominatoris dominantis super omnem terram*, haec quae sequuntur, וְהַמַּסֵּכָה הַנְּסוּכָה עַל כל הגוים explicanda erunt, *et unctionem unctam*, id est, *regem unctum* vel *constitutum super omnes gentes.* Sic ibi, solam exprimens sententiam, Chaldaeus, *faciem regis*, *qui dominator omnibus gentibus.*

At ex consveta lectione, *percutiet in monte hoc* פני הלוט, *faciem maledicti*, *maledicti pro omnibus gentibus*.

3) והמסכה הנסוכה potius erit, *et victimam mactatam pro omnibus populis.* Sic eximie praeivit Syrus, prope harmonice, nisi quod pro نسك *sacrificare* Syri ܢܟܣ dicunt, ܢܟܣܬܐ ܕܐܬܢܟܣܬ *victimam quae mactata est.* Caeterum Syrus eadem significatione et c. XXX, 1. accepit, haud ibi me habiturus asseclam, ܢܣܟܘ ܢܣܟܐ ܘܠܐ ܡܢ ܪܘܚܝ *libarunt libamina, non de spiritu meo.*

1602. מַסֵּכָה *libamen, sacrificium, textura, consilium, deliberatio prudens.*

Jam sub praecedente verbo adfuit estque tractatum. Id unum addo, et 2 Paral. XXVIII, 2. וגם מסכות עשה לבעלים, forte non, ut plurimi interpretantur, de statuis ex aere fusis, sed de sacrificiis intelligendum esse, *atque etiam sacrificia fecit Baali.*

1603. נסיך Mich. V, 4. num *victima?*

Deus excitaturus dicitur magnos victores, *octo* נְסִיכֵי אָדָם. Duces fere interpretantur, quos volunt ab ungendo dictos, *unctos hominum:* qua in explicatione duo sunt, quae mihi non satis placent. Primo, *uncti,*

cti, reges potius quam duces dici posse videntur, regibus autem numerus octonarius non aptus: unus rex est, non plures. Deinde et אדם, *hominum*, otiose et languide addi videtur. Quid ergo, si et hoc nomen ad sacrificandi notionem referas, ut נסיך idem sit, quod نَسِيكَة *hostia*, vertasque, *octo sacrificia humana*? Sacrificia humana hic, ubi de bello sermo, erunt, *heroes, qui se pro patria devovent ac fortiter moriuntur*, quales Decii.

Mire LXX, forte נשיכי legentes, verterunt, δήγματα ἀνθρώπων, a נשך, *momordit*. Hoc quid est? hominesne, qui serpentum instar mordent? Theodoretus, per πληγὰς ἀνθρωπίνας explicat, quas *plagas humanas* vult esse, *impressiones bellicas*.

נסמן quaere sub סמן.

1604. נסס *signa erexit, vel intulit, bullivit, exsiccavit*. Ps. IV, 5. Jes. X, 18. LIX, 19.

Significatio verbi nota, recepta ac certa, *signum erigere, signum praeferre*, quam et in Orientali bibliotheca T. X. p. 226. 227. ad Ps. IV, 7. transtuli, punctis efferens נְסָה עָלֵינוּ אוֹר פָּנֶיךָ *signum nobis praefer lucem vultus tui*, in hoc signo vincamus: erit sic imperativus Kal cum He paragogico. In נְסָה quid displiceat ibi expositum.

At duobus Jesaiae locis consveta verbi aut nominis inde notio parum apta. Jes. X, 18., quod plerique ex Kimchio habent, *ut cum liquescit i. e. consternatur signifer*, haud probabile: jam ipsa phrasis displicet, *liquescit signifer*, sed magis etiam res: cladem 185000 armatorum una nocte editam, fugamque, quae eam sequitur, regis et reliqui exercitus, quis magnifice de ea locuturus comparet consternationi signiferi. Mutatis ergo punctis, כִּמְסֹס נָסֵס, confero Arabicum, نَشَّ *bullitu vel fervore suo sonuit aqua*, نَشِيش *bullientis aquae sonus*, vertoque, *erit ut liquescere, bullire*. Summus fervor describitur, qui non modo liquescere, sed et bullire faciat. Amant orientales, duo verba sono vicina componere: sic Thalmudici, *non novi Chillek et Billek*, Arabes, حِلّ بِلّ *licitum*, ipse Moses statim ab initio תֹהוּ וָבֹהוּ. — — Caeterum non pauci antiquorum interpretum נסס ad נוס *fugere* retulerunt.

Nec

Nec melius placet Jef. LIX, 19. *cum veniet ut flumen hostis*, רוח יהוה נססה בו *spiritus Jehovae signa ei inferet*: est sane ab imagine, quae instituitur, fluminis alienissimum. Idem, quod vixdum opem tulerat, Arabicum نَشَّ est et, *exsiccari*, vertitque Golius, *defecit decrevitque stagnum*, *aqua in terram absorpta vel exhalata*. Hinc verto, fluvio aptius, *ventus Jehovae exsiccabit illum.*

1605. נֵס signum.

In montibus ubi elevari, aut remotis populis erigi viam monstraturum dicitur, ut Jef. V, 26. XIII, 2. XXX, 17. XLIX, 22. LXII, 10. non est pertica cum vexillo, eminus vix conspicuo, sed *malus*, *in cujus summo copia picis accenditur*, *Stange mit Pechfässern*. Talia viae signa, مَنَار dicta, historia Arabum jam ante Josuae tempora tribuit Abramo, intima Africae occidentalis adeunti et exploranti, utque redire viam posset, ejusmodi malos erigenti, atque inde, ذو المنار (Dulmanaar) dicto. Vide Schultensii *vetustiora monumenta historiae Arabum* p. 7. aut nostram bibliothecam Orientalem priorem T. IV. p. 148. ubi rei summa ex historico excerpta.

1606. נסע, *evellere*, *avellere*, *proficisci*.

נָסַע ex prima verbi significatione idem esse videtur, quod نَشَعَ *avulsit*, *evulsit*, sicque accipiendum Jud. XVI, 3. וַיִּסָּעֵם *evulsit duos postes portae*. Ad eandem notionem et refero Job. IV, 21. נִסַּע יתרם *evellitur funis ipsorum*, locutione desumta a tentoriis Nomadum, quae funibus firmata et distenta sunt: Jef. XXXVIII, 12. דורי נִסַּע ונגלה מני כאהל רעי *habitatio* (tentorium) *mea evellitur et retegitur a me ut tentorium pastoris*. Corpus utrobique tentorio comparatur, hujus tentorii paxilli aut funes evelli vel avelli dicuntur, ubi morimur. Jef. XXXIII, 20. *habitaculum* בל יסע יתדותיו *cujus non evellet paxillos in aeternum*. (Vide sub צען dicenda.) Job. XIX, 10. ויסע כעץ תקותי *evellit ut arborem spem meam*.

Ab evellendis tentoriorum paxillis, *proficisci* dici potuerit: nisi placeat, נסע *proficisci*, conferre cum Arabico نسع *abiit per terram*, *peragravit terram*, in decima, *disgregati fuerunt per pascua*, cameli, oves &c. نَسْعٌ *profectio*, *peregrinatio* (Gigg. lex.) Sic duo verba, Arabibus distin-

distincta, in unum Hebraeis coaluerint. Reliquae Orientis linguae nec
כסע habent, nec כשׂע.

1607. סֹעָה Pf. LV, 9.

רוח סועה *ventum vehementiorem, turbinem* esse, ob sequens,
מִסָּעַר dubium videri vix potest: consentiuntque, Chaldaeus, Aqu. Theo-
dot. *ἀπὸ πνεύματος λαιλαπώδους*, Symmachus, *ἀπὸ πνεύματος ἐπαί-*
ϱοντος, Hieron. *a spiritu tempestatis*. At nomen ei unde ductum? Dis-
plicet, quod aliqui habent, *ventus profectionis*, mallem, *ventus evulsio-*
nis, i. e. qui arbores radicitus evellit. Proximus Symmachus, *ventus at-*
tollens: nempe illis locis, in quibus כסע *evellere* verti, non pauci vete-
rum ei *attollendi* notionem dederunt.

LXX *ὀλιγοψυχίαν πνεύματος* verterunt, exque illis Vulg. *pusillani-*
mitatem spiritus. Non negaverim, vocabulum id significare posse: نشع
nonnunquam idem quod نشغ, *vocem in pectore reciprocavit, ut fere in*
deliquium animi incideret, angens mortique propinquus evasit: at sequens
סער pro consveta facit versione.

1608. כעם, Pf. CXLI, 6.

Nota verbi significatio, *svavis, amoenus, jucundus fuit*, vix loco psal-
mi, quem superscripsi, apta. Lege praecedentes sequentesque diras, et
expende, hisne possit interponi, שמעו אמרי כי נעמו *audiant verba mea*
quod svavia sunt? Video equidem sententiam vel ex his exsculpi posse, sed
parum amabilem: *dum dira illis quaelibet imprecor, audiant verba mea*
quae svavia sunt, illisque decipiantur. Odissem hominem, qui talia ca-
nere possit.

Varia tentarunt veteres. Syrus et Arabs Maroniticus: *audiunt ver-*
ba mea, quia utilia sunt ut vomer aratri. Fateor Arabibus نعم et de
utili poni, at quod monstrum sententiae et comparationis! Aquila, *ἐδο-*
ϱυφοϱήθησαν, satellites habuerunt: hoc unde? quomodo נעמו id signi-
ficare potest? Theodotion *ἠδυνάσθησαν, potuerunt*, vitio ut puto librari-
orum pro *ἡδύνθησαν*, quod et in LXX legitur, sed eodem scriptionis er-
rore mutatum in quibusdam editionibus versionis Vulgatae redditur, *quo-*
niam potuerunt.

Mihi quidem duo verba distinguenda videtur, apud Arabes sono et
signo literae diacritico diversa:

1) نعم, non *amoenitatem* solum, sed et *utile, pulcrum gaudiumque*
et hilaritatem apud Arabes denotans, quod et frequenter ab antiquis in-
ter-

terpretibus his omnibus reddi significationibus videbis, ut hoc ipso in loco ab Hieronymo: *quoniam decora sunt.* Vide coll. critic. in Ps. XVI. p. 139. 140.

2) نغم *leni et submissa voce usus fuit*, نَغْم et نَغَم *vox submissa.* Hocne ad Ps. 141. transferendum, et ושמעו אמרי כי נעמו vertendum: *audiunt verba mea vel cum submissa sunt*, i. e. inimica animi mei vota audiunt, vel clam mihi erumpentia? — —. Nihil definio, sed tentamen, quaestionem propono.

1609. נֹעַם *gratia.*

נֹעַם non solum svavitas est et jucunditas, sed et *gratia.* Sic Arabibus نعم الله به *propitius fuit Deus*, et نُعْمَة *gratia.* Sic quidem ab hilaritate vultus gratiam dicunt, plenior enim phrasis, نعم الله به عينا *hilaris vel jucundus illi Deus fuit oculo.* Sic et Hebraicum נעם accipe, Ps. XC, 17. ויהי נעם אדני עלינו, *sit gratia* (proprie, hilaris oculus) *Domini super nobis.* Hac et notione accipere possis נֹעַם Zachar. XI, 7. quam inter, et *prospera, jucunda*, ambigo. Male ibi LXX κάλλος, Aquila et Symmachus, εὐπρέπειαν, Vulg. *decorum:* verbum equidem haec significare possit, ut supra dixi, sed nullam sic habebit aut oppositionem aut rationem ad sequens חבלים, utcunque hoc explices.

1610. נַעֲמָה Genes. IV, 22.

Nomen proprium uxoris Thubalcaini, *amoenam, jucundam*, credo significans, sed quod Philo, mysteria captaturus, πιότητα, *pinguedinem*, interpretatur in libro de Caini prosapia, T. I. edit. Mangeyanae p. 248. Nempe, *vidit terram* כי נעמה Genes. XLIX, 15. paulo liberius solam sententiam exprimentes, LXX verterunt, ὅτι πίων, *quod pinguis esset*, sicque et Samaritanus.

1611. נוע, *flaccidus, debilis fuit.* Jes. XXXVII, 13. 2 Reg. XVIII, 34.

הֵנַע per Patach scriptum ad radicem נוע referendum, quam habent Arabes. نَعَ *debilis est, flaccidus et languidus*, inde quadriliterum نعنع *flaccidus fuit, vacillavit.* Vertes ergo, *flaccidos eos et vacillantes fecit.* Mallem equidem nomen aliquod proprium, quam verbum, sed urbem

aut

aut gentem nullam הבע dictam, Asiae geographia offert. Suspicionem,
de literis transponendis, עבה, *Ava*, occupavi p. 162.

1612. כעצוץ Jes. VII, 19. LV, 13.

Possit sive ad radicem עצץ referri sive ad כעץ: illa Arabibus, عضّ *mo-*
mordit, haec Chaldaeis *infixit*, *perforavit*. Posterius praefero, Arabi-
bus nomen arboris per Nun scribentibus, نُعْض, *arbor spinosa*, *silve-*
stris, *species sidrae*: nomen a pungendo accepisse videtur. Disces plura
ex Celsii, qui mihi hic otium fecit, hierobotanico T. II. p. 189. seqq.

1613. כָּעַר Jes. XXXIII, 9. Jerem. LI, 38. (Num. XI, 17?)

Excutiendi notio, quam verbum apud Hebraeos habet, reliquis di-
alectis ignotam, vix satis apta his Jesaiae c. XXXIII, 9. נֹעֵר בשן וכרמל,
haud certe placet, maxime lecta praecedente versus parte, quod habet
Vulgata, *concussa est Basan et Carmelus*. Multo verisimilius Vitringa,
rudit Basan, nisi quod aliud acrioris et lugubris soni verbum ponere de-
buisset: verum ille, ut magnus Bochartus (Hieroz. P. I. p. 731.) Rabbi-
nis credere, כער proprie esse *ruditum asinorum*, quod nullo orientalium
linguarum usu firmatum, et ad Jerem. LI, 38. transtulerunt, *leo rudit*,
pro, *rugit*.

Equidem hic duo inter ambigo, quae Arabia offert:

1) نَعَرَ *sonum bombumque emisit per nares, tumultuatus est*, نَعِير
clamosus, altam edens vocem, peculiariter in tumultu et bello. Asili etiam
sonum, de quo Virgilius, Georg. III, 274. *asper acerba sonans*, signi-
ficasse videtur, a quo ipsi asilo nomen, نُعْرَة, hinc نَعِر *infestatus*
ab asilis fuit: idem et nomen *muscas* significat, quarum sonum نَغَرَة
vocant. Manifestum, gravioris et obscurioris soni nomen esse, prae-
cipue asili, itemque iracundi et bellici. Thalmudicis et clamor camé-
lorum. Haec jam ad Jesaiam si transferas, prodibit sententia: *asilis*
vel etiam *muscis sonat Basan et Carmel*: talis imago, ut Jes. VII, 18.
et in chrestomathia nostra Arabica, p. 111. *nunc in valle Jemamae fu-*
runt muscae, crabrones, et pabulator caerulaeus, i. e. exercitus hostiles.
Bene et ad leonis rugitum transferri possit ac Jerem. LI, 38. נערו
כגורי אריות verti, *rugiunt ut catuli leonum*, favetque praecedens mem-
brum,

brum, כִּכְפִירִים יִשְׁאֲגוּ. Duplex hic *rugitus* verbum cum ponitur: memineris, aliter rugire (שׁאג) leones adultos, aliter (נער) catulos leonum. Hoc ob filum orationis praefero, *rugiunt*, hoc enim demto fateor, *excutere*, in Jeremia locum tueri posse, eleganterque vertisse Vulgatam, *excutiunt comas*.

2) نغر *aestuavit*, *bulliendo efferbuit*. Hinc Jes. 33, praecedenti membro perquam apte, vertere possis: *aestuat Basanitis et Carmelus*. Montes opacissimi aestuare et torreri sole dicentur.

In Numer. XI, 27. וַיָּרָץ הַנַּעַר וַיַּגֵּד לְמשֶׁה *cucurrit puer* vel juvenis *et indicavit Mosi*, He mihi demonstrativum quodammodo molestum, cum indefinite de juvene aliquo sermo sit. نغر *aestuare*, est et, *irasci*, *stomachari*, *aegre ferre*, *zelotypum esse*. Mutatisne punctis, הַנֹּעֵר *cucurrit indigne ferens et zelans*, i. e. cucurrerunt hoc indigne ferentes et nuntiarunt Mosi? Hac quidem constructione He articuli Hebraeis solitum.

1614. נַעַר, *puer*, *juvenis*, *servus*, *minister*. Exod. XXIV, 5.

Et hoc nomen, *pueri*, *juvenis*, *servi* significatione, ignorant reliquae linguae Orientales omnes, unius Hebraicae Rabbinicaeque peculium. Puero et juveni unde nomen ductum, nondum liquet. Duae se mihi offerunt conjecturae, 1) ab aestu et fervore aetatis, ut ad Arabicum نغر referatur. 2) ab עָרָה *viruit*, ut sit ex Niphal, apocopatum pro נַעֲרָה.

Exod. XXIV, 5. נערי בני ישראל sacrificasse jussu Mosis dicuntur ante institutum Leviticum sacerdotium. Hos plerumque, *primogenitos*, interpretantur praeeuntibus, Chaldaeo, et Saadia: quod mihi quidem suspectum. Primogeniti cum non solum juvenes sint, sed et viri fiant, et senescant, ac contra juvenes non omnes sint primogeniti, incredibile videtur, juvenes pro primogenitis poni. Conjicias forte, παρθένους, qui uxorem non attigerint: sed nulla illorum apud Israelitas sanctitas, nec נער feminae ignarum sonat, vide enim Genes. XXXIV, 3. Potius suspicor, vertendum, *ministri filiorum Israelis*: publici erant servi, sed honorati, qui totius populi loco mactabant sacrificia.

1615. נֹעַר Job. XXXVI, 14.

Juventutem plerique interpretantur, praeeuntibus LXX, Chaldaeo, Syro: תָּמֹת בַּנֹּעַר נַפְשָׁם *moriatur in juventute anima ipsorum*, i. e. juve-

juvenes moriantur, nec ad aetatem virilem perveniant. Mihi quidem ob parallelismum sequentis membri, וחיתם בקדשים *et vita illorum inter cynaedos*, potius intelligenda videtur, *impudica juventus, juvenes muliebria passi ac meritorii.*

Schultensius, *horum anima cum concussione moriatur*, ex vulgata verbi נער significatione, sed refragrante parallelismo sequentis membri: Vulgata, *in tempestate*, nec abluderet linguarum Orientalium usus, a sono enim gravi et confuso Arabes faciunt, نَغْرَة النجم, ad literam, *flatus stellarum*, i. e. *flatus venti, qui excitari solet circa Pleiadum exortum.* Sed non favet parallelismus sequentis קדשים, nisi totam versus interpretationem mutes.

נף Jes. XIX, 11. quaere sub מף.

1616. כפה, *propellere, ventilare.* Jes. XXX, 28. הַכְּפָה.

Jes. XXX, 28. punctis masorethicis adjectis legitur, לַהֲנָפָה גוים בנפת שוא, quod Hiphil faciunt verbi נוף, ac vertere solent: *ad cribrandum gentes cribro vanitatis.* Tralatitium a Kimchio, qui adscripsit: נפת *est cribrum, quo cribrant frumentum, non eo quidem fine, ut nihilum fiat,* (לשוא) *sed ut purificetur: verum hic cribrum, in quo gentes ventilabuntur, tale erit, ut nihil servetur* &c. Sic et Raschius, Gallicum esse dicens אוניר, *evanner.* Ortam hanc putem explicationem ex consveto errore Judaeorum, הֵנִיף esse, *ultro citroque agitare*, de quo vide num. 1550. Nec tamen cum hoc errore ipsa concidit verborum Jesaiae interpretatio; novas enim ei et meliores ex lingua Aethiopica suppetias ferunt biblia Halensia, in quibus Jo. Henr. Michaelis, *radix*, inquit, *Aethiopica, cribravit.*

Radix quidem Aethiopica non est, quae hic sumi a Judaeis solet, נוף, sed כפי, i. e. כפה, quam invenies in Ludolphi lexico p. 326. כפי *cribrare, cribro secernere.* Sed vel sic mutatis punctis, לַהַכְּפָה optime tueri locum interpretatio potest, ac forte per errorem etymologicum Judaeorum ad verum devenimus, ex antiquae linguae meliore cognitione servatum ac tralatitium.

Nempe نفى est, *repellere, propellere*, ac, monente Golio, de *vento* ponitur, *pulverem ac festucas propellente ac disjiciente.* Hinc et نَفِيّ *pulvis, festuca*, Aethiopibusque non tam cribratio dicta, quam ven-

ventilatio. Hanc significationem omnino hujus loci esse credo, sed mutatis, ut dixi vocalibus. Halitus Dei comparatur vento fortiori, qui ubi in aream frumentumque incidit, non modo pulverem abigit, sed omnino grana aufert, nec quidquam relinquit. Vide omnino Jerem. IV, 11. 12. ubi eadem imago. Non ergo jam opus lectionem mutare, ut Lowthus tentabat, להניף conjiciens: eae ipsae quas legimus literae להנפה, faciliores.

Caeterum valde hic dissentiunt veteres. Chaldaeus: לַאֲרָמָא בְּרָמוּת, *ad exaltandum gentes exaltatione vanitatis*, solet enim הניף et in libris Mosis vertere, ארים, *exaltavit*, licet opposita sint תרומה et תנופה: LXX. ταράξει ἔθνη ἐπὶ πλανήσει ματαίᾳ: Vulg. *ad perdendum gentes ad nihilum.*

1617. נפח *flavit*, *spiravit*, *rhonchissavit*, *halavit.* Jerem. I, 13. Malach. I, 13.

Verbum ex naturali flantis sono, ex quo nos etiam facimus, *anfachen*, ortum, Hebraeis, Chaldaeis, Syris, Arabibus, Aethiopibus commune. Arabes per utrumque ח scriptum habent: نفح *spiravit*, *diffudit odorem*, *effudit sanguinem*, *conspersit*, unde نُفُوح Hebr. XII, 24. pro ῥαντισμὸς, atque نفخ *flavit*, *inflavit cornu*, (Sur. XXVII, 59. XXXVI, 51.) نافخ et نفّاخ *flatu excitans flammam*, item *exhalavit bulliendo*, unde نُفّاخة *bulla innatans aquae:* quin et tertium addunt ex eodem sono naturali, فحّ *spiravit*, *diffusus fuit odor*, *rhonchissavit*, *sibilavit*, unde فحيح *rhonchus*, et *sibilus serpentis*, pro quo et فحّ *sibilavit* dicunt. Hinc

סִיר נָפוּחַ Jerem. I, 13. *ollam exsufflatam* vertere solent, in quo tamen displicet quodammodo, quod non olla, sed ignis exsufflatur, i. e. flatu excitatur. Mallem ergo exhalandi bulliendique significatione accipere, *olla bulliens.* Ad imaginem confer chrest. Arab. p. 80. 81. ubi ad Baschamae verba. تغلي مراجلنا *bulliunt ahena nostra*, Tebrizius: *ita ahena figurate posita erunt pro bello, ut poeta dicit: ebulliunt contra nos ollae illorum, sed sedamus eas, et frigidam adfundimus fortitudine.*

Ma-

Malach. I, 13. וְהִפַּחְתֶּם אוֹתוֹ vertunt fere, praeeunte Vulgata, *exsufflastis illud*, exsufflare pro contemnere positum censentes. Non satis placet phrasis: hostem quem contemnimus, vel flatu abigi eum posse arbitrati, *exsufflare* dici possumus, non altare aut sacrificium, cujus rediтus ut nimis exiles adspernamur. Ipsam sententiam si tenere velis, veritus similius הפחתם ad radicem פחח retuleris, verterisque, *exsibilatis illud*, collato, quod antea posui, فخ et فخّ *sibilavit*.

At Chaldaeus, שנקתון יתיה, *suffocatis* i. e. jugulatis *eam*, victimam, ignobiliore verbo posito, ut suffocari magis quam honeste mactari hostiae videantur. Id quidem הִפַּחְתֶּם egregie significare possit, relatum ad פחח, فخّ *rhonchissare facitis victimam*, quamquam suspicor, et כפח eandem habuisse rhonchissandi significationem. Praeplacere incipit.

Judaei volunt אותו in Malachia emendationem scribarum esse, ipsum prophetam scripsisse, הפחתם אותי, idque Hieronymus, Judaeorum sententiam referens, in commentario explicat, *exsufflastis me, non sacrificio, sed mihi, cui sacrificabatis, fecistis injuriam*, Raschius, *dolore me adfecistis*. Equidem sic lectum mallem vertere, *ad iram provocastis me*, ira sive a spirando dicta, *spirare me fecistis*, sive ab *accendendo igne:* sed textum, qualis est, praefero.

כפט *conspersit*, sub כוף pag. 1616. commemoratum.

1618. כַּפֵּךְ Jes. LIV, 11. Ezech. XXVII, 16.

כַּפֵּךְ gemmae nomen esse, certum, sed cujus? de eo nihil habeo, quod lexicis addere possim certius. Id unum moneo, praeter loca, ex quibus citatur, a LXX et Syro lectum fuisse Jes. LIV, 11. pro obscuriusculo Hebraico, בפוך, ἄνθρακα enim (carbunculum) LXX, ܒܘܪܠܐ *beryllium* Syrus verterunt, ac si legissent, אבני מרביץ כפך אבניך. Sic et legisse, imitator hujus loci Jesaiani, is qui fabulam Tobiae contexuit, videtur, in Hebraico enim Tobia c. XIII, 22. legitur, וכל רחובותיה כופך ואבני יקרה *omnes ejus plateae sunt Nofech et gemma pretiosa.* Nullus quidem hucusque codex lectionem firmavit, est tamen perquam probabilis, optimam fundens sententiam: מרביץ erit, *qui lapidibus viam sternit*, אבני מרביץ כפך אבניך vertendum, *ego plateas tuas lapidum loco gemmis sternam.*

Ezech.

Ezech. XXVII, 16. ita varie כַּפֵּךְ vertunt veteres, ut videantur aliud nomen, aliis literis scriptum legisse. LXX *στάκτην*, (quod enim in illis legitur Ναφεχ vel Ἀφεχ, adnotante Hieronymo, Theodotionis est) ac si esset, quod alias sic reddere solent, נָטָף: Chaldaeus תַּכְרִיכִין *fascias* (purpureas) legensne, בִּבְטֵ ארגמן? Aquila, *συναλλαγή σου*, ac si ךְ esset suffixum, et כַּף nomen. In codicibus nihil hucusque variae lectionis inventum, praeter כפת ex uno codice seculi XIV a Kennicotto excerptum. De lectione dubito, inque eam adcuratius, quam nunc fieri potest, inquiri velim: vix enim opinabile, LXX et Chaldaeum, qui Ezech. XXVIII, 13. נפך pro gemmae nomine habuerunt, hic aliter interpretaturos fuisse easdem literas.

1619. נָפַל Genes. XXV, 18. Exod. XXI, 18. Jes. XXVI, 19.

Significationes, *cecidit*, atque inde, *jacuit*, ex lexicis notae: addiderim et *jacuit*, sensu geographico, i. e. situs fuit. Sic quidem intelligo Genes. XXV, 18. ubi de Ismaele, omnibus fratribus suis ab Oriente habitante, (unde et Ismaelitae se شرقيون *Orientales*, *Saracenos*, vocarunt) על פני כל אחיו נפל *ante faciem i. e. ab Oriente omnium fratrum suorum situs fuit*, idem quod aliis verbis c. XVI, 12. praedicebatur, על פני כל אחיו ישכן, *ab Oriente omnibus fratribus suis habitabit.* Simillime et Arabes, وقع 1) *cecidit*, 2) *situs fuit*: e. g. Abulfeda p. 1. Aegypti ديار مصر تقع في الغرب جزيرة العرب *Aegyptus sita est ab Occidente peninsulae Arabum*, sicque idem, et alii geographi, innumeris locis.

נפל למשכב *cecidit in lectum* Exod. XXI, 18. i. e. *decubuit aegrotus in lecto*, frequens Syris phrasis, ܢܦܠ ܥܠ ܡܫܟܒܐ *jacuit in lecto*, i. e. aegrotavit. Vide lex. Syr. p. 557. 558.

Cadere pro *nasci*, poni tanquam excidere ex utero, Jes. XXVI, 19. וארץ רפאים תפיל, sunt qui arbitrantur: Kimchius ad h. l. *terra projiciet ex se mortuos*, לשון האשה המפלת *ex significatione* מַפֶּלֶת *cadere facientis*, *de femina positi abortientis*. In lexicon recepit, atque et ad v. 18. יפלו *cadent*, i. e. *nascentur*, transtulit Coccejus. Eximie aptum esse versui 19, ubi Kimchius promsit agnosco: ab adsensu tamen me revocat, quod הַפִּיל Chaldaeorum et Thalmudicorum non est nisi, *abortire*, a נֵפֶל *abortus*, nec concinne terram, ex cujus materno sinu mortui renascuntur,

tur, *abortire* dici. Molliorem explicationem quaere infra sub פרל vel פיל.

כְּפִיל et מַפְּלֵי quaere infra sub פיל.

כפף Prov. VII, 17. sub נוף pag. 1616.

1620. כפץ *fregit ita ut dissiliret.*

Copiosius verbum ex Arabico نغص illustravit, docuitque proprie esse, *aliquid quatere violenter*, *vel projicere*, *ut dissiliat*, Schultensius in libro primo originum cap. 3. ad quem ablego. Non est ergo proprie, *dispergere*, licet ex ejusmodi projectione vel allisione consequatur, ut frusta dispergantur. Rabbinis tamen, aliisque interpretibus, justo iniquior esse videtur Schultensius, eorum ענין הפזור עם השבר, *significatione dispersionis cum fractione conjunctae*, reprehendens, hi enim nihil aliud dare videntur, quam quod ille ex Arabum lexicographo Geuhari attulit. Sic et recte Raschi ad Ps. II, 9. *per totam scripturam significat conterere et frangere aliquid in partes minutas.* Syriacum ܢܦܨ eundem significatum habet.

Dicunt Arabes et de femina, نَفَضَتْ كَرِشَهَا *excussit uterum suum*, pro, *largae sobolis mater facta est*, idque Schultensius transfert ad Genes. IX, 19. מאלה נָפְצָה כל הארץ, *ex his* (tribus Noachi filiis) *uterum excussit*, innumerorum millium mater facta est, *tota terra.* Syris quoque ܢܦܨ significare, *enixa est*, in lexico Syriaco monui. Videtur tamen mihi in Mosis loco nimis artificiosum, ac prope indecorum, ut tres filii Noachi, patres, terram matrem impraegnent. Malim mutatis punctis, נִפְּצָה, quod vide infra sub פוץ.

1621. מֵפִיץ vel מַפֵּץ Jerem. LI, 20. Nahum II, 2. Proverb. XXV, 18.

מַפֵּץ Jerem. LI, 20. veteres pro participio habuerunt, atque ut verbum interpretati sunt; nominaliter, *malleum*, plerique recentiorum. Optime malleus a *frangendo*, *quodque omnia dissilire facit ictu*, dici potuerit, estque et illi loco perquam aptus, ubi cum armis bellicis componitur, מפץ אתה לי כלי מלחמה. Pugnabant et malleo, gravesque ictus infligebant, qui, si aciem haberet, bipennis dicebatur. Ejusmodi malleum pugnatorium *Derbasch* Arabibus dici, auctor est Niebuhr, itinerarii P. II.

p. 200. A mallei omnia frangentis similitudine et Judas Maccabaeus, מַקָּבִי nomen accepit, 1 Macc. II, 4. ubi vide notam.

מֵפִיץ etiam Prov. XXV, 18. mutatis punctis huc retulerim, cum gladio et sagitta acuta compositum, מֵפִיץ וחרב וחץ שנון, *malleus, et gladius, et sagitta acuta.* Chaldaeus ibi et Syrus, פריעא, ܦܪܘܣܐ, *malleus*, LXX. ῥόπαλον, de quo vide Bielii lexicon, (*nutamentum in alteram partem vergens, ex una parte inclinatum, habens et pondus.*)

Mallem et Nahum. II, 2. מֵפִיץ *malleum belli, omnia dissilire facientem*, habere, quam, מֵפִיץ.

1622. נֶפֶשׁ.

Potissimae significationes, quarum aliquae a lexicographis praetermissae, hoc mihi ordine digerendae videntur.

1) Ex prima significatione atque etymo est, *anima*, nec vero, quae in lexicis primum locum occupare solet, rationalis, sed quae ex ore et naribus exit, *halitus.* Hanc ex Job. XLI, 13. citare solent, estque Hebraeae cum aliis linguis Orientalibus communis.

Sic et accipio Ps. LXIX, 2. באו מים עד נפש *pertigit aqua usque ad halitum*, i. e. usque ad os et nares pertingens halitum mihi praecludit, (quod enim vulgo habent, *das Wasser gehet mir bis an die Seele*, sententia cassum) Ps. CXXIV, 4. 5. נחלה עבר על נפשנו אזי עבר על נפשנו המים הזידונים *transiisset super locum respirationis, halitumque nobis praeclusisset, torrens, transiisset super locum respirationis aqua superbiens.* Forte et huc referendum Job. XXIV, 12. נפש חללים תשוע *ultimus halitus confossorum clamat*, (quamquam ibi et *vitam* confossorum interpretari possis): et Jes. LIII, 15. עֲמַל נַפְשׁוֹ *labor anhelus*, proprie, *labor halitus ejus.* Sic et Arabes verbum تنافس *anhelavit* de labore ponunt, ut Hebr. VI, 11. in versione ab Erpenio edita, ما سلف من خدمتكم وما تتنفّسون فيه, *quod praecessit de ministerio vestro, et in quo adhuc laboratis.*

2) Ab halitu *vita* dicitur, quae frequentissima nominis significatio. Vix aliquid in vertendo textu Hebraico commisit magis displicens auribus, Lutherus, quam, quod נפש ubi, *vitam, Leben*, ponere debuisset, *Seele*, reddidit.

Hinc

Hinc phrasis נשא נפשו בכפו *portavit vitam suam in manu sua*, Jud. XII, 3. Pf. CXIX, 109. i. e. *in summo vitae discrimine ac periculo versatus est*: rebus enim periculosissimis ea, quibus maxime timemus, gemmas, aurum, manu portamus, ne eripi nobis possint.

3) Ut apud Latinos Graecosque ab anima quam halamus, etiam anima, qua vivimus, cum brutorum tum hominum, mens, animus, nomen animae accepit, ita et Hebraeis נֶפֶשׁ haec omnia significat.

De hominum anima positum, aliisque nominibus oppositum, videtur alicubi proprie *animam animalem*, eam quam cum brutis communem habemus, animae partem et vim sensitivam, denotare, prorsus ut Graecum ψυχή, ubi πνεύματι opponitur. Sic certe intelligo Deut. VI, 5. *amato Jehovam Deum tuum* בכל לבבך ובכל נפשך, ubi לבב *superiores* quas dicimus *animae facultates*, נפש *inferiores*, *quae sensuum et adfectuum sunt*, denotare videtur.

4) Ab anima et *animans*, *animal*, dicitur, cum ratione carens, tum et homo, quem non possunt non animalibus adnumerare, primum ei locum concedentes, naturae periti. Sic Moses Genes. II, 7. *spirare jussit in naribus ejus Deus halitum vitalem*, ויהי האדם לנפש חיה (ut plane lingua philosophorum in vertendo utar) *factusque est homo animal vivum*. De brutis animalibus exempla non adscribo, sunt enim in quovis lexico obvia. Aliquando et נֶפֶשׁ *homines* soli vocantur, oppositi animalibus, ut Genes. XIV, 21.

De homine positum, barbare latine interpretari, *persona*, possis, eo sensu, quo Germani, *Person*, dicunt, Galli, *Personne*, hinc fit,

5) ut cum suffixo compositum, נַפְשִׁי, q. d. *persona mea*, sit pronomen periphrasticum, pro, *EGO*, נפשך, TU, נפשו ILLE vel IPSE, &c. maxime in casu obliquo, aut ubi cum aliqua emphasi ponitur, *ipse ego*, vel, reciproce, *memet*. Arabibus id longe frequentissimum, itemque Syris, ac linguae Rabbinicae: Hebraismo antiquo et biblico fuerunt, qui hoc pronomen auxiliare negarent, quos ante 46 annos, grammaticam Hebraicam scribens, sequutus sum. Sed jam videtur mihi vix omnino Hebraicae linguae negandum, quod habet cum Arabica, tum Aramaea, atque נפש cum suffixo ut pronomen auxiliare poni, Levit. XI, 43. אל תשקצו את נפשותיכם *ne inquinate* (proprie, personas vestras, i. e.) *vosmet*, reciproce hic, ut saepe apud Arabes Syrosque, positum: Jes. XLVI, 2. נפשם בשבי הלכה *ipsa illa* (idola) *in captivitatem abeunt*,

abeunt, Jerem. III, 11. צדקה נפשה *justificavit sese*, Pf. III, 3. רבים אמרים לנפשי *multi dicunt mihi*, seu, *de me*, *non est salus illi*, לו, in masculino, i. e. *Davidi*, (ob genus masculinum vix licet, לנפשי hic vertere, *vitae meae*;) Pf. CV, 18. ברזל באה נפשו *in ferrum ipse coarctatus est*, (cui enim probetur, quod hic habet Hieronymus, cumque eo plures, *in ferrum venit anima ejus?* Possis tamen, fateor, et hic *corpus ejus* interpretari, ut eleganter Lutherus.) Job. IX, 21. לא אדע נפשי, *non nossem memet ipsum*, XVI, 4. לו יש נפשכם תחת נפשי *utinam vos essetis loco mei*, XXXII, 2. על צדקו נפשו מאלהים *quod justiorem se putaret Deo.* Omitto alia exempla, ab aliis memorata, partim quod apud illos obvia sunt, partim quod dicam illis scribi memini ab his, qui pronomen per נפש factum Hebraismo biblico negatum ibant.

6) Hinc et נפש, persona vel homo alicujus, *mancipium*, Genes. XII, 5. הנפש אשר עשו, *mancipia*, *quae adquisiverant*, Ezech. XXVII, 13. נפש אדם, quod recte Vulgata, *mancipia* reddit, sicque et Kimchius ac Raschius, 1 Macc. X, 33. Apoc. XVIII, 13. Arabibus quoque نفوس *mancipia*.

7) נשא נפשו אל *sustulit halitum suum ad aliquid*, i. e. valde illud desideravit atque anhelavit. Sic et Latini suum, *adspirare ad aliquid*, eleganter ponere solent, Arabibusque, نافس *adspiravit ad rem aliquam*, تنافس *anhelando captavit et expetivit.* Hinc explicabis Pf. XXV, 1. *ad te*, *o Jehova*, נפשי אשא, non, animam meam attollo, sed *adspiro*, *anhelo*: Jerem. XLIV, 14. *quo reverti impense cupiunt*, Hos. IV, 8. אל עונם ישאו נפשו *peccata populi mei anhelant*, impense cupiunt, saepius peccari, ut frequentiores victimae offerantur.

Hinc fluxit

8) *cupiditatis intensae* significatio vocabuli נפש, sat multis, in lexicis melioribus, confirmata exemplis; atque adeo saepe locum habens, ubi *animam* vertere solent. Sed haec et novas determinationes accepit. Nempe a desiderio anhelo, dicitur et

9) *adpetitus* ciborum et potus. Sic accipiendum putem Jes. LVI, 11. והכלבים עזי נפש *et canes sunt fortes adpetitu*, i. e. insatiabiles, quod statim explicatur, לא ידעו שבעה: sic et Syrus, ܥܫܝܢ ܢܦܫܐ, *avidi adpetitus*: Pf. LXXVIII, 18. *tentarunt Deum*, לשאל אכל לנפשם *poscendo cibum secundum adpetitum suum*, repudiato mannae cibo carnem poscendo: forte et, si puncta masorethica sequaris, Pf. LXXIV, 19. אל תתן לחית נפש תורך, *noli dare bestiae insani adpetitus turturem tuum*,

sed

ſed ibi multa lectionis varietas, fueruntque jam ex veteribus, qui חַיּוֹת pluraliter adpellarent, LXX. Vulg. Porro et hic cibi adpetitus vocabulo נפש aptiſſimus, ubi cum verbis nominibusve ſatietatis, rigationis, inebriandi, famis, ac ſitis conſtruitur, ut Jeſ. LVIII, 10. ותפק לרעב נפשך ונפש נענה תשביע, *ſi erogaveris famelico adpetitum tuum*, (i. e. cibos quos ipſe adpetis, illisque veſci cuperes) *et adpetitum jejunantem ſatiaveris*, Jerem. XXXI, 14. ורויתי נפש כהנים et v. 25. הרויתי נפש עיפה וכל נפש דאבה מלאתי Proverb. XXVII, 7. נפש שבעה *adpetitus ſatiatus* &c. Hinc et ortum putem עִנָּה נַפְשׁוֹ ubi de jejunio ponitur, proprie, *adflixit adpetitum ſuum:* vertunt alii, *adflixit corpus*, ſed certis exemplis nondum probatum video, viventium etiam corpora נפש vocari. Chaldaeum ſi ſequaris, etiam צום נפש *(jejunium adpetitus)* occurrit, Pſ. LXIX, 11. vertit enim contra puncta noſtra, ac ſi legiſſet, ואבכה בְּצוֹם נַפְשִׁי, *fleo in jejunio meo*, bona certe ſententia, ac quam punctis et conſvetae interpretationi praefero.

10) A cupiditate anhela et invidiam dicunt Arabes: نافس praeter ſignificationem quam ſub numero 7 attulimus, eſt et, *expetendo et adſpirando contendit cum aliquo, invidit alteri*, ſicque et تنافس. Hinc, نَفْس, *invidia, oculus malignus*, quem faſcino aliquo detrimentum adferre putant, ergo et, *faſcinus*. De ejusmodi malevolo deſiderio vix dubito quin ponatur Prov. XXI, 10. נפש רשע אותה רע *anhelum mali deſiderium concupiſcit malum*, cupit malus et invidus male aliis eſſe, itemque de malevolis hoſtium cupiditatibus impletis Pſ. X, 3. *gloriatur vel exſultat malus* על תאות נפשו i. e. *malevolis ſuis potitus deſideriis*, *et omnia eveniſſe videns quae invidia votis animoque concipere poterat.*

11) בָּתֵּי הַנֶּפֶשׁ, Jeſ. III, 20. ἅπαξ λεγόμενον, nomen ornatus muliebris, de quo copioſius egit Schroederus, in *commentario de veſtitu mulierum Hebraicarum*, cap. X. quid ſignificet ambigitur, nec forte unquam expedietur. Varias, is quem citavi, Schroederus ſententias interpretum excerpſit, quas inter haud paucae hic non relatu dignae, ſunt tamen aliquae reliquis veriſimiliores. Ex his, quae ad praecedens نفس *faſcinus* referens, vertit, *domus faſcini*, i. e. ſive ornamenta, quae faſcinare, et amoris inſania percutere adſpicientes poſſunt, qualia feminis tribuere poetae Arabum ſolent, ſive *retinacula faſcini*, i. e. *amuleta quae feminas tutas a faſcino praeſtant*, ſic quidem Chaldaeus, קְדָשִׁין, *ſacrae inaures*,

 hae

hae enim sanctae dictae, quod fascinum malignasque voces auribus arcere crederentur. Altera verisimilior, quam defendendam Schroederus suscepit, Hieronymi, *olfactoria*, proprie, *domus odoris*, nam et a spirando halandoque, *odorem diffundere*, dictum. Mihi quidem nondum liquet, nec forte unquam liquebit, nisi quid novae plane lucis ex linguis Orientalibus oriatur, quod antequam fiat, conjecturas habebimus. Novam his addere conjecturam si liceat, de *amethystis* cogitare ausim, cujus gemmae magna in Oriente superstitio. Vocatur illa Arabice, ut ex *Ravii specimine Teifaschi p. 102.* disco, بنفس: hocne contractum ex بَيْتُ نَفْسٍ *domus fascini?* Interrogo, nec coaevos quidem, qui plus forte non habeant, sed post me victuros, qui ea adipiscentur, nec quidquam definio.

12) *Corpus exanime, cadaver hominis*, Levit. XXI, 1. XXII, 4. Num. V, 2. VI, 6. 11. IX, 6. 7. 10. XIX, 11. qua notione et accipio Ps. XVI, 10. et forte Jes. LI, 23. אשׁר אמרו לנפשׁך, qui dixerunt cadeveri tuo, i. e. corpori tuo, quod tanquam exanimum et mortuum in platea jacebat, cum ebria concidisses. Caeterum nullibi video, quod a multis lexicographorum atque interpretum sumitur, de corpore vivo et vegeto poni. Corpus exanime unde sic dictum, non plane constat. Conferunt aliqui Virgilii illud, Aeneid. III, 67. *animamque sepulcro condimus:* verum ibi *anima* non corpus est, sed anima ipsa corpori mortuo oberrans. Ego mallem, a *spirando*, i. e. *exspirando*, corpus axanime dictum. Fluxit ex hac significatione antiqui Hebraici vocabuli Rabbinicum, בית נפשׁ *domus corporis*, atque adeo נפשׁ, *sepulcrum*, *monumentum sepulcrale*, Syriacumque ܢܦܫܐ, eodem sensu, quod vide p. 561. lexici Syriaci; quo et referendum, quod Sozomenus habet, historiae ecclesiasticae libr. VII. c. 29. *sepulcrum Michaeae*, *incolas monumentum fidum* (*) i. e. *certum* (*μνῆμα πιστὸν*) *vocare*, *νεφσαμεεμανᾶ* (lege *νεφσανεεμανᾶ*) *τῇ πατρῴᾳ φωνῇ ὀνομάζοντας*, *patria dialecto Neffaneemana adpellantes*, i. e. נפשׁא כאמנא. Arabibus quoque نَفْسٌ *corpus*, verum cum sine exemplo positum in lexicis sit, non pro certo habeo dicere, de solo exanimi, an et de vivo corpore usitatum sit.

13) *Sanguinem*, et, נפשׁ *vitam corporis*, ut prope eadem ponit Moses, Genes. IX, 5. בשׂר בנפשׁו דמו לא תאכלו *carnem cum vita sua i. e. sanguine, non comedetis*, et Levit. XVII, 11. נפשׁ הבשׂר בדם הוא,

(*) Male in versione latina, *monumentum fidelium*.

הוא, *vita corporis in ſanguine eſt.* Hinc ſuſpicer et נפש Jeſ. LIII, 21. pro *ſanguine* poni, כי הערה למות נפשו, *quoniam effudit ad mortem vitam* i. e. *ſanguinem ſuum.* Ex Golii quidem, Giggeji et Caſtelli lexico diſco, نَفْس cum *effundendi* verbo pro ſanguine poni: *anima exivit, ſanguis effluxit:* Arabica Geuharii et Camuſi utinam me quis, cui ad bibliothecas aditus, doceat, ſic certius dicere ſententiam poſſem. نَفْس etiam ſanguinem vertit Gigg. et Caſtellus.

14) נפש ubi cum verbo האריך *prolongare* patientiam, cum קָצַר *brevem eſſe* conſtructum, iracundiam et impatientiam denotat, e. g. Job. VI, 11. Jud. X, 16. XVI, 16. forte non animam rationalem, de qua plerique accipiunt, ſignificat, ſed *halitum, reſpirationem:* iracundi eſt et impatientis breviores halitus ducere, et feſtinanter reciprocare ſpiritum, tranquilli et ſedati, tarde longiusque ſpiritum ducere.

15) הֵשִׁיב נֶפֶשׁ, *recreare ex deliquio,* aut, *defatigatum,* non mihi eſſe videtur, *reducere animam,* eam quae ſpiritualis eſt, *in corpus,* ſed, *reducere halitum,* proprie, facere ut deliquium paſſus, mortuoque ſimilis, ſpirare iterum et halitum ducere incipiat. Latius autem et pro recreatione omnis fatigati ac deficientis ponitur.

1623. כפתחים nomen proprium coloniae Aegyptiorum. Geneſ. X, 13. 1 Paral. I, 11.

Egi de nomine in Spicilegio geogr. Hebr. P. I. p. 267–270. in ſumma rei Bocharto adſentiens, eſſe Aegyptium origine, idem quod Νέφθυς, i. e. *extrema ac limitanea,* ſed in ſitu, quem regioni conjectura adſignavit, diſſidens. Plutarchus de Iſide, editionis Squirianae p. 96. *Nephthyn vocant terrae extrema et limitanea, quae mari alluuntur: unde et Nephthyn cognominant ultimam, dantque Typhoni uxorem. Nilus autem cum valde exundans ad extrema accedit, ſtuprum id ab Oſiride Nephthyi illatum vocant, quod herbis propullulantibus prodatur. In his quoque melilotus, qua defluente et derelicta, ut fabula vult, Typhon intellexit, ſtupratam eſſe uxorem.* Sic quidem erit, aut ipſa illa *Bilbeidis regio,* de qua ſupra n. 1565. ſub כחר מצרים egi, ab Abulfeda in ſua Aegypto p. 4. 5. et num. 65. deſcripta, ultima, trans arenas, Aegypti regio, canali Nili cum maxime exundat rigata, his جَوْف aliis adeo حَوْف, *margo, litus* dicta. Plutarcho, τὰ ἔσχατα τῆς γῆς καὶ παρόρια καὶ ψαύοντα τῆς θαλάττης: aut ſabuloſa, rarius Nilo ultra modum exundante merſa.

Prius

Prius jam praetulerim. Sic ergo כפתחים idem, sed lingua Aegyptia dictum, quod Hebraice, נחל מצרים.

Monueram jam ibi, quod LXX habent, geographiae Aegyptiorum peritissimi, Νεφθαλειμ, non interpretis, sed librariorum videri. Nempe pro Νεφθαχεὶμ, ipsis ignoto, librarii Νεφθαλειμ scripserunt, notissimum medio aevo gentis Hunnicae in provincia Balk nomen, Procopio sine N, *Ephthalitae*, aliis *Nephthalitae*. Vide Fischeri quaestiones Petropolitanas. Suspicor, idem et Josepho nomen, quod in nostris editionibus operum ejus non legitur, librarios medii aevi obtrusisse: Svidas enim, Νεφθαλῖται, inquit, ἔθνος ἐπικρατῆσαν τὰ ἔω παρὰ Ἰωσήπῳ. In nostris editionibus pro כפתחים, Νέδεμον habet.

כֵּץ quaere sub כצץ.

1624. כָּצָא Jerem. XLVIII, 9.

Hoc uno loco per Aleph scriptum occurrit, תנו ציץ למואב כי כָצֹא תֵּצֵא, obscuriuscule, ut saepe ubi paronomasia captatur. Arabibus quidem قصاء est, *antiis prehendere*, id tamen vix hic locum tueri potest. Ergo his accesserim, qui idem esse volunt cum נצה *vastari*, quod infra vide: nec *vastare* solum est, sed et *pererrare deserta*, quod nostro loco prope aptius.

Valde hic dissident veteres. Vulgata, *quia florens egredietur*: Chaldaeus, *quia migrando migrabit*, priore quoque נצא ad radicem יצא, *exire*, per adliterationem relato: LXX ex aliis editionibus, ἁφῇ ἁφθήσεται *plaga tangetur*, in codice Alexandrino editionibusque ex illo factis, ἁφῇ ἀναφθήσεται, *tactu i. e. accensione accendetur*, hancque lectionem, meliorem ut opinor, sequuntur, Theodoretus, Arabs, Hexapla Syriaca, ܒܝܘܩܕܐ ܬܬܝܩܕ *accendendo accendetur*: nec tamen nostrum verbum vertisse, sed נִצֹּת תִּצַּת legisse videtur Graecus interpres.

1625. כצב Thren. II, 4. Ps. XXXIX, 6.

Verbum in Kal codex masorethicus non habet, ergo nec lexica: mihi vero, sed mutatis punctis, reperiri videtur, Thren. II, 4. נִצַּב יְמִינוֹ, sive, *firmavit manum suam*, arcum tendens, sive, *elevavit manum suam*, collato Arabico نصب *extulit, elevavit*: quod enim in editionibus nostris legitur participium Niphal, נִצָּב ימינו constructione perquam impeditum, vertendum, *firmiter directa est dextera ejus*, sed cum vitio aliquo gramma-

maticali, cum ימין dextera generis esse soleat feminini. Consentiunt mecum, et active vertunt, LXX. ἐστερέωσε τὴν δεξιὰν αὐτοῦ, firmavit dexteram suam, Syrus ܐܩܝܡ stare fecit: solus cum punctis consentit Chaldaeus.

Arabibus نصب statuere inter alia est, plantare, sicque et ܢܨܒ Syris, unde, نصاب radix, stemma. Radicem pro, natura, indole ponere, Arabibus usitatissimum, vide eorum lexica sub أصل: sicque et Chaldaei habent, נִצְבְּתָא דִּי פַרְזְלָא, radix. i. e. natura, indoles, ferri Dan. II, 41. Mihi quidem et Hebraicum verbum eodem modo poni videtur Ps. XXXIX, 6. אַךְ כָּל הֶבֶל כָּל אָדָם נִצָּב, certe omnis homo plantatus i. e. a natura formatus est omnimoda vanitas.

1626. מַצֶּבֶת Jes. VI, 13.

Vixdum dicta et transfero ad Jes. VI, 13. ubi מַצֶּבֶת radix mihi esse videtur, et poni pro primo germine, ex quo arbor nascitur, et quod nucleo continetur. אֲשֶׁר בְּשַׁלֶּכֶת מַצֶּבֶת בָּם verto, quarum in decidua glande est radix seu germen, atque ne opus habeam, eandem vocem diversimode reddere, pergo, זרע קדש מצבתם, semen sanctum erit radix seu germen eorum. Syrus quidem et Chaldaeus posterius מצבתם verterunt, ܢܨܒܬܗܘܢ et נִצְבַּתְהוֹן plantatio eorum.

1627. נָצָה.

Plures verbo tribuuntur significationes, forte non ex una ortae, sed ex diversis, quas Arabes distinguunt, radicibus.

1) Primam fere verbo dant notionem volandi, avolandi, Threnis c. IV, 15. egregie aptam, licet nullus, quod mirere, veterum ibi praeierit, sed εὕρημα omnes recentioribus reliquerint. Sunt et alia, quae significationem commendant, ut, quod a volando antiae ناصية item que נִצָּה pluma, recte dici potuerint: at est reliquis linguis Orientalibus plane ignota, unde videtur abdicanda, et recentiorum conjecturis adnumeranda. Deleatur, si placet.

2) Rixandi, contendendi, significatio certa. Haec quidem orta, ut jam Simonis monuit, ex نصا pro نصى, antiis prehendere. Est de-

 no-

nominativum a نَاصِيَةٌ, seu, ut ex etymo scribendum esset, نَاصِيَةٌ *antiae*, qualia plura ex hoc ipso antiarum nomine Arabes faciunt. Rixandi significatio apud Syros perquam usitata.

3) *Desolationis*, *vastationis*, notionem habet 2 Reg. XIX, 25. Jes. XXXVII, 26. Jerem. IV, 7. ac forte, per א scriptum, Jerem. XLVIII, 9. Ad Arabum نَضَا pro نَضَو referendum, *exsuere*, *nudare*, unde et *deterere vestem*, et *expallescere coloris* dicunt. Exsui, nudari, de urbe et regione positum, est, ita vastari, ut nuda aedibus et aboribus area supersit. Arabes hinc et faciunt, نَضَا *trajecit desertum*.

4) At quid his Thren. IV, 15. כִּי נָצוּ גַּם נָעוּ facias, abdicata, quam recentiores excogitarunt, avolandi significatione? — — Mihi quidem haec ipsa, quam vixdum posui, significatio, *trajecit desertum*, satis apta videtur: *deserta enim trajiciunt*, *ac vagantur*, possisque eandem et verbo נצא Jerem. XLVIII, 9. commodare: *date alas Moabo*, כִּי נָצֹא תֵּצֵא, *quoniam deserta peragrando exibit*.

In veteribus quidem parum Thren. IV, 15. praesidii. LXX verterunt, ἀνήφθησαν, *accensi sunt*, aut נִצְּתוּ legentes, aut, mali grammatici, נצה ex נצת explicantes. Vulgata et Syrus, *quoniam jurgati sunt*, (נָצוּ). Chaldaeus, *abominabiles sunt*, quem sequens Raschius, comminiscitur, verbum נרץ, (ad hanc enim radicem refert) *foetorem et pollutionem* significare. Merum commentum. Forte Chaldaeus כְּאִצּוּ legerit aut conjecerit, aut adliterando נָצוּ ex כְּאִצּוּ explicuerit.

1628. נָצַח, נִצַּח, נֵצַח.

1) Prima verbi vis videtur, *purus*, *sincerus fuit*. Id quidem Arabibus نَصَحَ significat, ut, cum mel, seu vinum, sincerum est, nulla alia re admixta, (vide Schultensium ad consessum sextum Haririi p. 204.) itemque Syris ܢܨܚ, unde ܡܰܝܳܐ ܢܨܺܝܚܶܐ Apoc. XXII, 1. est *aqua pura seu pellucida ut crystallus*. Vide plura in lexico Syr. p. 562. 563. Habent et Aethiopes נצח, *purus*, *mundus fuit*, unde purificationem et lustrationem dicunt.

Huc

Huc egregie possis referre נֵצַח Jes. LXIII, 3. 6. atque, *merum* (vinum) interpretari. Victor, cujus imago informatur ut torcular calcantis, *calcavi*, inquit, *gentes in ira mea*, ויז נצחם על-בגדי, *et adspersum est merum eorum vestibus meis*, i. e. sanguis, mero vino comparatus: idemque versu 6, *proculcavi populos — —* ואוריד לארץ נצחם *et defluere feci in terram merum eorum.* Sanguinem, demta imagine, remque solam exprimentes, vertemus LXX, Syr. Vulg. Offert tamen et aliam vocabuli interpretationem Arabicum, نَصْحٌ, quam vide num. 10. - Ex hac *meri nihil alienum admixtum habentis* notione interpretor Jerem. VIII, 5. מְשֻׁבָה נִצַּחַת *aversio pura puta*, nihil residui amoris habens, nullam spem reditus et resipiscentiae relinquens. - Sic, licet alio verbo utens, Alphandus, poëta, (p. 42. chrestom. Arabicae) *ignovimus filiis Dsul, diximusque, cum tempore fient, quales fuerunt. Cum autem malitia fuisset mera*, (صرّح) *similis lacti despumato* &c. armis usi sumus.

2) A puritate et limpiditate physica, dicitur et moralis, *sinceritas*, *veritas.* Vide Schultens in Prov. XXI, 28. atque ad consessum Haririi sextum, p. 204. Sic *purus et sincerus amor* نُصْحٌ dicitur versu 6 carminis Caabi. Hinc nomina plura sinceri vel monitoris, vel amici.

Hebraeis quidem *veritatis* notione נצח aliquoties ponitur: 1 Sam. XV, 29. נצח ישראל לא יְשַׁקֵּר *veritas i. e. veracissimus Deus Israelis non mentitur;* Habac. I, 4. *friget lex*, ולא יצא לנצח משפט *nec egreditur jus* (sententia judicialis) *secundum veritatem*, pro quo simillima phrasi Jesaias, Habacuci coaevus, c. XLII, 3. habet, לאמת יוציא משפט; Proverb. XXI, 28. *poenas dante teste mendaci*, איש שמע לנצח ידבר *is qui audit secundum veritatem loquetur.* Forte et huc referendum Job. XXXVI, 7. de deo juris pauperum custode et vindice, *cum regibus est in solio*, וישיבם לנצח *et sedere illos facit ad veritatem*, i. e. *ad vera judicia exercenda.*

3) Ipsum verbum נצח hinc est, *fideliter praeesse muneri, vel operi*, ut enim Arabes ad fidum amicum et monitorem, ita Hebraei peculiariter ad fidum negotii administrum transtulerunt. 1 Paral. XXIII, 4. מאלה לְנַצֵּחַ על מלאכת בית יהוה *ex his ut fideliter curarent negotia domus Jehovae, 24000. — —* 2 Paral. XXXIV, 12. *hi viri fide, quae illis habebatur, faciebant negotia* (עשים באמונה במלאכה) *et super illos erant, illisque*

que praefecti, Jachat et Obadia &c. לְנַצֵּחַ *ut fideliter administrarent omnia.* His quidem locis, *praeesse*, vertunt recentiores, nec tamen illis lectis liquet, unde *praeesse*, reliquis linguis Orientalibus ignotum, exque sola conjectura arreptum, fluxerit, cujus equidem jam rationem reddidi. Forte et, quid hic habeant veteres scire cupias. 1 Paral. 23. LXX ἐργοδιώκτας, Chaldaeus, ממנן רברבין, *constitutos praefectos*, Syrus, ܡܦܩܕ̈ܢܐ exque eo Arabs, رؤساء *praefectos*: absurdiuscule, *viginti enim et quatuor millia praefectorum*, eo sensu, ut aliis praesint, quis hic ferat? *Praefecti* sunt negotio, quod ipsi gerebant, non praefecti aliis, aut primarii. Melius, sed sententiam non vim vocabuli exprimens, Vulgata: *electi et distributi in ministerium.* 2 Paral. 34. LXX vertunt, ἐπισκοπεῖν, Vulg. *qui urgebant opus*, Syrus ܡܫܒ̈ܚܢܐ, i. e. sive, *hymnos dicentes*, sive, ut Arabs intellexit, *illustres*, *primarii*. Sic forte contulerit suae linguae ܢܨܝܚܐ *illustris*, quod vide in lexico Syriaco pag. 563. Chald. לְשַׁבְּחָא *ad hymnos canendos*. Nempe

4) est et נָצַח *canere*. Sic quidem accipio 1 Paral. XV, 21. בכנורות על השמינית לְנַצֵּחַ *cum cytharis octo chordarum ad canendum*, vel, pulsandum. Nempe a puro et liquido, et vox canentium psallentiumque dicitur: Horatius, Carm. l. I. 1, v. 3. 4.

Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit

Syris quoque ܢܨܘܚܐ *vox liquida et canora*.

5) Syris de nominis claritate usurpatur, ܐܬܢܨܚ *inclaruit*, ܢܨܝܚܐ *illustris*, *clarus*. Hebraicum נֵצַח inter תפארת et הוד interpositum 1 Paral. XXIX, 11. hac orationis serie, והתפארת והנצח וההוד, *splendor et gloria* esse videtur: ܢܨܚܘܬܐ, *decus*, Syrus vertit.

6) De puritate metallorum, sine scoria, poni videtur Job. XXXIV, 36. יִבָּחֵן איוב עד נצח *exploretur Jobus usque ad puritatem* i. e. *exploretur igne adversorum donec demtis scoriis purum aurum supersit.* Vide n. 224. ubi jam de בחן, *explorare metalla*, dictum.

7) Usitatissima vocabuli significatio, *victoria*, a puritate fluxisse videtur. *Purum*, *justum*, declarare illum videtur Deus, qui vincit, hincque

que fit, ut saepe a puritate vincere dicatur. Sic זָכָה purus fuit, Syris (ܙܟܐ) *vicit*, et ܙܟܝܐ *victor*, lex. Syr. p. 254. טהר *purus fuit*, hinc ظَفِرَ *vicit*, ac forte מטהר (num. 902.) *victoria*, צדיק, *justus*, sed et, *victor*, *victoriosus*, רָשָׁע *damnatus*, de *victo*.

8) *Aeternitatis* notio, Hebraeis perquam consveta, sed quam reliquae linguae praeter Rabbinochaldaicam ignorant, unde ducta, non satis mihi liquet: Schultensius quidem ad Job. IV, 20. ad *purum putum* (non mixtum) refert, *in purum putum perire*, dici, pro, *in aeternum perire*. Mihi quidem fas sit aliquid etymologici ignorare.

9) Sunt nonnulla loca, in quibus לָנֶצַח *in aeternum* verti solet, sed parum, ut mihi videtur, apta sententia: Ps. XIII, 1. QUOUSQUE *mei oblivisceris* לנצח IN AETERNUM Ps. LXXIX, 5. QUOUSQUE, *Jehova, irasceris in aeternum?* In aeternum si obliviscitur aut irascitur, absurda quaestio, quousque id facturus sit. Hic malim, *prorsus*, intelligere, proprie, *purum putum*, *oblivionem vel iram meram*, nulla relicta benevolentiae mixtura. Vide num. 1. Nulla philologiae ope, sola conjectura ac duce mirabili illo ingenio et gustu, Lutherus praeivit, *Herr wie lange willt du mein sogar vergessen?* et, *Herr wie lange willt du sogar zürnen.*

10) Habent et Arabes, sono paullisper immutato, نضح et نضخ *sparsit*, *consparsit*, *effudit*: huc possis, quod sub primo loco posueram, נִצְחָם Jes. LXIII, 3. 6. referre, v. 3. *adspersa est adspersio eorum vestibus meis*, et v. 6. *descendere feci in terram effusionem* i. e. *effusum sanguinem eorum*. Pulcrius tamen, quod primo loco posueram, totique imagini aptius videtur.

1629. מְנַצֵּחַ.

De hoc vocabulo, multitudine interpretationum obscurato ac nebuloso, dividenda sententia. 2 Paral. II, 2. 17. nullum dubium, quin מְנַצְּחִים *praefecti et inspectores* sint operariorum, a tertia significatione verbi nomen habentes, quasi, *fideliter et sincere agentes*, id est, *quorum fidei totum negotium commissum*. In re ipsa errare hic non potuerunt interpretes, licet illorum non fuerit, etymon exprimere: ergo habent, שׁלִיטִין, ܡܫܠܛܢܐ, ܦܩܘܕܐ, *praefectorum* nomina, Syrus et Chaldaeus, *praepositos* Vulgata, ἐπιστάτας v. 2. LXX, et v. 17. ἐργοδιώκτας. Hoc qui-

quidem non solum in lexicon recepit, sed et inde effecit Coccejus, verbum נצח esse, *instare operi*, *opus diligenter et indesinenter facere*, alii, *urgere ad opus*. Significationes mere conjecturales, reliquis linguis Orientalibus ignotae. — — Eodem modo et accipio 2 Paral. XXXIV, 13. et *super bajulatores* ומנצחים לכל עשי מלאכה, et *praefecti omnibus facientibus negotium*. Hic tamen adhaesisse aliquos ex veteribus video, omittentes, Chaldaeumque מתגברין *fortiter se gerentes*, vertentem, ac si esset a נֵצַח *victoria*.

Ab his sejungenda disputatio de מְנַצֵּחַ ubi in titulis multorum psalmorum, inque calce carminis Habacuci, c, III, 19. legitur. Hic, qui verisimillime, *praefectum*, *praefectum musices*, interpretati sunt, supra dictam vocabuli versionem et huc transferentes: vereor, ut recte. *Praefectus*, alias non frequens nomen cujus etymon usu obliterari potuerit, est, *fideliter agens, cujus fidei aliquid committitur:* hocne nomine praefectum musices adpellari, et vero semper, credas? Praefectone omnes psalmi traditi? Equidem mallem quartam hic verbi significationem, *canere*, in subsidium vocare, et למנצח simpliciter vertere, *musico*, vel, *cantori*. Aut idem sensit, aut proximus a mea explicatione est, Chaldaeus, in psalmis vertere solitus, לְשַׁבָּחָא *ad laudandum*, i. e. *ad hymnum canendum;* videri tamen possit, aliis vocalibus, לְמִנְצַח adpellatum, pro infinitivo formae Aramaeae habuisse, מִקְטַל. In Habacuco etiam, licet ejus interpres a multo recentiore psalmorum sit diversus, habet, מנגן בתשבחותי *psallens in psalmis meis*, ibidemque Syrus, ܕܐܙܡܪ ܠܡܙܡܘܪܝ *ut canam psalmum meum*.

1630. נצל Jerem. VII, 10.

Verbum נצל, הִצִּיל *eripere*, habent Arabes sub نصل quod primo est intransitive, *excidere*, deinde transitive, *exsuere*, *detrahere;* acceperunt ab Arabibus Aethiopes, quibus idem significat, intransitive, cum securis a manubrio excidit, et transitive, *abrupit*, *avulsit*.

Jerem. VII, 10. נִצַּלְנוּ, vertunt fere, *erepti sumus*, quod quidem erit, *absoluti sumus a crimine*. Arabibus تنصّل *absolutus fuit a crimine*. Haec absolutio a crimine dictane ab *eripiendo*, *liberando?* an a *deleta omni macula?* namque et نصل Arabibus est, *tincturam exsuit*, *deletus*

tus fuit sine vestigio color. Hoc si praeferas, mallem adeo vertere, *innoxii, et ab omni macula puri sumus.*, quod filo orationis prope convenientius.

1631. נֵצֶר *surculus*, Jes. XI, 1. LX, 21. Dan. XI, 7. *Sanies, ulcus*, Jes. XIV, 19.

Pro Hebraico נָצַר *servavit*, duo verba habent Arabes, 1) نصر *juvit, defendit*, cognatae cum Hebraico significationis, 2) نضر *viruit, enituit*, et de vegetabilibus virentibus, et de fulgore auri usitatum, ad quod, נֵצֶר, *planta*, referendum esse, jam alii monuerunt. Syris verbum utraque significatione periit, quorum ܢܙ *grunnivit, pipivit*, aliud plane atque a sono SAR naturali ductum videtur.

Surculi notio vix apta videtur his Jesaiae, c. XIV, 19. *tu projectus es ex sepulcro tuo* כנצר נתעב *ut surculus impurus.* Jam ipsum, *surculus impurus*, non valde placet: at, *ut surculum insepultum projici*, male omnino composita imago, cum surculi sepeliri non soleant. Aliquid novi tentavit Lowthus, *lignum* intelligens, *ex quo aliquis suspensus fuerat, habitum Judaeis abominabile*: *igiturque cum eo sepultum*: Maymonidem et Eusebium testes citans, qui histor. eccl. I, 17. 18. tres cruces defossas, ab Helena inventas, memorat, quas inter crux Christi. Verum mosne tam antiquus, ut Jesaias ex illo explicari possit? Sapit aliquid recentioris ac pharisaicae traditionis. Adde 2) in Jesaia arbori vel ligno inhonestum esse, non sepeliri, quod supponit, lignum, non infelix illud, sed honestum sepulturae honorem habuisse. Denique 3) נצר *surculus virens* est, non lignum ex quo quis suspenditur, quod in viva arbore fieri vetat Maymonides, Lowtho citatus.

Symmachus, ἔκτρωμα, *abortum*, vertens, videtur נֵפֶל legisse: nullus tamen ita codicum.

Multo verisimilius aliqui veterum, *sanies, cadaver.* LXX ὡς νεκρὸς ἐβδελυγμένος, Aquila, ὡς ἰχὼρ, *ut sanies*, seu, *tabes.* Huc et forte referendus Chaldaeus, חַט מְסִיר vertens, quo de obscuro vocabulo vide Buxtorfii lex. p. 718. Mihi omnia expedita, si חַט per Patach legas, id est, *ulcus occultandum*: ipse adeo Chaldaeus נצרים Jes. LXV, 4. cadavera humana vertit. — — Ulcus quidem turpe et saniem נֵצֶר a نضر *viruit*, significare potuerit, *efflorescendi* enim verba Hebraeis ad ulcera trans-

transferuntur, Exod IX, 9. 10. Levit. XIII, 12. 2 Paral. XXVI, 19. Desumta imago a turpi et leproso cadavere, quod sepulcro patrio non excipitur: exemplum habe ex ipsius prophetae tempore 2 Paralip. XXVI, 23.

1632. נצורים Jes. LXV, 4.

Obscuriusculum interpretatu, ובנצורים ילינו, dissidentque interpretes: praecesserat, *sedentes* i. e. incubantes *in sepulcris*. LXX *specus*, *speluncas*, interpretantur, (ἐν τοῖς σπηλαίοις κοιμῶνται διὰ ἐνύπνια) sicque et Syrus, conjectura, credo, ex praecedente membro facta, quod sepulcra in Palaestina haud raro specus: nec tamen adsequor, qua ope philologica haec vocabulo נצורים dari significatio possit. Vulgata, *in delubris idolorum*. Hieronymus utinam in commentario de vocabulo Hebraico egisset: est tamen versio satis verisimilis, delubra deorum, in quibus incubabatur, loca sacra, נצורים *custodita*, i. e. ἄδυτα dici potuerint. Chaldaeus, פגרי בני אנשא, *corpora mortuorum* habet, ad quae quomodo devenerit, supra sub נצר dictum. Videtur tamen vel sic nomen non nisi ad cadavera sanie fluentia pertinere posse, quae inter nemo incubat. Recentiores quod habent, נְצוּרִים esse, *vastata*, merae sunt Rabbinorum conjecturae, nullo usu linguarum Orientalium firmatae. Unus codex ובצורים, *et in petris*, habet. Scripseritne Jesaias, ובין צורים *et inter petras, in altis horrendisque vallibus, oracula captantes incubant?* Consvetam lectionem si retineas, versio in Vulgata data praeferenda.

1633. מצור Hab. II, 1.

Fortalitium vix ad seriem orationis aptum, sed potius specula: velim ergo efferre מָצוֹר *specula*, a נצר *observavit*, Arabibus منطرة.

1634. מַקָּבִי 1 Macc. II, 4.

Sic scribendum Judae cognomen, *Maccabaeus*, non ut aliis visum, מכבי, non solum ex Graeco, Μακκαβαῖος, verisimillimum, Caph enim, etiam Dagessatum, per χ, aut κχ exprimere Graeci solent, sed ex Syriaca versione certum, quae Hebraicum textum exprimens ܡܩܒܝ habet. Est a מַקָּב, *malleus*, qui omnia malleat, frangit, dissilire facit. Vide plura in notis ad 1 Macc. II, 4.

1635. מַקֶּבֶת *metalli vena.* Jef. LI, 1.

In his, *intuemini petram ex qua excifi, et ad* מַקֶּבֶת בּוֹר *ex quo effoffi eftis*, haud videtur imago defumta a fonte ex petra erumpente, fed a vena nobilis metalli, ex monte effoffi. Nulla omnino fontis aut aquae mentio, nec fontes ex petris effodiuntur, fed fponte erumpunt. Deduxit me ad metalli venas, Arabicum مَنْقَبَة cum Hebraico nomine comparatum, quod quidem eft primo a نقب perforavit, *cuniculus in petram adactus a metalli fofforibus*, inde *ipfa vena nobilis metalli*, atque ab hac, *ftirps nobilis.* *Amru* in carminis fui initio, p. 90. chreftomathiae Arabicae: *non eft decus in veftibus, non in eo, quod ftriata induaris, fed decus funt*, مَعَادِن وَمَنَاقِب أَوْرَثْنَ مَجْدًا *venae et fodinae quae hereditariam transmittunt laudem.* Tebrizius in nota monet, ftirpem nobilem a metalli fodinis nomen accipere. Golius in lexico مناقب vertit, *virtutem, rem qua quis gloriari poffit*, quem et Schultenfius fecutus: at ipfum poetae locum infpiciens, quis non intelligit, de vena metalli fermonem effe? Huic quidem et nobilis ftirps, et ipfa nobilis indoles, virtusque comparari poteft; demta autem vena metallica virtus a perforando nomen accipere vix potuiffet.

1636. מקום Job. XXVIII, 1. 6. 12. 20. 23. num pro מַקּוֹב, *fodina.*

Haec ipfa quae vix dum fcripfi, caput XXVIII Jobi legentem admonuerunt, de מָקוֹם cogitare, quinquies in hoc uno capite de fodinis metalli agente, ita pofito, ut non generatim, *locum*, fed *fodinas metallicas* defignare videatur. Nihil frequentius Arabibus literarum M et B permutatione: eftne, מָקוֹם efferendum, pro מַקּוֹב *fodina?* Lege ipfos verfus, et auribus guftuve experire.

1637. נקה de vaftitate, defolatione, expurgatione pofitum.

נָקָה *purus fuit*, etiam in fenfu phyfico, et vero in ingratam partem, poni poffe, locus jam Amofi, IV, 6. נִקְיוֹן שִׁנַּיִם, *cum dentes nil habent, quod comedendum comminuant*, lexicographos admonuit. Arabibus inde نقو et نقي *medullam eximere, emedullare*, aut fi hoc pro denominativo a نِقْيٌ *os brachii* habeas, استنقي eft (ut notavit ad

Zach. V, 3. pater meus,) *plane urbem expurgare, nihil in illa incolarum vel opum relinquere*, saepius hoc sensu in Timuri historia occurrens. Syris etiam ܢܩܐ *trucidare, proprie expurgare*. Ex hac verbi significatione lucebit, Zach. V, 3. *secundum hanc maledictionem omnis fur, omnis perjurus, expurgabitur*, כמוה נקה. Plerosque hic veterum, contextu prope cogente, in eo mihi praeivisse video, ut נקה in malam partem accipiant, sed alia via, non Arabica philologia duce, illuc pervenerunt. LXX ἕως θανάτου ἐκδικασθήσεται, pro כמוה legerunt, aut conjecerunt, כמות, et נקה eodem modo de poenis suppliciisque acceperunt, ut Graecum δικαιῶσαι est, et *justificare*, et, *punire*. Sic et Symmachus, δίκην δώσει, Vulgata, *judicabitur*, Chaldaeus, ילקי *percutietur, i. e. punietur*.

Eodem haud dubitans retulerim, de Hierosolyma dictum, Jes. III, 26. *lugebunt portae ejus*, ונקתה לארץ תשב *et inanis erit* (incolis exinanita) *et humi sedebit*. Hic quidem Vulgata plane mihi praeivit sententiam, *desolata*, vertens, sicque et Chaldaeus, תתרוקן *evacuabitur*: sententiam exprimunt LXX, καταλειφθήσῃ μόνη, *solitaria relinqueris*. Eodem modo et accipiendum videtur Jerem. XXX, 11. *te non delebo ad internecionem, castigabo te modice*, ונקה לא אנקך *sed exterminando non exterminabo te*, (sic Chaldaeus et Raschius:) itemque XLVI, 28.

Hunc significatum, ad Exod. XXXIV, 7. transtulit Ludovicus de Dieu: *condonat peccata*, ונקה לא ינקה, *exterminando non exterminat* (populum suum) *sed punit peccata patrum in filiis, nepotibus, et pronepotibus*. Recte, ut mihi videtur, cum suadente usu phrasis apud Jeremiam, tum quod ut promissionis verba citantur Num. XIV, 18. a Mose, deprecante, ne Deus populum deleat.

1638. מְנַקִּיּוֹת Exod. XXV, 29. XXXVII, 16. *vasa libatoria*.

Non dubitans his accedo, qui *vasa libatoria* vertunt, (ut unum ex illis nominem, Simoni) atque ad Syriacum ܢܩܐ *libavit*, referunt. Nempe a puritate et adspersionem lustralem, et libationem vini puri Syri dixerunt. Id unum addo, omnes praeivisse veteres, ex quibus maxime insignis Syrus, eodem et vocabulo hic et verbo usus: ܡܢܩܝܬܐ ܕܡܬܢܩܐ ܒܗܝܢ *libatoria, quibus libabatur*. Reliqui, LXX κυάθους, Vulg. *cyathos*,

thos., Samaritanus harmonice, מנקית, Arabs uterque ملاعق *cochlearia.* De solo dicendum Chaldaeo מכילתא *mensuras* habente: mensuras intellexisse videtur liquidorum, quales omnia vasa mensae sacrae fuisse putem. Vide jus Mosaicum §. 227. num. 2. seu pag. 374. 375. Tomi IV. Ergo fabula Judaica de *calamis inter panes propositionis interpositis*, quam in suo probavit lexico Coccejus, ne antiquae quidem traditionis laudem habet, sed conjectura est recentior, ex qua et Chaldaicum מכילא interpretabantur. Ut plenius intelligas, adscribo ipsa Raschii ad Exod. XXV, 29. verba: "*Thargum ejus habet,* ומכילתיה, *hae sunt furculae in-* „*star paxillorum aureorum, quae stabant in terra, et multum superemineebant* „*mensam, usque ad altitudinem ordinis panum: discissae autem erant quinque* „*scissuris, quarum una altior erat altera, atque extremitates calamorum, qui* „*inter singulos panes erant, ne onus panum superiorum premeret inferiores,* „*hique frangerentur. Significat autem Chaldaicum* מכילתיה, *sustentacu-* „*la, ex,* נלאיתי הכיל *Jerem. VI, 11.*" (defessus sum, sic verti vult, sustinendo). "*Sed ego haud adsequor, quomodo dictio,* מנקיות, *conveniat* „*furculis, et sunt nonnulli ex sapientibus Israelis, qui dicunt,* קשוות *esse* „*furculas, quia* מקשין *i. e. roborant et sustentant panem, ne frangatur,* „מנקיות *autem esse calamos, a purificando dictos, quia purum conservant* „*panem, ne mucidus fiat*". Vides, non nisi conjecturas esse, ne concordes quidem, ac partim perquam indoctas: haec tamen Rabbinorum somnia, a philologis christianis credita, in suas tabernaculi delineationes atque icones creduli admiserunt pictores. His fidem habere noli.

1639. נָקַט Job. X, 1?

Job. X, 1. legitur, נָקְטָה נַפְשִׁי בְּחַיָּי secundum puncta masorethica ad radicem נקט referendum, quae quid significet conjecturis fere et adliterationibus persequuntur. Idem esse volunt plerique quod קוט *fastidire,* alii quod קטט *ferbuit,* Schultensius novo literarum lusu cum نقض *cum sono et fragore dissilire* contulit, grandique in notis figura laetatus, quod aliis forte non aeque placebit, vertit, *dirupta crepat anima mea in coagmentationibus meis.* Verbum נקט si in Jobo occurrit, his omnibus lusibus, hac omni vi etymologica, non erit opus, habent Arabes نقط significatione, nostro loco aptissima, sed in Golii lexico omissa, *stillavit, guttatim fluxit*; teste Giggeo, unde et نُقْطَة *gutta* Jes. XL, 15.

نُقْطَة مِثْلُ pro *ὡς σταγὼς*, Sap. XI, 23. كَنُقْطَة *ut gutta roris matutini*. A punctorum, ni fallor, similitudine *guttae* nomen acceperunt, ab illis *spargere* et *stillare* dictum: نقط enim ex consveta significatione idem quod Heb. נקד, et Arab. نقط *pungere*, unde et *puncta vocalia* dicere solent, et, *maculas*, ut Hebraei נְקֻדִּים *maculosa*. Bona prodibit sententia, si vertas: *stillat anima mea ob vitam meam*, i. e. stillat lacrimis, defleo hoc ipsum quod vivo.

Veteres autem satis unanimiter intellexerunt, *taedet animam meam vitae meae*, idque omnino significare recte potest, si ut Niphal verbi קוט mutatis vocalibus נָקֹטָה efferas, eosque in versione germanica sequutus sum, jam prope dubitare incipiens, cum videam, nullum codicem verbum cum Vau scriptum נקוטה habere, et ipsum נקט aptissimam loco offerre significationem.

1640. נְקָמָה , נָקָם.

Nota et vera ulciscendi et vindictae notio: sed est ubi ea non satis bene locum tuetur, certe si Hebraica aliis exprimere linguis velis. Sciendum ergo, verbum apud Arabes paulo etiam latius patere, atque omnino ab eorum lexicographis نَقِمَ verti, *iratus fuit*. Lexicographos, Geuharium et alios cito, quod ipse hac significatione legere non memini, certe non adnotavi, illi nulla exempla addiderunt: penes illos fides sit. Vera si dixerunt, hinc interpretaberis Ps. VIII, 3. ubi Deus puerorum ex ore ad silentium redigere dicitur, אויב ומתנקם, *hostem et iratum*, i. e. hostem iratum, *vindictae* enim *cupidus* vix deo quisquam: itemque Thren. III, 60. ראיתה כל נקמתם *vidisti omnem iram illorum*, seu, ut Vulgata, usitatum sibi ponens vocabulum, vertit, *vidisti omnem furorem illorum*. Liceat aliqua dubitanter dicere, ubi certis usus Arabici exemplis destitutus lexicis credere necesse habeo, quae aliqui, Schultensius, modo literis Arabicis describerentur, pro certis argumentis adferre non dedignati sunt.

1641. נקע Ezech. XXIII, 17. 18. *explevit sitim, satiatus est.*

Ter in his, quos dixi, versibus occurrit, semel נָקְעָה scriptum, ut ad radicem referri aliam vix possit, bis וַתֵּקַע, sed quod potius וַתִּקַּע punctan-

ctandum erat. Ex conjectura explicant, *abstraxit se*, vel, *avulsus est*, qua significatione linguae Orientales non habent. Potius نقع Arabibus, *sedavit*, seu, *restinxit sitim*, in quarta etiam ad rem Veneream translatum, *vitiavit* puellam, proprie, *sitim explevit*. Sic et in Ezechiele accipio, ita tamen, ut per constructionem cum מ et מעל, *satietatem cum taedio conjunctam* denotet: v. 17. ותקע נפשה מהם *satiata est anima ejus illis*, v. 18. ותקע נפשי מעליה כאשר נקעה נפשי מעל אחותה *satiata cum taedio recessit anima mea ab illa, ut antea a sorore ejus*. Praeivit adeo derivationem in versu 17. Vulgata, *saturata est anima ejus ab illis*, in versu 18 solam sententiam exprimens: *recessit anima mea ab illa, sicut recesserat anima mea a sorore ejus*.

1642. נָקַף.

Duplicem aut triplicem verbum significationem habet,

1) *gravi ictu diffringendi*, in meliora lexica receptam, quam, Hebraicae cum plerisque linguis Orientalibus communem, egregie illustravit Schultensius Originum lib. I. c. 12. non a me compilandus, sed ipse ab omnibus, qui his meis utuntur, perlegendus.

2) Minus vehemente significatione habent et Arabes, نَقِيف *exesus a teredine caudex*, atque ad alia quoque, *perforata*, aut *foraminum plena* transferunt, ut أنقف *multis ovis vallem implevit locusta*, proprie, perforavit, in foraminibus ova deponens, نُقْفَة *scrobs, locus paulum depressus*. Forte *exedere*, *erodere*, et Hebraicum significat Job. XIX, 26. sed ne idem bis dicam, servo hoc totum sequenti נִקְפָּה.

3) Est et, *in orbem ire*, *circumdare*, quam significationem a verbo duas literas easdem habente, קוף, mutuari videtur. Huc retulerim frequentissimum Hebraeis הִקִּיף *circumdedit*, non, ut alii faciunt, ad יקף: cum, quod יקף hac significatione, ut jam num. 1047. monitum, non habent reliqui Orientales, tum quod Jod primae radicalis, in secunda quidem radicali sibilante, non in aliis, per Dages compensari solet. Estne נקף *in orbem iit*, cognatum cum Syriaco ܢܩܦ *adhaesit*, *cohaesit*, quod circuli omnia cohaerent? Interrogo: non sententiam promo. Caeterum haud paucis locis, quibus verbo הִקִּיף primam, *percutiendi*, confringendi significationem viri etiam doctissimi dederunt, hanc *circumdandi* arbitror aptiorem, ut Ps. XXII, 17. ubi eam LXX. Syr. Vulg. Hiero-

nymus praeiverunt; Jes. XV, 8. כי הקיפה *circuit clamor per omnes terminos Moabitidis.* Ita et hic Vulg. et Syrus: συνῆψε, *cohaeret*, i. e. *continuus est per omnes terminos*, LXX, quorum versionem hanc ob caussam enoto, quod Syriaca notione, ܢܩܦ *cohaesit*, verbum accepisse videntur.

Ex hac notione et explico Jes. XXIX, 1. חגים ינקפו *festa in orbem eant:* descriptio est anni integri adhuc decurrentis, cujus festa orbe se suo consequentur, et quo finito ea implebuntur, quae propheta praedicit. In consveta versione, *victimas percutiant* i. e. *caedant*, quid mihi suspectum sit, pag. 670. sub חג dixi.

1643. נִקְפָּה Jes. III, 24. Job. XIX, 26. *exesio, ulcus.*

Jes. III, 24. loco cinguli futura dicitur, נקפה, ut mihi videtur, *excesio, ulcus*, sive a secunda verbi significatione, sive a *vulnere, plaga.* Sic jam Thalmudici, Buxtorfio p. 1393. lexici monente, in tractatu Schabbath, *quo loco accinctae fuerant cingulo pulcro*, נעשׂה נקפים נקפים *fient plagae, plagae*, vel etiam, *fossulae, fossulae.* Sententia: eo loco ubi antea vestis elegantiore cingulo constringebatur, jam ulcera erunt et vulnera, ab asperiore, ni fallor, loro, quo cinguli loco cingentur. Plane praeivit Chaldaeus, רשמין דמחא *vestigia plagae*, i. e. ulcera et cicatrices, habens. Reliqui, LXX, Vulgata, Syrus, *lora* vertunt, sive ad sensum, idem mecum sentientes, sive a Syriaco ܢܩܦ *cohaesit*, dicta lora putantes. — — Coccejus, *panni*, ex conjectura. Vitringa, *districtio*, nempe quod Coccejus verbum, ex conjectura, nullo linguarum usu, *destringere* atque adeo *excoriare* verterat. Schultensius, Orig. l. I. c. XII. §. 5. *capitis comminutio cum cerebri dispersione*, parum verisimiliter: zonae enim quis opponat cerebri dispersionem? aut huic, quae cerebri elisionem experta erat, quis calvitiem adhuc, et tumores, et saccum, minetur?

Eodem et refero, ex alia sive literarum lectione sive vocalium, quod nunc Job. XIX, 26. sic scriptum habemus, וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ זֹאת. Hanc consvetam lectionem si sequaris, vertendum, *et post cutem meam erodent* (vermes) *hanc*, verbo נקף in secunda verbi significatione sumto: qua tamen in lectione quid displiceat, exposui in bibliothecae Or. prioris Tomo VIII. p. 136. 137. nempe, quod non paret, quo femininum זאת HANC, referri queat. In mentem venit, hoc dubium exiri posse, si זאת ex usu Arabum, ut illorum ذات, ذات الصدور, pro substantia,

tia, vel essentia, i. e. pro corpore acceperis, ac verti: *post cutem meam erodent substantiam meam;* dum vivo cutem meam erodunt ulcera ac vermes, post mortem corpus ipsum depascent: atque jam, haec dum scribo, adblandiri incipit indicta hucusque sententia. Varietatem tamen lectionis aliquam, נִקְּפָה vel, נקפתי, cum ex versionibus antiquis eruerem, nec viderem quomodo consvetae consuli lectioni posset, nomen נִקְפָּה huc quoque transtuli, atque mutatis vocalibus וְאַחַר עוֹרִי נִקְפָּה זאת verti, *alia erit cutis mea, haec* (leprae) *exulceratio.* Bona et liquida sententia, copiosius disputata in biblioth. Or. T. VIII. p. 184–189. sed qua jam careri posse video, modo זאת *corpus ipsum* explices. Est tamen filo orationis aptior, quam ea cujus nuper mihi in mentem venit.

1644. נקיק Jes. VII, 14. Jerem. XIII, 4. XVI, 16.

Nomen, soli linguae Hebraicae peculiare, nec quidquam lucis ex sororiis dialectis accipiens. Ubique cum סלע construitur, atque vix dubium, quin נקיקי סלעים, ut interpretari lexicographi solent, *fissurae* sint *petrarum*, at haec non significatio modo, sed et etymon, linguis reliquis periit: quidquid illae sub. נקנק, קק, קוק, קיק habent, est ὀνοματοποιητικόν, a sono, Kak, vel Kik ductum, jamque ad sonum galli, gallinae, anseris, corvi, ranae adeo et felis pertinet.

1645. נקר, 1 Sam. XXVIII, 10.

Ne quem impediat יִקָּרְךָ 1 Sam. XXVIII, 10. quod vix potest ad נקר *perforavit*, *excavavit*, referri, monere liceat, Dages in ק esse vitiosum, residuum ex Dages neutro multorum codicum medii aevi, frequentissime in litera ק occurrente, de quo egi in bibliotheca Orientali priore T. IV. p. 228–235. Codices si consulantur, in multis non repertum iri confido.

1646. נקש, *pulsare*, *mallears*, *fabricare* &c. item, *retia tendere*, *illaquenre.*

Duplex verbi vis est, utraque in meliora lexica admissa, 1) *pulsandi*, *malleandi*, *fabricandi*, *pingendi* etiam, de qua plura sub nomine sequente dabo 2) *retia tendendi*, *illaqueandi:* quae notiones cum nulla teneantur cognatione, prima videtur verbo propria fuisse, altera ex cognato verbo יקש adscititia. Ad נקש *retia tetendit*, *illaqueavit*, mutatis vocalibus et Jes. XXIX, 21. לַמּוֹכִיחַ בַּשַּׁעַר יְקֹשׁוּן, (vel ut alii habent יְקֹשׁוּן) refero, *arguenti in porta laqueos tendunt.* Rabula, legum ca-

lum-

lumniis utens, atque eloquenter mentiens, tanquam retia tendit judici, quibus illum capiat. Praeiverunt LXX, πρόσκομμα θήσουσι, Chaldaeus בְּעַן לֵהּ תַּקְלָא, Syrus ܣܡܘ ܠܗ ܬܘܩܠܬܐ, Vulg. *ſupplantabant.*

1647. מִקְשָׁה, ſeu potius מְקֻשָּׁה *opus malleatum, crines artificioſe calamiſtrati.*

Undecies occurrit, his punctis, quae mihi dubia, ſubjectis מִקְשָׁה, de cherubis ſanctuarii, Exod. XXV, 18. XXXVII, 7. de candelabro aureo Exod XXV, 31. 39. XXXVII, 17 (bis) 22. Num. VIII, 4. de tubis argenteis Num. X, 2. de ornatu aliquo capitis muliebri Jeſ. III, 24. denique de idolo, Jerem. X, 5. His ſumtis punctis vix aliter explicari poteſt, quam, *opus ſolidum*, concavo oppoſitum: quae verſio vereor ut Cherubis atque adeo ipſi candelabro ſatis conveniat: me quidem primus de ea dubium fecit locus Jeſ. III, 24. quod enim ibi habebam, *ornatus ex auro ſolido capiti impoſitus*, praeeuntibus LXX ἀντὶ τοῦ κόσμου τῆς κεφαλῆς σου τοῦ χρυσίου, diſplicere incipit: primo, quod qualis ille ex ſolido auro fuerit ornatus muliebris, non conſtat, deinde, quod *auri* nomen in Hebraicis non legitur, ſed ex ſola ſuppletur conjectura, denique quod non ſatis apta oppoſitio ſolidum inter aurum et calvitiem, nam et calvo capiti aureae ſive laminae ſive coronae imponi poſſent.

Sed quod me plane permovit ad abdicandam hanc ſententiam, ſatis conſtans eſt et veriſimillima hujus loci explicatio de crinibus crispatis et calamiſtratis, a Chaldaeo, Syro et Hieronymo, Orientis peritiſſimis, prodita. Chaldaeus quidem, חֲלָף אַקְפּוּת פַּתָּא *loco cincinnorum in latere capitis* (Seitenlocken) Syrus, ܚܠܦ ܨܒܬ ܩܘܨܐ (quod male a Gabriele Sionita in Polyglottis verſum, idem puto cum בְּלוֹרִיתָא *coma, caeſaries*) Hieronymusque, a ſuo edoctus magiſtro, cum in ſua verſione tum in Vulgata, *pro criſpanti crine.* Tam apta capitis calamiſtrati et calvi oppoſitio, ut hac audita ſententia vix alia poſſit placere.

Accedebat, quod in Moſe etiam מִקְשָׁה olim interpretari ſolebant, *tortile opus*, *fabrefactum* ex auro: nec quantum memini quisquam veterum (*) *ſolidum* vertit, ſolo excepto loco Num. VIII, 4. ubi LXX στερεὰ, χρυσῆ. At reliquis Pentateuchi locis

LXX

(*) Monuerint me forte lectores, Arabem Polyglottum vertere ſolere مُصْمَتٌ quod in Golii lexico reddatur, *ſolidum.* Hujus vero interpretis

LXX χρυσοτόρευτον, vel τορευτὸν (tornatile) aut ἐλατὸν, *ductile.*
Vulg. *ductile*, vel, *perductile.*
Onkelos נגיד, *ductile.*
Samaritanus, מנגד *ductile.*
Syrus, ܕܡܬܢܣܟܐ *fusile.*

Symmachus, Jerem. X, 5. in Hexaplis Syriacis, ܢܓܝܕ̈ܐ *ductilia.*

Haec quidem *tornato*, *crispato*, *artefacto* ita conveniunt, ut vel Jesaiam de artificiosa formatione crinis accipi posse suspiceris.

Sunt autem omnia obscura, מִקְשֶׁה ad radicem קָשָׁה relato. Fuerunt, fateor, et Rabbini et Christiani, qui inde calamistratos crines, et fusiles imagines arcesserent, antiquitus traditae significationis quam etymologiae peritiores. En quid tentarint: *difficile opus*, a Rabbinico קשה *difficilis: solidi crines*, pro calamistratis: *crispati crines*, q. d. *duri*, vel *rigidi*, quod rigidi crines crispentur, flaccidi pendeant &c. &c.

Verum omnia expedita, modo puncta masorethica deserere ausi, et מִקְּשָׁה cum Dages scribentes, ad radicem נקש referamus, cujus vis est in *fingendo*, *caelando*, *laqueando*. Praeivit jam quodammodo Raschi ad Exod. XXV, 31. rationem redditurus, cur Onkelos נגיד, *ductile*, interpretatus sit, nempe *quod aurifaber diducat membra laminae* בְּהַקָּשַׁת הקורנס *percussione mallei*, *verbumque idem significare*, *quod Gallicum*, *battre*, *ut cum Daniel scribat*, (c. V, 6.) דא לדא נקשן.

נקש Chaldaeis est, *pulsare*, idemque et Syris significat, unde et *campanam* ܢܳܩܽܘܫܳܐ dicunt, et, ܢܩܫ ܢܩܘܫܐ *insonuit* (proprie, *percussit*) *campanam*. (Chrestom. p. 108.) Hinc et transfertur ad metallorum malleationem, qua figuras varias induunt, quin ad omnem caelaturam, atque adeo a caelatura ad picturam. Golius, نَقَشَ *pinxit*, *vel figuris tantum*, (haec nempe est prima et propria significatio) *vel etiam coloribus: variegavit*, *et ita elaboravit aliquid*, *sculpsit*, *scalpsit*, *caelavit*. Hinc مُنَقَّاشٌ vel مُنَقَّشٌ, nostro simillimum nomen, *caelatus*.

Jam

tis rationem habere non existimandus sum, ubi de veteribus loquor, est enim Saadias, seculi decimi Judaeus. Ac ne quidem certum, Arabicum quod proprie, *mutum*, significat, pro solido hic poni: صامت alias simpliciter *aureum*, vel *argenteum*. Hunc ergo recentiorem interpretem eo usque demamus, donec constet, quid verterit.

Jam nisi fallor, perspicua ubique erit Hebraici מִקְשָׁה significatio. In Pentateucho semper est *opus malleatum ex metallo*, aut, si mavis ita dicere, *ductile, fabricatum.* Jerem. X, 5. eadem significatio locum habet, modo contra accentus sic verba distinguas: v. 4. — — — *non vacillat, ut palma. Imago fictilis sunt, non loquuntur &c.*

Jesaiae autem tertio capite translatum videtur nomen ad crinis formationem, eam, quae non malleo quidem, sed calamistro perficitur, suasque crinibus induit figuras cui calamistrato crini egregie opponitur calvities. Posses forte hos crinium flexus et ad נקש *laqueare, illaqueare* referre; sed sufficit, utcunque loco male hucusque tractato consului.

Codices autem inspici et interrogari velim, nulline מִקְּשָׁה cum *Kuph Dagessato* habeant. Vix crediderim, Raschium ea quae supra excerpsi, et multa alia, scripturum fuisse, si in omnibus ejus temporis codicibus ק sine Dages fuisset, quod derivatio a נקש manifeste supponit.

1648. נִרְגָּן *susurro* Prov. XVI, 28. XXVI, 20.

Referunt alii ad radicem רגן, ego mallem ad נרג. Arabibus نَيْرَجٌ *susurro*, et نَيْرَجَةٌ *sycophantia.*

1649. מַשָּׂא, מַשְׂאוֹת Habac. I, 3. Malach. II, 3.

Efferendi, elevandi, portandi, proferendi (verba) significationes notae, et certae: ex his tamen non satis lucet Habac. I, 3. ויהי ריב ומדון יִשָּׂא, in quo quid tentaverint interpretes enarrare, longum: praestat aliquid novae ex Arabia opis adferre. نَشَأَ *extulit, elata fuit* nubes, inter alia intransitive significat, *crevit*, indeque et, *provenit, adolevit*, quas significationes a Golio jam proditas, exemplis in lexico Arabico Castellus confirmavit, quibus addere liceat, Rom. V, 3. الحُزْنُ يُنْشِئُ صَبْرًا pro Graecis, θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται, Ephes. II, 21. αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον, يَنْشُو هيكلا قديسا, *crescit*, altius attollitur, *in templum sanctum.* Hebraica jam Habacuci verterim, *sunt lites, et crescit contentio*, aliae ex aliis litibus lites, ex bellis bella feruntur.

Nec expeditius ex consveta verbi significatione Malach. II, 3. ונשׂא אתכם אליו. Vertere solent: *spargam fimum in faciem vestram, fimum sacrificiorum vestrorum, et auferet vos* (fimus) *ad se.* Haec cui proben-

bentur? Hic equidem, praefatus, quod infra suo loco docebitur, פרש non fimum solum esse, sed ventriculum (ἤνυστρον) ונשא אתכם in unam vocem contraxerim, וּנְשָׂאֲתְכֶם, idque verterim *et oblationem vestram*, totum versum: *projiciam ventriculum* (sacrificiorum) *in faciem vestram, ventriculum festorum vestrorum, et oblationes vestras.* נשואות Jes. XLVI, 1. 3. sunt portata, hic sensu sacrificiali, *portata ad deum, oblata deo.* Sic multi שְׂאֵת Genes. XLIX, 3. sensu sacrificiali de oblatione intellexerunt. Hoc equidem in versione Germanica Malachiae sequutus sum. Possit tamen et alia aptari conjunctis ita literis נשאתכם interpretatio, filo orationis egregie apta, de qua tunc non cogitavi. نساء est inter alia, *pinguescere*, نَسْأَةٌ *obesitas, pinguedo:* possis ergo, his jam substratis vocalibus, נְשַׂאֲתְכֶם, *pinguedinem, adipem* vertere, perquam concinne, *projiciam ventriculum* (sacrificiorum vestrorum) *in faciem vestram, et adipes vestros:* ex sacrificiis ἤνυστρον sacerdotis portio erat, adeps deo offerebatur, inque altari incendebatur.

1650, נָשִׂיא *princeps, rex.*

נשיא, quod *principem* recte vertere solent lexica, saepe etiam de ipso *rege* ponitur, fere ut Gallicum, *le Prince*, Germanicum, *der Fürst.* Perquam frequens hoc in Ezechiele, quem vide, c. XII, 10. XIX, 1. XXI, 17. 30. XXVIII, 1. XXX, 13. XXXIV, 24. XXXVII, 25. XXXVIII, 2. 3. XXXIX, 1. XLIV, 3. XLV, 7. 8. 9. 16. 17. 22. XLVI, 2. 4. 8. 10. 12. 16. 17. 18. XLVIII, 21. 22. Memini quoque in aliis libris, maxime historicis, me legere, sed ex illis exempla non enotavi. Vide supra de נגיד dicta.

1651. שִׂיא *nebula, nubes* Job. XX, 6.

Vertunt plerique שִׂיאוֹ *elatio ejus*, praeeuntibus jam, Chaldaeo, זוֹקְפֵיהּ, Syro ܪܘܡܗ, Vulg. *superbia ejus.* Est certe filo orationis non ineptum: praeplacet tamen שיא idem hic esse, quod alias נְשִׂיאִים, *nubes, nebulas.* Verto, *ad coelum si adscendat nebula ejus*, cui in sequente versu respondet apodosis, *ut stipula in nubes a vento abrepta disperibit.* Vide n. 371. גלל. — — Ad נָשָׂא quatenus de donis oblatis ponitur, retulerunt, ac *dona* verterunt LXX, ἐὰν ἀναβῇ εἰς οὐρανὸν αὐτοῦ τὰ δῶρα, ἡ δὲ θυσία αὐτοῦ νεφῶν ἅψηται, parum verisimiliter: haud reliquae

Sophari orationi concinit, acceptum Deo adque coelum adscendens impii sacrificium, nec רֹאשׁ uspiam, ut illi in sequente membro verterunt, θυσία.

1652. שְׂאֵת Genes. XLIX, 3.

Quid sit יֶתֶר שְׂאֵת Genes. XLIX, 3. de eo valde dissident interpretes. Mihi quidem, *elatio*, *honor*, *dignitas* esse videtur, a נשׂא *extulit*, *elevavit*, idem quod עֹז *gloria*, in sequente membro: *praecipuus dignitate*, *praecipuus gloria*. Praeiverunt ex veteribus, Arabs Polygl. مُفَضَّل في الشَّرَف *excellens nobilitate*, Samaritanusque Durelli posterior, et Hwiidii, *excellens* الرفعة *celsitudine*. At aliter,

1) ad portandi significatum referentes, ipsi tamen inter se discordes, LXX. σκληρὸς φέρεσθαι, *difficilis portatu*, i. e. *intolerabilis*, Syrus, *reliquum portationis*, Arabs Erpen. فضل حمل *praecipuus onere*, *et praecipuus viribus*.

2) Ab *offerendo*, Vulgata interpretata est, *prior in donis*, dona, ut videtur, Deo oblata intelligens, ut deberi sacerdotium Rubeno dicatur. Sic quidem et Raschi, בכהנה *in sacerdotio*, interpretatur.

3) Idem cum מַשָּׂא, *oraculum*, esse censuit Samaritanus יתיר תלי, *praestans oraculo*: i. e. cui sacra oracula, sacerdotium, Urim et Thummim debentur.

Alter locus paulo difficilior, ac forte plerisque non intellectus, Hab. I, 7. ממנו משפטו ושאתו יצא. Hic mihi hoc ipsum, quod vixdum memoraveram, *oraculum* praeplacet: *ab ipso jus ejus*, *et oraculum ejus exit*, i. e. *ipse sibi suum jus*, *et sua de bellorum eventu oracula facit*. Praeiverunt, Graeci λῆμμα vertentes, Vulgata, *onus*, quibus nominibus alias pro Hebraico מַשָּׂא, *oraculum*, uti solent, itemque Syrus, ܚܙܘܐ *visio*. — Ad *verba proferendi* notionem et refert Chaldaeus, sed aliter intellexit, non oraculum, sed, *sententiam judicis* גְּזֵרָא *decretum*, vertens.

Recentiores, Kimchium sequuti, *elationem*, *honorem* interpretari solent, quod tamen conjuncto, *ab ipso jus ipsius exit*, non aeque aptum: nec placet phrasis, *elatio ejus ab ipso exit*. Exeundi verbum aut oraculum, aut sententiam a judice prolatam poscere videtur.

1653.

1553. מַשָּׂא *effatum*, *oraculum*.

Jam dudum monuit Coccejus, non esse vertendum, *onus*, quem significatum vocabulo per lusum et jocum dederant Judaei, Jerem. XXIII, 30–40. sed *prolatio*, i. e. *effatum* Jehovae, *oraculum*, a נשא *proferre*, *eloqui* Exod. XX, 7. XXIII, 1. Habac. II, 6. Job. XXXVII, 1. Mirum, post veram dictam sententiam, et vero in lexico, quod plerique sequi, atque ex eo haurire ignota solebant, tamen in hunc usque diem, notionem *oneris*, *vaticinii gravis*, *molesti*, *adversa portendentis*, non paucos, ex doctioribus etiam, recipere, quorum nomina subticere malim: maxime cum מַשָּׂא etiam ponatur, ubi nihil molesti aut adversi portenditur, ut Proverb. XXXI, 1. ubi de doctrina ponitur, quam filius a matre accepit benevolentissimam, Thren. II, 14. ubi blanda et fallacia pseudoprophetarum vaticinia sunt מַשְׂאוֹת שָׁוְא, Zachar. XII, 1. ubi laeta portenduntur.

Ortus error, et tralatitius, ex Vulgata, alibi egregia, quae ONUS reddere solet, culpa Hieronymi. Ἆρμα perquam etymologicus reddere Aquila solebat, ab αἴρω *tollo*, incertum, utrum hic de *onere*, an de *prolato sermone*, *elata voce*, cogitans, ut in ejusmodi etymologicis interpretibus incerta multa et obscura. Sed de *onere* accepit Hieronymus. In praefatione ille, commentario in Nachumum praemissa: *Assumtio, quam LXX interpretantur λῆμμα, et Aquila* ΑΡΜΑ *interpretatus est, apud Hebraeos MASSA ponitur, i. e. grave onus, eo quod eam, adversus quam videtur, premat, nec sinat elevare cervicem.* Idem in praefatione ad explicationem Habacuci: *ubi septuaginta translatores, et Symmachus, et Theodotio, λῆμμα, id est, adsumtionem, interpretati sunt, in Hebraeo ponitur MASSA, quod Aquila vertit, pondus*: (idne Aquila voluerit, dubium esse dixi; sed Aquilae vel male intellecto, fidebat Hieronymus:) *super quo in Naum propheta plenius disputavimus. MASSA autem nunquam praefertur in titulo, nisi cum grave, et ponderis laborisque plenum est, quod videtur. Unde necesse erat, praesentem prophetiam aliquid habere austeritatis: ut sicut in Naum, pondus, quod videbatur adversus Niniven Assyriorum urbem, grave erat, ita ut in hoc quaeratur cui pondus sit, quod prophetae revelatur adspectui.* (Nempe, ambigebat, quod fausta Habacucus et laeta populo Dei praenuntiat, sola hostibus Chaldaeis, infausta.) Mirum, unius scriptoris errorem tam late vulgari apud interpretes potuisse, eos etiam, qui Vulgatae ne justum quidem pretium statuere solent.

LXX, Symmachus, Theodotion, λῆμμα vertere ſolent, i. e. *vaticinium*, ſed ab accipiendo, quod ipſum נשא ſignificare poteſt, dictum, *acceptum a deo.* Sententia eadem ſed etymon aliud. Dubitari poſſet, niſi vindicias pro priore interpretatione, *prolationis*, *effati*, daret locus inſignis, 2 Reg. IX, 25. יהוה נשא עליו את המשא הזה, *Jehova protulit contra illum effatum hoc.*

1654. מַשְׂאֵת Jerem. VI, 1. *vexillum?* an, *pix ardens?*

Elevate שאו משאת legens, dubitare non poteris, quin מַשְׂאֵת ſit aliquid, quod elevetur aut attollatur, ſignum, ſive fugae, ſive conventus ad arma capienda, ſignum, quo de hoſtis adventu omnes moneantur. Errare ergo non potuerunt, qui generali vocabulo uſi ſunt, LXX, σημεῖον, Syr. ܐܬܐ Chald. סמותא. Quale autem ſignum? in hoc diverſos video veteres. Vulgata, *vexillum* habet, et moribus gentium, et uſu Arabico concinente, eſt enim مُنْشَأْ vexillum erectum: Aquila in Hexaplis, ܢܘܪܐ ܙܦܬܐ, *flammam, picem ardentem*, quae ipſa ex malo in montibus oſtenſa ſignum coitus ad arma. Hinc conferre poſſis, משאת עשן elevationem fumi, Jud. XX, 38. Ambigens inter utrumque, prius tamen praefero.

1655. נשא *acrius exegit debitum*, *foenus ſumſit.*

De ſevero debiti exactore, ac foeneratore, qui uſuras exigit, ponitur נשא et נשה: utroque enim modo ſcribitur, ſed videtur ille, per Aleph, adcuratior eſſe, cum Arabes نَسَأَ *credidit* pecuniam, per Hamza ſcribant. Arabibus quidem videtur lenius verbum eſſe, quod Hebraeis acerbius, eſt enim illis, نسأ *diſtulit*, *tardavit*, *credidit rem venditam poſtea ſolvendam*, in decima, *rogavit ſolvendi moram*, نَسْأَة *dilatio debiti*, *debitum ipſum.* Hocne inde, quod qui pauperibus et amicis credit, in breve tempus credit, qui in longum, is lucri id cauſſa facere ſolet, foenus ſumere, et creditum ſeverius exigere? An, ut ſaepe fit apud Arabes, duo verba in unum concurrunt, contrarias inde ſignificationes habere viſa? 1) נשה, نسي *oblivíſci*, ut is, qui diu credit, moramque creditori concedit, oblivíſci videatur. 2) نسأ ex propria ſignificatione, *propulit*, *impulit.* Sic ſeverus exactor Hebraeis ab impellendo dictus.

Ad

Ad hanc radicem et refero, mutatis punctis, Hos. I, 6. *non porro miserebor domus Israelis*, כי נשא אשא להם *sed severus illis exactor ero.* Per Sin scriptum נשא אשא quomodo explicari soleat novi, sed explicationum nulla mihi probabilis, eas enarrare singulas ac refellere, non hujus loci. Est et hic explicanda codicis decimi octavi Kennicottiani, sed unius, lectio Job. XXVII, 8. כי ישה אלוה נפשו, *cum ut debitum exigit Deus vitam ejus.* Talis phrasis, ut Ps. LV, 16. ישיא מות עלימו *exactorem constituat mortem super illos.* Debemur morti nos nostraque, atque et nos Germani dicimus, *debitum naturae exsolvere*, pro mori.

Utroque modo נשא et נשה scribi jam supra dictum. נשא per Aleph invenies 1 Sam. XXII, 2. (aliqua lectionis varietate) Ps. LXXXIX, 23. Neh. V, 7. atque ad hanc scriptionem sine dubio pertinet nomen, משאת Deut. XXIV, 10. (unico modo codice Aleph omittente, habente illud textu Samaritano, idque et in verbo, כי השא משאת) et, nulla lectionis varietate, Prov. XXII, 26. משאות *credita.* Utroque modo scriptum formatumque verbum in eodem versu concurrit, Jes. XXIV, 2. כנשה כאשר נשא בו, sed magna lectionis varietate.

1656. השיא *decepit.*

Significatio verbi in Hiphil certa, sed unde ducta id non liquet, utrum a نَشَأَ *crevit*, in quarta أَنْشَأَ *confinxit*, an a נשה, *oblitus est*, permutatione literarum א et ה, *oblivisci fecit.* Sic Syris ܢܫܝܐ *error*, a ܢܫܐ *oblitus est.* Hoc verisimilius.

1657. השאת *decipula.* Thren. III, 47.

Ad השיא *decepit*, retulit jam Coccejus *deceptiones* vertens, sed ipsum nomen sine He, שאת scribens. Mihi quidem, ab hoc si verbo est, et He pars nominis esse videtur ex Hiphil formati, servata conjugationis litera characteristica, nec generatim deceptiones, sed *decipulam*, i. e. *laqueum occultatum* verterim. Sic eadem imago quae Jes. XXIV, 17. 18. instituitur, ubi פחד ופחת ופח, *formido, fovea, et laqueus*, componuntur, ut formidinem qui fugit, in foveam incidat, ex ea qui ascendere vult, laqueo capiatur. His jam confer nostra, פחד ופחת היה לנו השאת והשבר, *formido et fovea fuit nobis, decipula, et fractio*: vides pro laqueo hic השאת esse.

Alii

Alii per Sin, הַשָּׂאת legerunt, LXX. Vulg. biblia Nisselii, quod ipsum egregiam fundit sententiam, sed aliam: *elevatio*, et *fractio*. Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant. Utrum praestet difficile dictu: in bibliotheca Or. T. XIX. p. 136 lectionem per Sin praetuleram: sed nondum in mentem venerat הַשָּׁאת *decipulae*.

1658. כשב Job. XV, 13. XX, 2. Genes. XV, 11. XLIX, 25.

Flandi, spirandique significatio, quam lexica verbo dant, certa mihi et indubia: Jes. XL, 7. Ps. CXLVII, 18. ei probandae suffecerint. Habent non Chaldaei solum, quorum auctoritas dubia, sed et Syri. Est ὀνοματοποιητικὸν a sono naturali flatus praemissa litera N ductum, qualia כשף, כשם, sed omnia usu linguarum in alias deinde significationes abeuntia. Est et ubi mutatis punctis hoc verbum agnosco, lexicis indictum: Job. XV, 13. כִּי תָשִׁיב ubi mallem, כִּי תַּשִּׁיב אֶל אֵל רוּחֶךָ, *quod spirare facis contra Deum halitum tuum*, i. e. deo irasceris, contraque illum spiras. Jam olim ibi Syrus, ܡܬܪܝܡܬ ܥܠ ܐܠܗܐ ܪܘܚܟ ܐܘ *extollis contra deum spiritum tuum*, Vulgata, *tumet contra deum spiritus tuus*, LXX θυμὸν ἔῤῥηξας. Hi omnes aut omnino conjecerunt, aut aliter legerunt (תִּשָּׂא), aut a partibus meae stant interpretationis, licet paraphrastae. Solus punctis concinit Chaldaeus.

Job. XX, 2. יְשִׁיבוּנִי plerique vertunt, *respondere me faciunt*, in quo molestum, quod, הֵשִׁיב דָּבָר *redire fecit verbum*, est, *respondit*, nunquam, *respondere fecit*. Ergo Schultensius mallet, *cogitationes meae aestuare me faciunt*, hanc tamen verbi שוב significationem, *aestuare*, ignotam linguis Orientalibus, conjecisse potius quam probasse videtur. Licetne aliam, mutatis vocalibus, lectorum permittere judicio explicationem, יַשִּׁיבוּנִי *praecordia mea* (vide infra שעפים) *irasci* (proprie, *spirare*) *me faciunt*.

Alia verbi significatio, Arabibus frequens, duobus Genes. XLIX, 24. XV, 11. locis aptior consveta explicatione videtur. نشب est, Golio interprete, *haesit, adhaesit tenacius, infixus fuit*, sec. conj. *infixit*: quibus addendum, de jaculis telisque poni, quae adhaerent et infiguntur. Exod. XIX, 13. יָרֹה יִיָּרֶה *jaculando transfigetur*, sine dubio de telis aut jaculis positum, uterque Arabs vertit, ينشب فيه نشابا: 2 Sam. XVIII, 14. *sumsit tres hastas*, ויתקעם בלב אבשלום *infixitque eas in cor Absalomi*

lomi, Arabice, رمي بها ابشالوم وَنَشَّبَهَا في قلبه *jaculatus est illis Absolomum, infixitque cordi ejus.* Act. XXIII, 23. δεξιοβόλους (sic enim cum codice Alexandrino legisse videtur) *jaculatores*, Arabs Polygl. نَاشِبًا reddidit. Hinc نُشَّابَة plur. نُشَّاب *sagitta*, (vide exempla apud Castellum, et adde ex Abulfedae Aegypto p. 13. لا يبلغ راس احدهما النشّاب *quarum unius verticem sagitta attingere nequit, vel fortissimo arcu jacta:*) نَشَّاب *qui conficit sagittas*, مُنَشَّب *forma sagittarum picta vestis*.

Jam haec transferamus ad Genes. XLIX, 24. Displicent vocales, וַתֵּשֶׁב בְּאֵיתָן קַשְׁתּוֹ, *sedet in vena cordis arcus ejus*: omnia expedita, si וַתַּשֵּׁב efferas, *jaculatur* (proprie, adhaerere facit, infigit tela) *venae cordis arcus ejus*. Genes. XV, 11. *descenderunt volucres rapaces super cadavera* וַיַּשֵּׁב אֹתָם אַבְרָם vertere solent, *flatu abegit eas Abramus*: displicet, primo quod נשב est quidem *flare*, de *abigendi* autem significatione nullo usu exemplove linguarum Orientalium constat; deinde, quod flatu aves rapaces non abigentur. Verterim ergo, *telis jaculatus est vel confixit eas Abramus*. Hunc tamen locum ut dubium pono, mutatis enim vocalibus, וַיֵּשֶׁב אִתָּם esse possit, *consedit juxta illa Abramus*, nempe ut ea ab avibus tueretur: sic LXX συνεκάθισεν αὐτοῖς.

1659. כָּשֶׁה *tendo Achillis* Genes. XXXII, 33.

De גיד supra n. 366. actum ac de כָּשֶׁה hic dictum iri promissum. Scribunt Samaritani codices per Aleph, כשא, sed hoc non curo, est orthographiae vel potius negligentiae in scribendo Samaritanae, literas אהחע confundere solitae. Vocabulo ipsi Arabica lingua certam lucem adfundit, cui نَسًا *nervus* est, *seu tendo, qui per femur et crus ad talos fertur*. Tendinem Achillis (maluisset Hallerus, Hectoris) dicunt. Huic verae explicationi concinunt ex veteribus, qui nomen ipsum retinent, sed memorandi, quod aliqui eorum in latina versione, Polyglottis adjuncta, prave redditi sunt,

Onkelos, גִּידָא דְּנַשְׁיָא (latine in Polyglottis redditur, *nervus, qui emarcuit.*)

Samaritanus, ביד נשאה, (hic quoque male in Polyglottis verſus,) Saadias, غرق النسا, quod in Polyglottis male punctatur, النّسا, et ſtulte redditur, *nervus muliebris:* Jacobi ſcilicet!

Maurus, غرق النسوة, quod nomen idem cum نَسَا ſignificare videtur.

Unde autem nomen habuerit Achillis tendo, non pro certo dixerim, vel potius, nondum adſequor. Num a mulieribus, quod illae eum in concubitu complectantur? De etymologia non laboro obſcura, ſignificatione certa.

1660. נָשַׁךְ *momordit.* Mich. III, 5.

הנשכים בשניהם *mordentes dentibus ſuis*, non videtur hic eſſe, qui alios mordent ac laedunt, ſed, *qui panem et cibum habent quem dentibus conficiant:* promittere enim pacem dicuntur, et his opponuntur, *qui bellum minantur* לאשר לא יתן על פיהם *illi, qui nihil dat ori ipſorum.* Et hoc notandum, mordendi ſignificatu verbum Syris et Arabibus plane periiſſe, ſupereſſe tamen Aethiopibus.

1661. נֶשֶׁךְ *uſura pecuniaria.*

Proprio ſenſu eſt *uſura pecuniaria,* oppoſita illi, quae frumento aliisque naturalibus penditur, תרבית dictae, Levit. XXV, 37: poteſt tamen et latius pro omni uſura poni. Volunt eam, a *mordendo* dictam: non nego, cum tamen proprie ſit pecuniaria, veri haud diſſimiliter contuleris, نَسِيكَةٌ *ſegmentum craſſius auri vel argenti*, نَسِيكٌ *aurum vel argentum,* idque olim tentaveram in diſſertatione de *mente et ratione legis Moſaicae uſuram prohibentis*, §. 6. p. 9. Tomi II. *ſyntagmatis commentationum.* Jam tamen video quid obſtet: aurum et argentum nomen apud Arabes habere a fundendo נסך videtur, ut et idola أَنْسَاك, *fuſa*, vocant, 2 Reg. XVIII, 4. XXIII, 7. 14. 15. ergo nihil ad noſtrum נשך per Schin ſcriptum.

1662. נִשְׁכָּה Nehem. III, 30. XII, 44. XIII, 7.

Idem eſſe quod לִשְׁכָּה, ac *gazophylacium* i. e. in quo ſacratae deo decimae, atque alia ſervabantur, jam ab aliis notatum: addiderim, et *cellas* in atrio templi extructas, in quibus et habitabant templi miniſtri, et epulas celebrabant ſacrificantes, eodem nomine dici. Sic certe poni Neh. III,

III, 30. XIII, 7. videtur. Ab *admordendo atrii spatium* nomen ortum, Coccejus conjecit: quidni potius a sacrando, sive quod sacrae essent hae in templo aediculae, sive quod sacrata ibi adservarentur? نسك est, *sacrificavit*, inque tertia, *ad sacrificium convenit*, Sur. XXII, 66. porro in prima, *dei cultui devotus ac separatus fuit*, idem quod Hebraicum נזר Num. VI, 2. 3. *deum coluit*, pro Hebraico ירא et עבד 2 Reg. XVII, 32. 33. 35. positum, hinc نَسِكٌ, نُسُكٌ et نَاسِكٌ *deo devotus*, (נזיר) Num. VI, 2. 6. Genes. XLIX, 26. Deut. XXXIII, 16. unde et monachos نُسَّاكٌ dicunt: نَسْكٌ et مَنْسَكٌ *frequentatus locus*, nempe, *publicis religionibus*.

Sitne נשכה et לשכה alterum ex altero ortum, non definio, verisimile tamen habetur: tam frequens apud Arabes literarum L et N permutatio, ut proprium aliquod verbum habeant, hoc loquelae vitium denotans.

1663. כשל *excidit, decidit* &c.

Notissimum Hebraeis verbum, cui *exsuendi* generalem significationem dederunt. Non habent Syri Samaritanique, superest Arabibus sub نسل *excidit*, e. g. pluma, pilus, *decidit*, unde et نُسَال *plumas et pilos deciduos* dicere solent: itemque transitive, *abjecit* plumas suas avis. Hoc sciens, Deut. XIX, 5. ונשל הברזל מן העץ non jam artificiose vertes, *cum exsuerit se ferrum a ligno*, sed simpliciter, *cum deciderit ferrum a ligno*, et c. XXVIII, 40. ישׁל זיתך *abjiciet* grossos suos *oliva tua*.

1664. כָּשַׁם *spiravit*.

Indubia significatio, quam et sub כשם Syri ac Samaritani, Arabes sub نسم in conjugatione quinta derivatisque nominibus habent: sciendum tamen, ubi alii verbo spirandi opponitur, proprie esse, *spirare emisso halitu*, ut שׁאף *halitum attrahere*: Jes. XLII, 14. אֶשֹּׁם ואשאף יחד *exspirabo et inspirabo una*, i. e. tam raptim spiritum reciprocabo, ut adducendi et emittendi halitus unum modo momentum esse videatur.

Aliquoties, ubi ex punctis שׂוּם occurrit, his mutatis verbum ad כשׁם referendum, et de ira, vel igne exsufflato accipiendum videtur. Job. XXXVI, 13. languet, חנפים יְשִׂימוּ אף *profani ponunt iram*, mallem יַשִּׁימוּ sive, *spirare faciunt*, sive, *exsufflant atque accendunt iram*: forte

et Pſ. CIX, 5. וַיָּשִׂימוּ עָלַי רָעָה *ſpirant contra me malum*, ubi tamen et receptum וַיָּשִׂימוּ egregie locum tuetur. Hac ſpirandi, et vero minas ſpirandi ſignificatione et Job. XXIII, 6. לֹא יָשֵׂם בִּי acceperunt, ἐν τῇ ἀπειλῇ μοι οὐ χρήσεται, quo de loco quid ipſe ſentiam, ſub שׂוּם reperies.

1665. תִּנְשֶׁמֶת avis impurae nomen, Levit. XI, 18. Deut. XIV, 16.

Nihil me certi de nomine habere ante omnia profiteor, maxime cum in hoc ipſo verſu ita transpoſita ſint veterum interpretum quorundam vocabula, ut ne ſatis quidem mihi conſtet, ſitne תנשמת Graecis Latinisque porphyrio, an cygnus. Ergo ablegandi mihi lectores ad Bocharti Hieroz. P. II. lib. II. c. 23. ubi ſumma ut ſolet eruditionis copia de תנשמת egit: ipſi quidem praeplacet *noctuae* ſpecies, vultque ab obſtupeſcendo dictam, quod noctua viſa obſtupeſcere eamque mirari aliae aves ſoleant. Mihi quidem noctua ſi eſt, a *ſpirando* nomen accepiſſe videtur, lugubres enim ſpiritus halitusque imo pectore ducere quaedam noctuarum ſpecies aliquo anni tempore ſolent; ut vel meminerim pro anhelo halitu hominis, ac vero a ſuperſtitioſis, mortui, ſpectri gementis, haberi.

Caeterum non poſſum animo eximere ſuſpicionem, jam ante hos viginti ſex annos publice expoſitam (*), תנשמת avem eſſe, qua in cibis frequentiſſime utuntur Judaei, anſerem. In avem aquaticam plures veterum conſentiunt, אותיא, quo nomine Chaldaei ſequiores in vertendo utuntur, quod otus ſit, (bubonis genus) ex ὠτὸς conjecit Bochartus, non probavit, at vero iidem ejus loco in Deuteronomio קָקָא חוורתא *Cacam albam* poſuerunt, quod pelicanum hi, alii anſerem, a ſono ſic dictum, interpretantur. Vide Buxtorfii lex. Chald. p. 2107. Non ignoro Judaeos anſerem avibus impuris non adnumerare, ſed ejus carne veſci, atque adeo adipe ejus pro butyro in cibis uti: verum nulla illorum traditionibus de ſignificatione vocum Hebraicarum poſt tot ſecula fides, ac multa legi contraria admittunt uſuque quotidiano recepta habent. Ex ſpiritu legis Moſaicae de cibis impuris nullius, ne porci quidem, eſu magis quam anſeris interdicendum erat, perquam inſalubris, ac morbos maxime cutaneos alentis. Sententiae rationes reddidi in jure Moſaico T. IV. §. 203. p. 198–200. et §. 205. p. 214. 215. Anſeri optime a ſpirando

(*) In quaeſtione centeſima, Arabiam juſſu regis Daniae adituris propoſita, pag. 328.

do nomen duci potuerit: *stolida avis*, ubi irascitur, atque adeo suo modo minari vult, collo exporrecto stridulum spirat contra eum, quem hostem putat.

De תכשמו reptili immundo Levit. XI, 30. nihil dico, nihil habens praeter Bochartiana.

1666. כשע ex var. lect. Genes. III, 13.

Pro השיאני unus hic codex Samaritanus, (Peirescianus 1) השיעני habet. Non variam lectionem, sed lapsum unius puto librarii, Samaritanis confusioni literarum אהחע adsvetis: ex sensu tamen quem fundit, bene locum inter varias lectiones tueri posset. نشع est, *punxit*, hinc הנחש השיעני foret, *serpens punxit, vel momordit me*, suum mihi erroris venenum indidit.

1667. נֶשֶׁף Jes. XXI, 4.

נֶשֶׁף חשקי *vespera mihi desideratissima*, nox, quibus Babylone deorum omnium festum celebrabatur, mihi quidem obvium et expeditissimum videtur. At in vocabulo tam facili veteres ita in diversa abeunt, ut de illis dicendum. LXX ἡ ψυχή μου verterunt, nempe נפשי aut legentes aut conjicientes. Vulgata mire: *Babylon dilecta mea*, inque commentario Hieronymus, *pro Babylone, Aquila et Theodotio tenebras interpretati sunt*, ut videri posset בבל legisse. Nec tamen ita legit, sed prave נשף interpretatus est ex c. XIII, 1. ubi scribit: *montem tenebrosum, quod Hebraice dicitur NESEPHE, Babylonem propter superbiam intellige.* Quid spectantes Chaldaeus, *domum confidentiae*, et Syrus, *pulcritudinem delectationis*, verterint, nec adsequor, nec conjicio, malimque doceri ab aliis.

1668. נָשַׁק, *ordinavit, aptavit arma, aciem instruxit, osculatus est.* נֶשֶׁק *arma, acies.*

Significationes verbi hoc equidem ordine digesserim,

1) Prima est eadem, quam habet Arabum نسق, *ordinavit, disposuitque recte*, quod illi de oratione, de rhythmo, de margaritis, de dentibus apte dispositis, deque aliis usurpant, hinc in 5. 6. et 8. conjugatione, *ordine cohaesit res cum alia.* — — Hac prima significatione accipio Genes. XLI, 40. על פיך ישק כל עמי *ad os tuum se ordinabit vel conformabit omnis populus meus.* In rei summa consentiunt ex veteribus, qui, *obediet*, vertunt, LXX. Vulg. Arabs Polygl. forte et propius Samaritanus,

 ver-

verbo פרנס *gubernare*, *res administrare*, usus. — — De reliquis si interroges interpretibus, Chaldaeus יִתְּזַן vertit, non, ut plerumque intelligitur, *aletur populus meus*, quod Hebraicum ישק significare plane non potest, sed *secundum mandatum tuum armabitur populus meus*, (Buxtorf. lex. p. 664.) ad נֶשֶׁק *arma* referens. Syrus, perquam paraphrastice, ex conjectura, *jus accipiet.* — — Aliquos veterum etiam משק Genes. XV, 2. מֶשֶׁק adpellatum, ad ordinandi significatum retulisse, p. 1572. monitum.

2) Ab aptando, seu adplicando, os ori, labia labiis, *osculari* dictum, quae consveta verbi significatio. Aliquid lucis etymologicae accipiet ex constructione Job. XXXI, 27. וַתִּשַּׁק ידי לפי quod vix possis vertere, *si manus mea osculata fuit os meum*; sed, *si manus mea adplicuit se ori meo*, osculum excipiens ad solem projiciendum. — — In Baalis, i. e. Herculis Phoenicum, religionibus, osculum fuisse, et vero, quod mirari possis, mento impressum, pagina 195. 196. monuimus. Est et in regiis honoribus aut adorationibus aliquod, ut ita dicam, osculum homagii, Ps. II, 12. hoc autem vix putem ori impressum, (tali certe magni populi homagio nolles rex esse) sed genubus. Ejusmodi osculo Sanaae Arabiae regem coli vides, chrestomath. Syriacae pag. 36. 37. estque adhuc in Arabia Felice usitatum. Niebuhrius ejusdem Sanae Emiri seu domini supremi genua osculabatur, seu, ut proprie dicam, vestem in genuum loco. Vide ejus Itinerarium T. I. p. 414. Haud ergo placet, quod recentiorum aliqui Genes. XLI, 40. interpretantur, *os tuum osculabitur omnis populus meus.*

3) *Armandi* notio ex eadem, quam primo loco posuimus, fluxit, proprie, *arma sibi aptare*, vel, *recte disponere*: נֹשְׁקֵי קֶשֶׁת וּמָגֵן 1 Paral. XII, 2. 2 Paral. XVII, 17. — — Dubium quodammodo, sitne eodem modo vertendum, נוֹשְׁקֵי רוֹמֵי קֶשֶׁת Ps. LXXVIII, 9? an, ut consvetae constructionis leges svadent, *ordinantes*, i. e. *aciem disponentes arcu jaculantium.* Suspicor et נֶשֶׁק Job. XXXIX, 21. et Ps. CXL, 8. non, ut alias, *arma*, sed *aciem dispositam* esse.

1669. נשק, השיק *ignem accendere.* Pſ. LXXVIII, 21. Jeſ. XLIV, 15. Ezech. XXXIX, 9.

De ſignificatione verbi ſatis liquet, eſſe, הִשִּׂיק *accendit* ignem, נִשַּׂק *accenſus eſt*: de ſolo etymo ac comparatione linguarum ſororiarum ambigi poſſit. Eſtne ergo

1) idem quod נסק *adſcendit*, Pſ. CXXXIX, 5. Syrorum ܢܣܩ? ita ut הִשִּׂיק proprie ſit, *flammam adſcendere fecit?* Veriſimillimum, ſi lingua Syriaca verbum et hac haberet ſignificatione, (ſed ea nos hic deſtituit,) nec aliud ſe offerret ex Arabia etymon.

2) Nempe نشق eſt, *odorari attrahendo per nares odorem*. Eſtne prima vis verbi in ſpirando, et reciprocando halitu? ita ut ſit ignem exſufflare?

Aliquid me etymologici neſcire, dubitare, quaeſtiones proponere, nolint aegre ferre lectores, adſeverantioribus adſveti. Mihi prius veriſimilius.

1670. נֶשֶׁר *aquila? an vultur barbatus Linnei?*

Nomen cum Hebraeis commune habent Syri et Aethiopes, itemque per Sin ſcriptum, نُسْر Arabes, a نَسَرَ *roſtro ſuo vulſit, carpſitque,* ut jam poſt Bochartum, de derivatione copioſius diſputantem, aliasque refellentem, meliores ex lexicographis monuerunt. His, quae de نسر et lexica Arabum et Bochartus habent, addendum et hoc, breviter quidem dictum, ſed ab hiſtoriae naturalis peritiſſimo Forskålio, p. 12. deſcriptionis avium. Aves Lohajae, in Arabia enumerans, pergit: *Vernales: Aquila, Nisr,* نسر, *carne et cadaveribus victitat.* Praecipui, qui nomen controverſum tractarunt, toti perlegendi, *Bochartus* Hieroz. P. II. libr. II. cap. 1. atque *Oedmannus*, in *vermiſchte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heil. Schrift*, Faſc. I. cap. 5.

Ambigitur maxime inter, *Aquilam* proprie ſic dictam, et *Vulturem barbatum Linnei*, Germanice, *Lämmergeyer*, vel *Goldgeyer:* quod enim alii, *accipitrem*, verterunt, vix in cenſum venit; aut valde late et improprie nomen poſuerunt, aut hiſtoriae naturalis peritia, ut ſaepe accidere philologis ſolet, illis defuit.

Pro aquila eſt, hancque interpretationem contra objectiones aliorum defendit, Bochartus: oppugnat Oedmannus, adcuratius etiam definiens

niens, quae ſit aquila, *Jovis ales*, *Linnei Chryſaetos*. Pro vulture barbato Linnei totus eſt Oedmannus. Hunc et aliqui naturae periti, aquilis accenſent, vulturem inter et aquilam proprie ſic dictam, quodammodo medium. Delineationem ejus invenies in *Edwards natural hiſtory of Birds*, pag. 106. capitisque et unguium, in *Andreae Briefen aus der Schweitz*, tab. 12. ad pag. 200. Caput ipſum hujus vulturis eſt in muſeo Goettingenſi, ubi vidi.

Argumenta potiſſima, quibus contra aquilam utitur Oedmannus, in bibliotheca Orientali nova T. III. p. 43–48. enarrata, quo ablego. Sunt fere haec 1) *aquilam mortui nihil attingere, quod ſecus ſit in* נשר *Hebraeorum, Job. IX, 26. XXXIII, 39. Prov. XXX, 17.* Repoſui: ne ſatis quidem de hoc conſtare, ſoli Tzetzi credi, ex eoque idemtidem excerpi, ſed et male intelligi, de cadaveribus corrumpi jam incipientibus ſermonem eſſe videri, ac prorſus incredibile, avem carnivoram corpus quod invenit recens mortuum, non attingere, de cadaveribus vero corrumpi incipientibus haec quae citantur loca, non agere. (pag. 43–45. Compara biblioth. Or. priorem T. IX. p. 37–39.) 2) *Calvitiem Mich. I, 16. aquilae non convenire.* Repoſuerat jam Bochartus de defluvio pilorum ſeu plumarum loqui Micham. Addidi pag. 45–48. proprie ſic dictam calvitiem capitis, קרחה, ne vulturi quidem barbato competere: ſed haec ibi relegenda.

Ergo aquilam proprie ſic dictam intelligo, maxime cum, qui ipſe Arabiam adiit, Linneanis uti ſolitus nominibus, Forskålius, نسر non vulturum generi ſed aquilarum accenſeat. Nec tamen inficior, nomen omnes aquilarum ſpecies, latius ſumtum, complecti potuiſſe, ipſumque adeo, quem nec pauci noſtrorum aquilam vocant, vulturem barbatum.

Certi quid tum demum habebimus, cum ſive ex Arabia, ſive ex Palaeſtina et Syria, capita et ungues avis, نسر et بهما dictae, adlata in Europam fuerint, quod Forskålius, haud diu Loheijae degens, facere non potuit.

Ezech. XVII, 3. aquilae tribuitur רקמה, i. e. *varietas colorum:* nec tamen id eſt totius generis, opponitur enim haec aquila variegata, imago Babyloniorum, alii aquilae Aegyptiae, cui רקמה non tribuitur. Attendendum tamen et ad hoc inquiſituro. Vulturi barbato Linnei multa coloris varietas quam Edwards enarrat.

1671. 1672. כשר *ferra diffecuit* 1 Paral. XX, 3. מַשּׂוֹר *ferra*, Jef. X, 15.

Ἅπαξ λεγόμενον utrumque, cum verbum tum nomen, fed neutiquam fignificationis dubiae. כְּסַר Syris Chaldaeisque, *fecuit, diffecuit*, indeque מַסְּרָא, ܡܣܪܐ *ferra:* Arabibus نشر *ferravit*, منشار *ferra*, quod nomen et Jef. X, 15. licet ex Graeco, ἀξίνη, vertens, Arabs pofuit. Chaldaeus quoque et Syrus fuum מסרא harmonice repofuerunt.

Verbum 1 Paral. XX, 3. in plerisque editionibus וַיָּשַׂר fcribitur, quod ex analogia grammatica corrigendum putem, וַיָּשַׂר, fufpicorque, fi codices infpiciantur, Sin Dageffatum inventum iri. Quinque aut feptem codices Kennicottiani וישם habent, quae eft correctio librarii ad 2 Sam. XII, 31. Paralipomena refingentis: perquam hic male, cum multo concinnior fit Paralipomenorum quam Samuelis lectio. Syrus Paralipomenorum interpres, aut ויאסר legit, aut, quod potius reor, וישׂר idem quod ויאסר effe putavit, reddidit enim: *ligavit illos catenis*, quod et ex eo Arabs expreffit.

1673. כָּשַׁת *exaruit, defecit aqua:* fufpectum.

Tribus ex locis verbum hac fignificatione, nec nego, praeeuntibus alicubi veteribus, in lexicis citatur, Jef. XIX, 5. XLI, 17. Jerem. LI, 30. Eft tamen valde fufpectum, reliquis quippe linguis Orientalibus hac fignificatione plane ignotum, et ex fola pendens punctorum auctoritate, quibus mutatis aliud fignificare, atque ad alias radices literae referri poffint. וְנִשְּׁתוּ מַיִם מֵהַיָּם Jef. XIX, 5. demto Dages efferre poffis, וְנִשְׁתּוּ *et ebibentur aquae ex mari* (Niphal שתה) ficque praeivit Aquila, ἀναποθήσονται, et, licet active vertentes, LXX, πίονται οἱ Αἰγύπτιοι. — — Jef. XLI, 17. pro נָשַׁתָּה fcribere poffis, נָשְׁתָה, *lingua illorum fiti*, five, *propendet ex ore*, five, *oblivifcitur* loqui, torpet nec loqui poteft, collato, Pf. CXXXVII, 5. 6. Stuporis quidem narcotici notione aliqui veterum נשה Genef. XXXII, 33. acceperunt, (הַנָּשֶׁה efferentes) ut, LXX τὸ νεῦρον ὃ ἐνάρκησε, Vulg. *et emarcuerit:* fed eos hic teftes advocare nolim, cum linguae Orientales hanc fignificationem non confirment; mihi fuffecerit, *oblivifci loqui*, quod ipfum in lingua fatifcente fummi ftuporis et languoris eft. — Jerem. LI, 30. נָשְׁתָה גְבוּרָתָם eft mihi a נָשָׁה, deno-

minativo verbo a נָשִׁים *mulieres, effeminari.* Verto, *effeminata est fortitudo eorum:* sicque ipse propheta statim interpretatur, היו לנשים, *facti sunt feminae.* Nullus quidem veterum hic deficiendi vel exsiccandi, quam lexica habent, significationem praeivit, sed habent, sive, *fracta est fortitudo eorum*, (Syr. et Chald. אתברת, LXX ἐτρανματίσθη) sive, *devoratum est robur eorum;* sic Vulg.

1674. נָתִיב et נְתִיבָה *callis.*

Potest quidem nomen generatim pro omni via poni: proprie tamen est, non ut ex etymo male intellecto conjecerat Schultensius, via regia, cui nonnunquam opponitur, sed *callis per aspera montium*, seu, ut recte jam verterat Coccejus, *trames, viae compendium.* Nempe est a نتب, *eminuit, tumuit,* hinc calles per alta montium, (compendiariae plerumque viae) dicti: contra Schultensius viam regiam ab eminendo dictam putabat; quod nempe in palustri Germania, ac palustriore Belgio exaggerari solent, verum alia est ratio Palaestinae, et certe usus vocabuli viae regiae contradicit. Praeivisse tamen Schultensio videri possint LXX. Jud. V, 6. Prov. VII, 25. Job. XXIV, 13. ἀτραπούς vertentes, quod *viam* interpretari solent, *ex qua aberrari* nequeat: sed est dubia et fluctuans vocabuli Graeci significatio, ut disces ex etymologico magno, sub ἀτραπὸς pro ἀτραπὺς, quod secundum alios esse tradit, πολύτροπος, quae in multas se partes vertit: ita nomen esse possit divergii, in quo facile errari potest, qualia multa habent calles silvarum. Forte sic acceperunt LXX.

Classica mihi pro callis notione esse videntur loca, ubi viae publicae ac tutae opponitur, Prov. XII, 28. *in via virtutis est vita,* וְדֶרֶךְ נְתִיבָה אַל מָוֶת *sed via callis* (qualem mali calcant) *ad mortem ducit:* et Jerem. XVIII, 15. *offendi illos fecerunt in viis suis* שבילי עולם *viis antiquis*, (fecerunt ut antiquae illis viae ac tritae displicerent) לָלֶכֶת נְתִיבוֹת דֶּרֶךְ לא סלולה *ad eundum calles, viam non tritam:* denique Judic. V, 6. *cessabant* (metu hostium) *viae,* והלכי נתיבות ילכו ארחות עקלקלות *atque euntes per calles ibant vias tortuosas.*

Jam intelliges, cur נתיבות tribuantur, *adulterae*, Prov. VII. 25. Hos. II, 8. (ubi sine dubio de clandestinis viis sermo) *sceleratis* Prov. I, 15. Lucebit et Job. XIX, 8. *super* נתיבותי *calles meos caliginem ponit*, desumta imagine a calle per silvas eunte, in quo nox nos opprimit: XXVIII, 7. נתיב לא ידע עיט *callis quem non novit volucris*, *nec oculus accipitris* ad-

adspexit. Sermo hic de occultis sub terra cuniculis fossorum metalli, nec putem hic quemquam de via regia cogitare posse. בית נתיבות Proverb. VIII, 2. esse mihi videtur *locus in altissimis silvis, ubi plures calles concurrunt, nec liquet, quis in errorem ducat, exitumque non habeat*, periculosissimus innocentibus, sed a latronibus et sceleratis tritus. Opponitur ibi, *celsis ad viam* (publicam nempe) *locis.* Et haec latronum lustra adit ac meliora svadet sapientia, i. e. virtus et conscientia. Quaeras forte, ejusdem capitis versui 20 quid faciam, ubi נתיבה juri et justitiae tribuitur? Possis latiore aliquando significatione accipere: malim tamen cum נתיב toties virtuti opponatur, mutata constructione vertere, *in via justitiae ambulo*, בתוך נתיבות משפט *in medio callium* tortuosorum *juri insisto,* non a via juris deflecto, media inter innumeros scelerum et vitiorum calles. Ps. CXIX, 105. *lucerna pedi meo est verbum tuum* ואור לנתיבתי *et lux semitae meae*, נתיבה proprie acceperim, de calle periculoso. Vide vers. germ.

Ex hac tamen *callis*, aut omnino *viae* notione, vix satis expediri illud Jesaiae posse putem, מְשׁוֹבֵב נְתִיבוֹת לָשָׁבֶת, nec enim viae aut calles reparantur ut ibi sive sederi possit sive habitari. Suspicor נתיבות *tumulos* hic *ruinarum* esse, a نتب *tumuit*, quod sequutus, germanice verti: *restaurans ruinas, ut habitentur.* Concinit svadetque praecedens membrum, גדר פרץ *reparans perrupta.* Id nisi placeat, et calles omnino tenendi sint, *calles per rudera florentium olim, nunc desolatarum urbium* intellexerim. Sic confer Jes. XXVI, 7.

Mirari possis LXX דרך נתיבה Prov. XII, 28. vertere, ὁδοὶ μνησικάκων, in quo et Arabs eos sequitur, *vias malevolorum*, et Syrus, *iracundorum* habens. Non probo equidem, nec tamen hanc notionem nomini נתיבה omnino negaverim, possit enim ira sive a *tumendo* dici, sive a Chaldaico נתב (pro נשב) *flavit, spiravit.*

1675. נָתַךְ.

Fundendi, liquandi, effundendi significationem, cum transitive tum intransitive *(effundi)* verbum habet, Hebraeis frequens, ut ex lexicis notum. Syris Arabibusque minus frequens, ut in lexicis sine exemplo, ex Geuharo modo et Camuso citetur, in versionibus bibliorum quas habemus, ac nisi memoria fallor, in Corano nuspiam obvium. Syrorum quidem ܢܬܟ *detrimento adficere*, ne cum Hebraico quidem נתך conferendum videtur, sed permutatione literarum cum נתק *evellere*, quasi

 com-

compilare aliquem: ſicque et Arabicum نتك, *trahendi, evellendi et frangendi* ſignificatione, nam et *quaſſare* نتق ſignificat.

Una tamen Arabum ſignificatio, *comprimere ad exprimendum fluidum*, (e. g penem, ad abſtergendam urinam, qua in re ſolicite verſantur Arabes) cum Hebraica *effundendi* cognata videtur. Sic quidem et accipio Job. X, 10. הלא כחלב תתיכני *lactis inſtar expreſſiſti* vel *emulſiſti me*, praeeuntibus LXX, ὥσπερ γάλα με ἤμελξας, Vulg. *ſicut lac mulſiſti me*, Aquila, ἀπέσταξας, *ſtillare me feciſti*. In interpretando omnino his accedo, qui de genitali ſemine accipiunt, quod ipſa tanquam natura emulget, ac dein (ut ſequitur) concreſcere in utero ac coaleſcere jubet. Veretur Schultenſius, ne indecora ſit, Jobique libro non digna imago: in quo aliter ſentio. Grandiſono poëtae, eique philoſophanti, hae rerum naturalium deſcriptiones vel apud nos conceduntur, quanto magis apud Hebraeos? Obvertit idem, התך potius eſſe, *rem colliquatam fundere*, ut 2 Reg. XXII, 9. quo de loco ſtatim videbimus. His ergo ductus rationibus mallet, *eliquaſti me*, de concurſu ſeminis maſculini et feminini interpretans.

Incidi hic in mentionem loci 2 Reg. XXII, 9. התיכו עבדיך הכסף, quae verba miror verti potuiſſe, *liquarunt ſervi tui argentum inventum in aede Jehovae.* Liquarintne et denuo fuderint argentum aedificando templo collatum? Eſt omnino vertendum, *effuderunt, ciſtam argento evacuarunt:* ſed hoc non meum, monuit jam in lexico Simonis.

Quomodo acciderit, ut Syrus תתיכני Job. X, 10. verteret, ܪܒܝܬܢܝ *tanquam lacte nutriviſti me*, et Jerem. XLII, 16. ܠܠܢܬܬܢܝܚ *quieſcet*, Chaldaeusque, יחול *manebit*, nondum ſatis aſſequor. In Jobi loco videtur ei, ut ſupra Schultenſio, *mulgendi* notio diſplicuiſſe, pro qua aliam ex conjectura captatam ponebat, aut forte putabat, *effundere*, eſſe poſſe, *lactare, nutrire*. Utcunque ſit, male vertit, *lacte* enim, non *TANQUAM* lacte, nutrimur a matre.

1676. כְּתוּנִים, כְּתִינִים *dati (Deo.)*

Diſtingue in hoc vocabulo ſignificatum Moſaicum, ac ſerioris Hebraismi.

1) A Moſe honeſtiſſime de Levitis ponitur, dei miniſterio deſtinatis atque ad hoc donatis Aharoni, Num. III, 9. ſicque ſemel et in libro ſeriore, ſed qui verbum ex Moſe ſumſit, 1 Paral. VI, 33. Eſt et in hoc anti-

antiquo vocabuli usu notandum, quod sive per Vau ut participium Paul, נְתוּנִם vel נְתוּנִים scribatur, sive ex varietate lectionis codicum Samaritanorum, nec paucorum Hebraicorum defective נתנים.

2) In libris, post reditum ab exsilio scriptis, Ezrae ac Nehemiae, quin et chronicorum, ubi suus est, נתינים non a sacerdotibus solum et Levitis, sed et ab Israelitis distinguuntur, plane pro usu vocis hodierno Rabbinorum, ut manifestum sit, *mancipia sacra* (seu ut egregio vocabulo utar libri Ezrae Graeci apocryphi, c. V, 9. ἱεροδούλους, Josephique Ant. XI, 3. 10. δούλους ἱερούς) *ex aliis gentibus*, intelligi. Vide Ezr. II, 43–58. 70. VIII, 17. 21. (ubi deficientibus Levitis conscribuntur Nethinaei) Nehem. III, 26. VII, 46. 60. 73. X, 29. XI, 3. 21. I Paral. IX, 2. Hi quidem ex consveta opinione sunt, *Gibeonitae*, quos ut mancipia sacra, lignis caedendis et aquae adportandae susceperat Josuas, Jos. IX, 23. 24. nec Gibeonitas prorsus excluserim: at certe nomen et alia complectitur, serius bello capta, mancipia sacra. Classicus locus, Ezr. VIII, 20. נתינים שנתן דויד והשרים לעבדת הלוים *donatitii* (mancipia sacra) *quos dederant David et principes ad ministerium Levitarum:* ubi esse videntur servi bello capti, quorum aliquam partem David ejusque duces deo sacraverant, plane ut Moses partem praedae belli Midianitici, Num. XXXI, 28–30. 47. Sic et Ezr. II, 54. *servi Salomonis* memorantur, i. e. servi Salomonis tempore bello capti, temploque mancipia dati, quibuscum v. 58. et Nehem. VII, 60. XI, 3. Nethinaei componuntur, atque ab illis, (nempe ut antiquiores et jam a Davide donati) distinguuntur. Nehem. X, 29. cum illis, qui ex aliis populis deo se dederant, ejusque sacra amplexi erant, hoc ordine componuntur, *sacerdotes*, *Levitae*, *janitores*, *cantores*, הנתינים וכל הנבדל מעמי הארצות אל תורת האלהים, *Nethinaei*, *et omnes qui se ex gentibus terrarum separaverant ad legem Jehovae*, medio loco, inter ministros sacrorum originis Israeliticae, et proselytos ex gentibus.

1677. 1678. אתנן , אתנה *donum meretrici datum.*

Haec nomina, אֶתְנָה atque אֶתְנַן scribi, et ad radicem תנן, תנה aut nescio quam aliam, referri a lexicographis solita, malim ad נָתַן *dedit*, referre, atque ת Dagessato, אַתְּנָה, אַתְּנַן scribere. Ausim id vel nullo praeeunte codice facere, masorethicorum punctorum cultor non

 satis

satis addictus: liceat tamen hic de Rossium interrogare, nullisne in codicibus cum Dages reperiatur?

1679. נתסו Job. XXX, 13.

Ἅπαξ λεγόμενον obscuriusculum, quod plerumque vertunt, *diruunt*, vel, *evertunt tramitem meum*, ut sit oppositum praecedentis, נָֽתְסוּ: animo forte נתשׁ *evellere*, aut נתץ *diruere* comparantes, quod quidem duo etiam codices Kennicottiani scriptum exhibent, (נתצו.) Praeiverunt Chaldaeus, צדיאו *vastarunt*, et LXX sed verbo infelicius lecto, ἐξετρίβησαν τρίβοι μου, *detritae* vel *contritae sunt viae meae*. Parum quidem haec probantur: diruendi et evertendi verbum non admodum viis aptum; *evellendi* plane etiam ineptum, evellendo enim spinas, truncos, radices, viae parantur, non corrumpuntur. Atqui in malam partem accipiendum verbum, series ocationis docet. Vulgata, *dissiparunt itinera mea*, quod ipsum interprete opus habet: Syrus ܥܪܩܠܘ *implicatas fecerunt vias meas*, sed et hoc conjecturale.

Nec haec aliquid certius daturus, dubitans refero, sed ut dubitando adsvescant lectores, nec fidant lexicis, ubi id quod cuique sors aut conjectura obtulerat sumserunt.

Offert quidem Arabia, quo nemo adhuc usus, فتش *dehonestavit*, *clanculum culpavit*, atque inde فتش *infimae sortis homines, et exprobratores*. Possis ergo tentare: *dehonestant*, i. e. *calumniantur viam meam*, quod quidem amici Jobi magnopere faciebant: sed nec hoc placet, primo, quod nulla apta oppositio ad praecedens ויסלו, de via hostium positum, deinde, quod נתיבה *calles*, vix satis recte de moribus et vitae indole hominis probi poneretur.

Ergo nondum liquet, varias sententias dixi, novam tentavi, et abdicavi. Duo codices habent כסתר quod vide sub סתר.

1680. נתע Job. IV, 10.

Dentes leonis נִתָּֽעוּ, male ab Abenezra ad radicem תעה referri: nec magis placere, quod Coccejus Schultensiusque ad להנע referunt, jam supra n. 1346. dictum. Est, sive a נתע, sive a תעע, media rad. elisa in prima Chaldaeorum more compensata. Sic quidem duplex se offert verbi interpretatio, quarum neutra contemnenda.

1) نتغ

1) نتغ est, *risit, contempsit,* نَتغ voce ridentis, de qua plura sub תְּעָפֵּע dabimus. Hinc ergo וְשִׁנֵּי רְשָׁעִים כְּפָעוּ erit, *et dentes leonis irridentur,* nemo jam eos timet.

2) Possit et כתע idem esse, quod כתץ, *elisit*, simillime de elisione dentium leonis positum Ps. LVIII, 7. frequente apud Orientales literarum ץ et ע permutatione: *dentes leonis eliduntur.* Perquam hoc verisimile, atque adeo praeivisse videntur, Syrus ܐܬܬܒܪܘ *fracti sunt*, Vulg. *contriti sunt.* Possit adeo suspicionis in mentem venire, lectionem mutandam et כָּתְּצוּ rescribendum esse, sed nullus ita codex.

Haec ergo inter duo optandum. Possis etiam Arabicum نَتْغ *languor* conferre: sed non placet, *dentes leonis languescunt.*
LXX ἀφανισθήσονται vertentes, non nisi conjecisse videntur.

1681. הִתִּיר, בָּתַר *decidere fecit, immisit manum?* Job. VI, 9.

Haec Jobi, יַתֵּר יָדוֹ plerique ac meliores vertunt, *utinam solveret manum suam,* coll. Ps. CXLVI, 4. CV, 20. &c. praeeunte Vulgata. Non reprehendo, si quid tamen addere possim, monuerim, בתר Syris, Chaldaeisque esse, *decidere, defluere*, (quod ipsum cum *solvendo* cognatum, soluta enim et luxata decidunt) inque Aphel, אַתַּר, *decidere fecit.* Sic erit, *decidere faciat super me manum suam.* Sic quidem, eodem servato verbo, Chaldaeus, Aquila et Symmachus ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα, Syrus et Arabs liberius, *extendat manum suam.*

Quod novam Schultensius, ex Arabia omnia petiturus, quasi nihil commodarent reliquae linguae Orientales, verbo significationem, *altius penetrantis plagae,* dedit, collato Golii نَتْرَة *confossio penetrans*, haud placet. Probarem, si alia significatio, linguis Orientalibus usitata, non melius etiam hic locum tueretur, quam nova solo ex lexico Arabico sumta, atque interpretibus antiquis quos nominavi, ignota.

1682. נֶתֶר Jerem. II, 22. Prov. XXV, 20. *nitrum, alcali fossile, natrum.*

Ante omnia sciendum, *nitri* nomine non id solum, quod nos ita vocamus, Latinos vocare veteres, sed eodem et *alcali, fossile etiam, natrum* complecti; qua de re copiosius egi in commentatione de nitro Plinii,

sexta

ſexta earum, quas in ſocietate ſcientiarum Goettingenſi praelectas ſeorſim edidi.

Jeremiae quidem II, 22. ex ipſa ſerie manifeſtum, כתר idem eſſe, quod in ſequente membro ברית, *ſalem alcali* ſeu *lixivialem*, cujus in eluendis maculis uſus: confirmat et finis verſus, *ſi ablueris te nitro*, *fulveſcit culpa tua coram me*, caerulea enim aut nigra, ſale alcali aut lixivio lota, fulveſcunt. Nitrum harmonice et vere, LXX, Vulg. Chald. Syrus vertunt, ſolus ex Graecis Arabs, بورق i. e. *borax*, quam nitri ſpeciem a natura peritis diſces, hic enim de ea diſſerere non vacat.

Eodem modo et accipiendum, quod forte nemo interpretum intellexit, certe non explicuit, imperitia atque ignorantia naturae, rerumque ubivis obviarum, Prov. XXV, 20. חמץ על כתר, *acetum ſuper alcali vel ſalem lixivialem.* Utinam tentaſſent interpretes, infudiſſentque ſali lixiviali acetum! naribus intellecturi verba erant, quae mirifice detorſerunt, odor enim inde ſtercoreus. Hoc vero cum nemo faceret, naturam nec noſſet, nec experimentis conſulerent, multa interpretationum monſtra commenti ſunt, Schultenſius iterum, non ex Arabicae linguae notitia propria, ſed ex lexicis Arabum arreptum, *acetum ſuper ictu altius adacto*, نترة iterum, de quo p. 1703. dixi, conferens.

Nominis כתר etymologiam Hebraicam nolim inveſtigare, forte enim eſt origine peregrinum atque Aegyptium, cum in Aegypto prope Alexandriam ſit nitri patria, deſertum nitriarium. Nec tamen quidquam definio, lingua enim me Coptica deſtituit, ſeu potius ejus fragmenta, nitri nomen ſub aliis literis habentia.

1683. כֶּתֶר ex var. lect. Jeſ. XIV, 18.

Pro פֶּגֶר Jeſ. XIV, 18. codex Kennicotti 224, i. e. Regiomontanus 2, כֶּתֶר exhibet, quod poſſit eſſe, ſive

1) *tractum cadaver*; ut trahi ſolent, quae honeſte non ſepeliuntur, ſed inſepulta abjiciuntur, a نَتَرَ *traxit*; quam ſignificationem, reliquis linguis Orientalibus ignotam, forte a وتر aut أتر mutuam ſumſit, ut pater meus in adſcriptis lexico Goliano ſuſpicari videtur:

2) ſive, *cadaver corruptum et foetens* a نَتْرٌ *corruptio*.

Explicandam lectionem cenſui, licet unius codicis auctoritate eam non amplectar.

1684. סַאסְּאָה Jes. XXVII, 8. vocabulum spurium.

Vocabulum ita lectum, hisque punctis instructum quid significare possit, plane non adsequor: volunt ex סאה סאה compositum esse, sed id contra analogiam grammaticam. Dissident etiam, haec mira compositio aut quadriliterum quid significet, *magnam*, ut quadriliterorum consvetudo fert, aut *modicam* mensuram quae Clerico placuit.

Mihi quidem nullum omnino nomen סאסאה habuisse linguam Hebraicam, sed legendum videtur, unica litera addita, et literis aliter in voces dispertitis, בסאה סאה sive adeo literis iisdem, בְּסָא סְאָה *mensura pro mensura*, i. e. *par pari reddetur*. Sic Aquila, et Symmachus, ἐν σάτῳ σάτῳ, Theod. ἐν μέτρῳ μέτρῳ, Chaldaeus *rependent tibi gentes, ut tu illis fecisti*. Haec lectio nisi vera, despero Hebraici סַאסְּאָה interpretationem.

Houbigantii conjectura, סעסעה legendum, et vertendum, *exsilium*, a נסע *proficisci*, a nullo codice aut antiquo interprete confirmata est: eamque retulisse, id vero est, refutasse.

LXX quid spectantes ὀνειδίζων verterint, difficile dictu. De his si liqueret, quae ad nostrum vocabulum Simonis in lexico habet, forte aliqua versionis eorum ratio reddi possit: sed si quis legerit, non male feret, a me non ad amussim revocari. Conjecisse, ut saepe in Jesaia, LXX videntur.

1685. סאן *calceare* Jes. IX, 5.

Legitur ibi, כִּי כָל סְאוֹן סֹאֵן בְּרַעַשׁ, quod ἅπαξ λεγόμενον non mirum est diversimode vertisse interpretes. Mihi quidem omnino praeferendum videtur, quod recentiorum habent meliores, Coccejus, et Simonis, ac diu ante illos Josephus Kimchius (*), סאן esse, *calceavit*, quod quidem Syris, Chaldaeis (sub סין), Samaritanis, Aethiopibus significat. Nec vero hic, ubi de bello ponitur, ad calceos referendum, sed ad ocreas, quas Syri ab eodem verbo ܣܐܘܢܐ vocant, quarumque in bello olim plurimus usus: cui Homeri lectori non in mentem veniunt ἐυκνήμιδες Ἀχαιοί? Verto ergo: *omnis ocreatus ocreas accingit ad tremorem*. Vide vers.

(*) David Kimchius in lexico: *pater meus interpretatur ex Thargum, pro Hebraico* שׁל נעליך *ponente*, שׁרי סינך: addit deinde, et Thalmudicos סאני de calceis ponere.

verf. germ. et notas. Soli Arabes hac fignificatione non habent, quod fraudi fuit Schultenfio, omnia prope ex fola petenti Arabia, et شأن *fecit*, conferenti.

Nempe شأن generatim eft *facere*, *agere*, et شأن *negotium*, quo de verbo, notiffimo quidem, et vix illuftratione opus habente, copiofe ad locum Jefaiae egit in *adnimadverfionibus ad varia loca V. T.* vertitque: *omnis actio aliquid agentis in tumultu fit bellico.* Gratus acciperem, licet non valde fonoram inter reliqua carminis enthufiaftici, interpretationem, nifi meliorem aliae fuppeditarent linguae Orientales, quam, a Jofepho Kimchio, Arabicae linguae fine dubio peritiffimo, ante tot fecula proditam cur repudiet Schultenfius, rationem nullam reddit.

In verbo vocabuloque, de quo tanta philologis diffidia, fcire forte cupiant lectores, veteres quid habeant, et unde? LXX quidem mire, *πᾶσαν στολὴν ἐπισυνηγμένην δόλῳ, (omnem ftolam congregatam dolo reftituent hoftes)* quam *ftolam congregatam* qua arte ex סאן סאון effecerint, aut quid, pro more interpretis Graeci Jefaiae, legendum loco horum verborum conjecerint, non adfequor. — Symmachus, *πᾶσα βία ἐβιάσθη ἐν σεισμῷ*, indeque Vulgata, *omnis violenta praedatio in tumultu:* conjecturae, nullo ufu orientalium linguarum firmatae. — — Chaldaeus: *quidquid accipiunt et dant; eft in malitiam.* Et hoc unde fumtum, vix divinaveris. — — Unus ex reliquis verifimiliora habet Syrus, ܟܽܠ ܩܳܠܳܐ [ܡܶܫܬܡܰܥ ܒܪܽܘܓܙܳܐ] *omnis vox auditur cum tumultu.* Forte legit שְׁאוֹן, ut habent tres, aut quatuor Kennicotti codices. Sic et *clamorem bellicum victoris* interpretatus eft Rafchius, hic quidem non aliter legens, fed סאון ex שאון, nifi fallor, explicans, ope permutationis literarum. Sic et fenfit Clericus, punctum diacriticum nominis שְׁאוֹן forte vitiofum effe dicens, refcribendumque שָׂאוֹן. — — Arabicum شأن *deturpavit* contulerat Lud. Cappellus, male ille quidem, ut monuit Schultenfius, cum quod شأن eft pro شين, refpondetque non noftro verbo, fed שִׁין, unde *urinam* שִׁין Hebraei dicunt; deinde, quod vix apta Jefaiae loco *deturpandi*, aut, ut ille pofuit, *ignominia adficiendi* notio videtur.

His ergo relictis omnibus, *ocreas induendi* notionem praefero, nec verifimilem modo, fed et philologice certam puto.

1686.

1686. סָבָא Nah. I, 10.

Ex nota verbi significatione *potare, vinum immoderatius deglutire*, haec equidem Nahumi, כְּסָבְאָם סְבוּאִים verti, *cum ipsi vinum potabunt, absorbebuntur:* idque et historiae captae Nini egregie aptum, (vide notas germ., et Diodorum Siculum libr. II. c. 24.) et praecedenti membro, modo ejus lectionem sic mutes, ut in Tomo XX. biblioth. Orientalis p. 185. tentavi. At manente consveta lectione עד סירים נבוכים, *ad spinas usque perplexi sunt,* multo expeditius sequetur, quod in LXX legimus, καὶ ὡς σμῖλαξ περιπλεκομένη. סבא ullane in lingua Orientali, *smilacem*, et, *circumvolvere* significavit? Est certe aliquid, quod hic ignoramus, verbum شباء lexicis Arabum non habentibus. Interrogo Florae Orientalis peritiores: qui si nihil opis attulerint, suspicemurne, LXX וכסבכם סבוכים legisse?

1687. סְבָא, סבאים *Sabaei Africae* Genes. X, 6.

סְבָא Genes. X, 6. *Sabaei*, a duobus aliis populis, שְׁבָא ibidem et v. 28. memoratis, diversi et Hebraeorum scriptione distincti: vide et Ps. LXXII, 11. מלכי שבא וסבא. Copiosius de illis actum in *spicilegio geogr. Hebraeorum exterae* T. I. p. 177–189. quo ablego, id unum excerpens, Josephum si sequamur, interioris Africae incolas esse, et Sabam Africae urbem eandem, quae a Cambyse Meroe in honorem uxoris dicta, hocque nomine notior est. Et de Meroes situ ibi actum: quibus si quid addere aut deliberare cupias, lege, non excerptum ibi, Strabonem lib. XVII. p. 1174–1178. (al. 819–822.) Est et his, quae p. 188. de Meroe forte ad Nubiam pertinente, atque a Vossio pro Boroo urbe Nubiae habita, scripsi, addendum, Nubiensem Clim. I. Sect. IV. (statim ab initio) non nisi quinque urbes memorare Nubiae, in quibus nulla Saba, *Cuscham, Ghalvam, Dancalam, Jalac, et Sulam*, (كُوشَة غَلْوَة دُنْقَلَة يَلَاق سُوَكَة.) Memorat et idem, (climatis tertii pagina prima) longe ab Occidente Nubiae, urbem aliquam شابية: nomen utcunque convenit, situsne? de eo dispiciant alii, his ejus lectis verbis, ومن كوغة الي شابية دون الشهر *a Kaugha ad Schabiam fere mensis est, a Kaugha ad urbem Cucu septentrionem versus sunt viginti stationes*, supplementa enim ad lexica disputationem non capiunt.

Caeterum orthographia eo valet, ut in locis dubiis Sabam a Saba diſcernamus. Sic Jeſ. XLIII, 3. XLV, 14. de Saba Africana ſermo eſſe videtur, quia nomen סבא et סבאים ſcribitur, perquam exigua lectionis varietate.

1688. סבב Jerem. XXXI, 22.

Haec quidem Jeremiae, *novum creavit Jehova in terra*, כי נקבה תסובב גבר *femina enim circumdabit virum*, ex nota circumdandi ſignificatione perquam obſcura et difficilia. Volunt quidem haud pauci, *circumdare* hic eſſe, *utero complecti*, *in utero geſtare*. Idne vero novum? Reſpondent haud pauci, virginem intelligi, Mariam, quae θεάνθρωπον geſtura in utero ſit.

Mihi quidem, ſi ex ſolo verbo סבב *circumdare*, *circumire*, Jeremias explicandus, alterutrum illud dicere videtur, ſive:

1) *ambire*, hac ſententia: *mutata rerum natura femina ambibit virum*, ſive

2) *amplecti*, *amplexari*, *amare*, ita ut novum, quod promittitur, ad ſolum populum Iſraeliticum, ſub imagine filiae hucusque averſae informatum, pertineat: *quid delicas, filia averſa? Rem novam creabit dominus in terra: femina amplexabitur*, vel, *amabit virum;* nempe non femina quaelibet, id enim quotidianum nec novum, ſed averſa a Deo ſponſa Iſraelitica juſtum maritum, Deum.

Ex his quidem poſterius praetulerim, habuitque jam diu ante me Syrus, ܢܩܒܬܐ ܬܚܒܒ ܓܒܪܐ *femina amabit*, (vel *blandietur*, *amplexabitur*, haec enim Syriacum ܓܒܪܐ ſignificat) *maritum*. Accedit et uſus verbi Arabici, شَبَّبَ *laudavit formam mulieris*, *amorem erga eam demonſtrans*, niſi quod hoc verbum ad aliud nos, ac prope veriſimilius, etymon deducit, a شَبّ *exarſit*, unde et adoleſcentia ac juvenilis aetas, tanquam *exardeſcens amore*, dici ſolet.

Graecae verſionis hic plane alia ratio, aliam enim lectionem vertit, in nullo codicum Hebraicorum repertam: בישע יסובב גבר, *ἐν τῇ σωτηρίᾳ περιελεύσονται ἄνθρωποι*, *in ſalute circumibunt* (ambulabunt) *homines*.

1689. סִבָּה 2 Reg. XII, 15. נְסִבָּה 2 Paral. X, 15.

Idem ſignificare utrumque nomen, illud conjugationis Kal, hoc, Niphal, nemo loca comparans dubitaverit. Quomodo autem vertendum, in eo diſſident et veteres et recentiores.

1) con-

1) *converſionem* rerum a Jehova factam (*revolutionem* recentioris latinismi vocabulo) intellexerunt, LXX utrobique *μεταστροφὴ* vertentes, et Syrus in chronicis, ܗܘܦܟܐ, quos nec pauci ſequuti ſunt. Veriſimilis ſane, et apta filo orationis verſio.

2) Proximum ab hoc, aut ei adeo praeferendum, quod habet in chronicis Chaldaeus, תוסבתא *cauſſa*, *occaſio*. Monuerat jam Coccejus, *vulgo Rabbinis* סִבָּה *eſſe*, *αἰτίον*, *ἀφορμήν*, *cauſſam*, *occaſionem*: id quidem non magni momenti, cum in lingua Rabbinica parum auctoritatis reſideat; at plus auctoritatis adfert Arabicum, سَبَب *cauſſa*, *occaſio*, ex qua receptum deinde in Rabbinicam linguam videtur. Exemplum habe, (praeter pauca a Caſtello notata, in quibus بِسَبَب eſt, *propter*) in Locmanni fab. 12. بسبب ربح كثير *propter cauſſam lucri multi*. Hinc et verbum, cauſſam vel occaſionem dare, e. g. 1 Cor. IX, 12, لِئَلَّا نُسَبِّب لبشارة المسيح قطعا *ne cauſſa ſimus impedimenti evangelio Chriſti*: Geneſ. XLIII, 18. ليتسبّب علينا *ut cauſſam contra nos habeat*, occaſionem, nos in ſervitutem redigendi. Loco noſtro ſimillime, de Deo, Exod. XXI, 13. سَبَّبها الله على يديه *ſi occaſionaliter illud fieri fecit Deus per manus ejus*: Hebr. אִנָּה בְיָדוֹ. Forte haec Arabica ſignificatio orta a سَبَّة *tempus*, tempus opportunum, ut אִנָּה et إِنًى *tempus* cognata diximus p. 102, tempusque a circumeundo nomen habet: forte et caſus fortuiti, orbiſque cauſſarum et eventuum, ab orbe. Sed haec etymologica timide promo, uſu linguarum medium tanquam catenae etymologicae annulum non dante.

3) Fuerunt etiam, qui ad lites et jurgium referrent, quod ipſum utrique loco aptum, potueritque a شَبّ *accendit*, *ſuſcitavitque*, ignem, *bellum*, סִבָּה ſignificare. Sic quidem in Regum libro Syrus ܦܠܘܓܬܐ *contentio*, *lis*, Ar. فِتْنَة *diſcordia*, *bellum*, Chald. פלוגתא *diviſio*, i. e. *diſcordia*.

Ex his quidem nullum reprehendendum, praeplacet tamen usu linguarum firmatum, quod secundo loco posuimus. At minus jam placet, quod in libro regum habet Vulgata, *quoniam aversatus eum fuerat dominus*, eademque in chronicis, *erat voluntas dei*, ibidemque Arabs, *verba ejus* (populi) *rejecta erant coram Domino.*

1690. סביב *conversio rerum.* Job. X, 8.

In consveta lectione יחד סביב quid displiceat, professus sum, simulque monui pro יחד legere אחר LXX et Syrum. Illi quidem, *μετὰ ταῦτα μεταβαλών με ἔπαισας.* Hac quidem lectione sumta, אַחַר סָבִיב verto, *postea conversio* omnium rerum facta est, *et percussisti me.* De Syro vide sub סבר dicenda. Id unum adhuc molestum, codicem nullum lectionem אחר, a duobus expressam diversissimis interpretibus, exhibere.

1691. סבל Ps. CXLIV, 14. Coheleth XII, 5.

Praeter *portandi* ac *bajulandi* significationem, verbo Hebraico cum Chaldaico, Syriaco, Samaritano communem, habent et Arabes sub his literis, quae ex lege Hebraico סבל respondent, شبل aliam omnino notionem, *crescendi, adolescendi*, ex quibus mihi duo, quae supra adscripsi, commata difficiliora lucere videntur.

אלופינו מְסֻבָּלִים vel, ut alii habent, מְסוּבָּלִים Ps. CXLIV, 14. ad portandi onerisque significationem omnes, quorum recordor, referunt, sed perquam varia interpretatione.

1) Meliores ac probabiliores, ut mihi videntur, *onustos pinguedine* intellexerunt. Sic LXX *οἱ βόες ἡμῶν παχεῖς*, eosque in sua versione sequutus Hieronymus, *boves nostri pingues.* Ita et Vulgata, quarundam editionum, sed feminine, *boves earum crassae*, et ex Graecis Arabs. — His quidem accederem, si necesse esset, alia meliore explicatione non se offerente, invitus tamen, atque haesitans, merae enim conjecturae est, nec usu ullius Orientalis linguae stabilitur, סבל *bajulare*, poni et pro, *pinguedine gravem esse.*

2) Alii ad fortitudinem boum retulerunt, bajulare onera aptorum. Sic Chaldaeus, מְרֵי מְסוֹבָל *bajulationi apti*, Kimchiusque in lexico (sed et alteram explicationem dubius adferens) *fortes, ac qui ferre possunt onera.* Eodem redire videtur Syri ܡܣܝܒܠܐ *robusti, fortes.* — —

Mi-

Minus equidem, quam praecedens, probaverim. Non est bajulatorium animal bos, licet viribus fortissimus, aratro jungi solet, aut etiam currui trahendo, bajulare asini, cameli, apud nos et equi.

3) Haec non improbabilia cum repudiaret, novis conjecturis ad prorsus improbabilia delapsus Bochartus, in Hieroz. P. I. l. II. c. 30. p. 295. multos, ut solet vir doctissimus, ex minus doctis, etiam ubi veri dissimilia dixerat, habiturus adsecias. *Portare* vult esse, *in utero portare foetum*, ut حَمَلَ *portavit*, Arabibus sit, *gravida fuit:* hoc jam plane conjecturale, graviditatis enim notio verbo סבל nullo usu Orientalium linguarum adstruitur. Sed accedit aliud, *tauri tui gravidi*, quis dixerit? Ille vero unico perquam dubio exemplo usus, אלפים *tauros*, generis fecit communis inque vaccas convertit, nempe quod Deut. VII, 13. legatur, שגר אלפיך, ipso interprete, *foetura vaccarum tuarum:* sed hanc ipsam interpretationem perquam esse incertam sub שגר videbimus.

Omnia expedita, si vertas: *boves nostri crescunt* seu *adolescunt*, *nullo discerpto.* Sic ergo germanice verte: *unsere Rinder ohne Unfall und Verlust aufwachsen.*

Ex supra dictis et intelligetur, quid in versione verborum, Cohel. XII, 5. ויסתבל החגב *et pinguescit locusta*, (sic quidem LXX. Vulg. Ar.) desiderem: multoque minus probaverim Chaldaei interpretationem, forte de hydrope cogitantis, *et tumescant tali pedum tuorum.* Memineris, חָגָב *locustam* esse *post quartas cutis exsuvias*, *alas accipientis*, *et volantis:* jam ergo verte, *antequam adulta fiat locusta.* Adultam dicit locustam, quae jam plenae aetatis, ac perfecta est, vermis esse desinens, volare incipiens. (Vide pag. 669.) Aut eadem mecum sensit, aut certe proximus est Syrus, reddens, ܢܣܬܝܒܠ ܩܡܨܐ *crescat locusta.*

1692. סבר ex var. lect. Job. X, 8.

De varia lectione verborum יחד סביב jam n. 1690. dictum. Hic quidem Syrus vertit, *et postea volebas me damnare*, vel, *reum agere.* Manifestum, eum aut legisse, aut conjecisse, ואחר סבר *et postea visum est* tibi, *ut percuteres me.* Verbum סבר *cogitavit, putavit*, linguis Chaldaicae, Syriacae, Rabbinicae, notissimum, a quo et masorethae mutationes textus ex verisimili conjectura a scribis factas סבירין vocant. — — שבר *speravit*, quaere sub שׂ.

1693. סַבְתָּה vel סַבְתָּא Genes. X, 7. 1 Paral. I, 9. nomen proprium coloniae Cuschaeorum.

Primo de scriptione dicendum. In Genesi textus, cum Hebraeo-Judaicus tum Samaritanus סבתה habet, magna tamen lectionis varietate, ex *viginti* enim *et duobus* testibus Hebraicis שבתא attulit Kennicottus, quibus addere possis Syrum interpretem, ut nunc expressus est: in chronicis textus vulgaris habet סבתא, exigua lectionis varietate, nec enim nisi in duobus codicibus Kennicottianis סבתה repertum.

Difficilior ac perquam obscura quaestio, quae fuerit? ubi sita, *Sabtha* Mosis, cum praeter nomen, et quod colonia sit Aethiopum, nihil de ea sciamus. Sola literarum ac soni similitudine in gegraphico nomine facile ludi possumus, omnibus prope terris et regionibus concinentes sonos offerentibus. De סבתא quae Bochartus habet l. IV. c. 10. conjecturae sunt vix lectu dignae. Veterum sententias aut versiones, perquam obscuras, enarravi in *Spicilegio geogr.* T. I. p. 191–193. sed nulli calculum adjiciens, ac dubius. Arabem Polyglottorum زعاوة reddidisse dixi, (p. 192.) meque suspicari, vitio librariorum ita expressum, reponendumque زغاوة. Id jam multo, quam ante viginti annos, verisimilius, sed alia interpretatione: زغاوة *(Zagara)* urbs est et regio inclyta Africae interioris, ab Occidente Nubiae, descripta a Nubiensi, Clim. I. Sect. III. in Arabico textu pagina hujus sectionis ultima, in latina versione p. 14. Quo autem jure haec esse SABTA credatur nondum adsequor. De sola, quam p. 192. indicavi Büschingii conjectura, Sabtan, castellum Felicis Arabiae a Nubiensi memoratum, sono quodammodo concinens, conferentis, est quod jam addam. In editione geogr. anno 1771 facta T. I. p. 592. ex Niebuhrii Arabia excerpit nomen vici SEPT (in Niebuhrii delineatione Arabiae circa longit. 41, 20. latit. 14, 45) putatque vicum vicinum castello fuisse. Vide de hoc vico Niebuhrii Arabiam p. 247. quo lecto, prope certum, non potuisse a Mose commemorari: nomen vici integrum, سوق السبت i. e. *forum sabbati*, quod septimo die hebdomadis ibi mercatus celebratur, qualia nomina multa in Arabia et ad Euphratem Tigrimque urbes habent. Manifestum, non potuisse ita vocari, antequam Judaicae gentis per Arabiam omnem dispersione seu potius incolatu, et sacrorum Judaicorum in ipsa Jemana propalatione, contingeret, ut septimum hebdomadis diem Judaico nomine Sabba-

tum

tum Arabes vocarent, quod diu poſt reditum ex Babylone factum. Monui in biblioth. Or. priore T. IV. p. 118. 119.

Sunt autem, fateor, alia, nec a Bocharto, nec a me in ſpicilegio, in quo hic veteres modo excerpebam, memorata nomina urbium regionumve Africae, quae ultro ſe offerunt, ac de Sabbathae Moſaicae honore inter ſe contendere poſſint, quae, ne plane ſine reſponſo dimittam interrogantes, nomino. Unica ſi eſſet, ſi ea quam primo loco habeo, bene nobiscum ageretur, nunc pluribus eodem jure ad hanc antiquitatis laudem ſolo concentu nominum adſpirantibus, optio difficilis atque incerta.

1) Quae nobis *Ceuta*, ad fretum Gaditanum, veteribus, *ſeptem fratrum montes*, haud procul columna Herculis, Abyla, *τῶν ἑπτὰ ἀδελφῶν μνήματα*, ejus nomen ab Arabum geographis (Abulfeda, num. 77. atque Nubienſi Clim. IV. Sect. I.) his ipſis literis سَبْتَة ſcribitur, unde noſtrum *Ceuta*, ſeu potius *Cevta* ortum. A SEPTEM certe fratribus, aut ΕΠΤΑ *ἀδελφοῖς* nomen Africanum non ortum, ſed ſunt hae inflexiones etymologicae nominis barbari ad Graecam Latinamque linguam, cum plures ibi montes, ſeptenos ut putabant, conſpicerent. SEPTA jam ante Arabes vocabatur, teſte Moſe Chorenenſi, ſed et ipſo, licet paulo aliter, derivationem Latinam Africano nomini adſciſcente, aliterque fabulam inſtituente. Sic ille p. 341. in geographia, hiſtoriae Armeniae adjecta: *et unum fretum, quod SEPTA vocatur, id eſt, Septenarius, quippe cum ſeptem millia paſſuum latus ſit is locus, qui velut flumen ab Oceano profluit.* Oppoſueris forte *Ceutae* noſtrae ingens locorum intervallum, ideoque veri diſſimilem nominis ejusdem Hebraici cum eodem Arabico comparationem dixeris: at veteres geographos ſi audias, ac vero fide digniſſimos, multo etiam poſt tempore Taraco rex Aethiopiae non ſolum ad columnas Herculeas victor bellum propalavit, ſed et coloniam illuc deduxit. Strabo l. I. p. 106. (61.) in coloniarum deductoribus ad longe diſſita loca laudat Aethiopiae regem Tearconem, idemque libro XV. p. 1007. (686. 687.) ex Megaſthene tradit, *Seſoſtrim Aegyptium, et Tearconem Aethiopem usque ad Europam proceſſiſſe*, Ναυοκοδρόσορον δὲ, τὸν παρὰ Χαλδαίοις εὐδοκιμήσαντα Ἡρακλέους μᾶλλον, καὶ ἕως Στηλῶν ἐλάσαι, μέχρι μὲν δὴ δεῦρο καὶ Τεάρκωνα ἀφικέσθαι, *Nabocodroſarum autem, apud Chaldaeos Hercule celebriorem, usque ad Columnas progreſſum, adque illas et Tearconem perveniſſe.* Nempe patent longinqua, per deſerta Arabiae, itinera ad regnum Marocco, ex Guinea, ex Aegypto, ipſaque

que Aethiopia, alicubi fontium ſcaturigine rigata: in delineationibus adeo Africae hodiernis, ab Auſtro et Occidente Habeſſiniae, inter gradum 5 et 10 latitudinis, 45 - 50 longitudinis, vel pueri invenient, *terram Gingirbomba, ſeu magni regis Gingir, quem cum Marocco foederatum eſſe ajunt.* — — Haec quidem, conjectura, (ſententiam enim vix dum dicere auſim) plurimos forte ex reliquis numeros veritatis habet.

Poſſit etiam in computum venire, cumque Ceuta contendere,

2) *Sabatha* vel, *Sabotha*, Arabiae, *ſolis cultu celebris*, memorata Theophraſto hiſt. plant. libr. IX, c. 4. et Plinio hiſt. nat. libr. VI. c. 28. p. 338. *Oppida eorum in rubro litore, Marane, Marme, Corolia, Sabatha, intus oppida. Naſcus, Cardava, Carnus, et, quo merces odorum deferunt, Tomala. Pars eorum Atramitae, quorum caput Sabota, novem templa muris includens. Regia tamen omnium eſt Marjaba* (Saba, alio nomine) et lib. XII. c. 14. pag. 264. lin. 22. *thus collectum Sabota camelis convehitur.* Eſt haec, aut ſi duas urbes pro diverſitate ſcriptionis diſtinguas, altera ex his, Ptolemaei, *Sabatha metropolis*, quam ſub gradu long. 77. latitud. 16, 10. in intima Arabia habet.

3) *Sabat*, urbs Africae Troglodyticae, ad ſinum Arabicum, Ptolemaeo p. 112. Σαβὰτ πόλις, ſub gr. long. 68. lat. 12, 20. Habet urbs Troglodytica quod eam magnopere commendat, ſitum ab Habeſſinia non nimis remotum, eique e regione, ſub eodem gradu latitudinis, cui Habeſſinia ſubjacet.

Mihi inter primam et tertiam conjecturam dubio, prior tamen, Ceuta Maroccana, veriſimilior videtur.

1694. סבתכה vel סבתכא alia Cuſchaeorum colonia. Geneſ. X, 7. 1 Paral. I, 9.

De hoc nomine magis etiam quam de praecedente dubius, ſeu potius, nihil habens, quod ut veriſimile proferre poſſim, Bocharti haud probabilem conjecturam, veterumque interpretum verſiones, expoſui in Spicilegii T. I. p. 196. 197. Id unum, hypothetice dictum addiderim: סבתא ſi *Ceuta*, vix eſt dubium, quin conſonans prope, ac ſolis literis כה (IBI) diverſum סבתכה ſit ei oppoſitum promontorium Calpe, nunc Arabico nomine, *Gibraltar* (ex جبل الطارق). Alia ſi urbs aut regio Sabtha, Sabthecam ita ignoro, ut ne conjicere quidem velim.

סגג et סִגִים *ſcoriae*, quaere ſub סוג, quo a plurimis referri ſolet.

1695. סְגֻלָּה *peculium.*

Timide et dubitanter Simonis, sed feliciter, ut mihi videtur, retulit ad Arabicum سجل quod, *signare*, interpretatur: cui sunt quae addere liceat.

سَجَّلَ Arabibus est, *scribere*, inde, سِجِلّ *angelus qui rerum humanarum tabulas conscribit*, (scriba) Sur. XXI, 104. *notarius*, charta, *liber* سِجِّيل *syngrapha, scriptae tabulae foederis, testamentum, ultima praecepta Dei Drusorum*, (Adleri museum Borgianum p. 119) *lapides coelitus dejecti, quibus nomina eorum, quos percutient, inscripta*, Sur. XI, 84. Jam peculium dictum videtur ab inscripto domini nomine, orta forte primo a servis phrasi, quorum manibus haud raro nomen domini inurebatur, itemque mancipiis Deo sacris, sed deinde latius patente. Confer. et Apoc. III, 12.

1696. סְגָנִים , סְגָן .

In libris, tempore exsilii Babylonici, ac post illud, scriptis, Jeremiae, Ezechielis, Danielis, Ezrae, Nehemiae, saepius occurrit; ante, non nisi semel Jes. XLI, 25. incertum, an eadem significatione ac reliquis locis, quibus nomen muneris et dignitatis est. Exoticum esse videtur, maxime, cum nec Syri habeant, nec Arabes: Judaeis vox Babylonica visa, mihi quidem magis etiam exotica, ut deinde dicam, Persica. Rabbini quidem plerumque sacro significatu ponunt, de sacerdotis vicario, (vide Buxtorfii lex. Chald. Thalm. p. 1435. 1436.) verum hujus recentioris Hebraismi seu Rabbinismi auctoritas nulla in interpretando vetere, cui nomen muneris sive politici, sive bellici esse videtur, *praefecti*, ut latine diceres, sed cujus generis aut gradus, id in obscuris. Licueritne duorum locorum, (omnium enim excerpta haec supplementa non capiunt) interpretes antiquos compilare? Jerem. LI, 23. פחות וסגנים Graecis sunt ἡγεμόνες καὶ στρατηγοὶ, Syro ܪ̈ܫܢܐ ܘܡܕܒܪ̈ܢܐ, inverso ordine Chaldaeo, שִׁלְטוֹנִין וְטוּרְנִין, Vulgatae, *duces et magistratus*. Dan. II, 48. רַב סִגְנִין LXX vertunt, ἄρχοντα καὶ ἡγούμενον, Symmachus ut in tetraplis Syriacis citatur, ܗܘܦܪܟܐ ܕܐܣܛܪܛܝܓܐ i. e. *praefectum* στρατηγῶν, Vulg. *praefectum magistratuum*, Syrus,

ܪ̈ܒܝ ܚܝܠܐ ܕܟܠܗܘܢ ܪܝܫܐ *caput omnium praefectorum exercitui* (nempe sejungit a sequente, quod vertit, *ET super omnes sapientes Babylonis*). Id quidem manifestum, in rei summa unanimes esse veteres, nec sacerdotale sed seculare munus intelligere, adhaesisse tamen, ut in vocabulo peregrino, nec certi quid et distincti habere.

Mihi quidem verisimile, ortum esse a Persico شَحْنَه *praetor, praefectus*, (Castelli lex. Pers. p. 368.) Ch Persico pro G, sibilum non habente, posito: verum et hi Persarum praetores cujus gradus fuerint, quibus praefecti, ab aliis praefectis quomodo distinguendi, in hac literarum Persicarum penuria quis dixerit?

Eadem muneris notione et Jes. XLI, 25. accipiunt, quantum memini, omnes, ex veteribus LXX ἄρχοντας, Vulg. *magistratus*, Chald. et Syr. שלטוני vertentes; nec diffiteor sive praefectos exercituum aut provinciarum, sive adeo sacrificulos, de quibus in notis germanicis dixi, egregie ibi locum tueri. Est tamen in Jesaia suspectum vocabulum serius ac Persicum: licueritne de Jesaiae סגנים, non novi quid adfirmare, sed dubitare cum lectoribus. סגנים, vocabulum non exoticum, sed Hebraicum, erunt, *claustra*, *pylae terrarum angustae*, ex Arabico ثَجْن *via per salebrosam terram*, شَجْن *detinuit, anxit*, شَجْن et شَاجِنَة *via per vallem*, *vallis arboribus abundans*, ac vero, ut videtur, impedita, sunt enim et شَجْنَة *radices arborum perplexae*. Sic ויבוא סגנים כמו חמר foret, *intrabit Pylas ut lutum, atque ut figulus qui calcat lutum.* Nec tamen satis auribus gustuique vel meo haec versio placet.

1697. סָגַר *clausit uterum*, *pugnavit*, *coruscavit hastam.*

Nota phrasis Hebraica סָגַר רֶחֶם *clausit* (Deus) *uterum*, 1 Sam. I, 5. 6. (opposita alteri, *aperire* uterum Genes. XXIX, 31. XXX, 22.) et poetice, סגר דלתי בטן Jobi III, 10. Ad hunc quidem locum sciendum, non claudi uterum, ne exeat foetus lucemque adspiciat, sed *ne concipiatur semen.* Nempe, nocti maledicitur, qua Jobus conceptus est, quod non clauserit uterum matris ejus. Eodem modo et reliquis locis accipiendum, Rachela enim non concipiebat. — — Paulo aliter עצר רחם ponitur Genes. XX, 17. 18. sive de clauso gravidarum utero, ut eniti sobolem non

non possent, sive, quod potius reor, de clauso per morbos utero, impeditoque concubitu cum uxore et ancillis.

סְגֹר Ps. XXXV, 3. aliis nomen visum, veteres ut verbum verterunt, plerique, parum lucide apteve ad filum orationis, σύγκλεισον, *claude*, Hieronymus, *praeoccupa ex adverso persequentes me*, nescio unde, Aethiopicum tamen סגר verti solet, *celeriter incedere:* elegante sententia Syrus, ܐܨܡܚ *fulminare fac hastam tuam*, idque possit verbum significare, Arabibus enim a شَجَرٌ *lignum*, denominativum شَجَرَ est *hasta confodit*, quin generatim, *pugnavit*. Verbum si tenendum, hanc versionem praeferrem, praetulique in bibliis germanicis: *educ et corusca hastam in occursum eorum*. Ex eadem notione et Ps. XVII, 10. mutatis punctis חֶלְבָּמוֹ סָגְרוּ פִּימוֹ vertere possis, *unguibus suis pugnant*, *invalescunt*, (vide pag. 747.): est tamen, quod in novo tentamine displicet, unde in versione germanica eos sequutus sum, qui interpretantur: *obturant os suum pinguedine*, i. e. *cibis delicatissimis*. Possit et esse, eadem manente sententia, denominativum a شَجْرٌ, *oris hiatus*, *quod inter duas est maxillas*, *palatum*, vertique, *mandunt exquisitos cibos suos*.

1698. סְגֹר Ps. XXXV, 3.

seu, ut multi codices habent, סְגוֹר aliis nomen visum, teli aliquod genus significans. Sic quidem duae se offerunt satis probabiles explicationes: 1) *hasta lignea*, a شَجَرٌ *lignum*, de quo vixdum diximus. 2) σάγαρις, securis genus, quo Scythae, Persae, Amazones, pugnabant. Vide Herodotum l. VII. §. 64. Xenophontem de expeditione Cyri libr. IV. 734. (σάγαριν, οἵανπερ αἱ Ἀμάζονες ἔχουσιν) Strabonem libr. XV. p. 1067. (vel 734.) Camillae etiam suae, utpote Amazoni, bipennem dedit Virgilius. Nomen non Graecum, sed Asiaticum, quod et superesse in lingua Armenica, SACR, monuerunt Whistoni fratres p. 5. praefationis ad Mosis Chorenensis historiam. Forte et Persicum سُغُر *longis spiculis erinaceus*, ejusdem stirpis. Sauli Davidisque tempore gravia Israelitis cum rege Nesibis, cui Armenia subfuisse videtur, bella, potuerint ergo et nomina armorum Armenica recipere. Haec cum brevius attigisset Simonis, paulo dicenda plenius ac clarius existimavi.

Caeterum in hoc psalmi loco verisimilium interpretationum copia laboramus, verbum inter et nomen, ejusque duplicem significatum, dubii.

1699. סְגוֹר Job. XXVIII, 15. סָגוּר 1 Reg. VI, 20. 21. VII, 49. 50. X, 21. 2 Paral. IV, 20. 22. IX, 20. *aurum nativum purissimum.*

Punctis quidem differunt, סְגוֹר in Jobo, sine dubio aurum praestantissimum, et reliquis locis זָהָב סָגוּר, *aurum Sagur:* nec tamen ideo סְגוֹר Jobi ἅπαξ λεγόμενον dixerim, sed nomen ubique putem iisdem punctis instruendum. Forte et, codices si inspiciantur, aliqui in Jobo, ut reliquis locis, סָגוּר habebunt. Id unum interest, quod in Jobi libro סגור ut substantivum ponitur, in regum et chronicorum libris ut adjectivum, nomini זהב additum. His quidem in libris quin aurum sit communi praestantius, nemo dubitabit, id tamen et animadvertet, in sola occurrere Salomonis historia, cujus tempore aurum peregrinum ex Arabia et Ophiritide adferebatur, erantque in distinguendo auro ab auro curiosiores. Jobi quoque XXVIII, 15. in aurum consentiunt ex veteribus, Vulgata, *aurum obrizum*, Syrus simpliciter ܕܗܒܐ, Chaldaeus דְּהַב סְנִין *(aurum purum*, vel, *purgatum)* vertentes. LXX integros versus a 14 ad 20 omiserunt: ex quo autem ab Origene interpolati sunt, Theodotion, συγκλεισμὸν vertit, ornamentum credo aureum intelligens, catenulam a ligando dictam, colli? brachiorum? an pedum? id divinare non possum.

Aurum quidem *purum* vel *purificatum simpliciter*, esse vix potest, cum in historia Salomonis, in qua plura auri melioris ac secundarii nomina concurrunt, a זהב טהור distinguatur. In Jobi capite, toto prope metallurgico, plura auri nomina concurrunt atque adeo, nisi tautologiae languidae grandisonum poetam reum agere velis, aliquando alia ab aliis distincta: 1) זָהָב v. 15. 2) פָּז v. 16. 3) כתם אופיר v. 16. 4) כתם טהור v. 19. denique 5) nostrum סגור v. 15. Hoc ergo auri nomen unde ortum? et quid? quam speciem proprie significat?

Derivatio, quam plerique habent, *aurum clausum*, parum probabilis, vix enim video, quomodo aurum clausum a vulgari differat, quod foras projicere non solemus, virtute? laude? puritate? nec adsequor, cur auri clausi in sola Salomonis historia, Jobi capite metallico excepto, mentio, maxime cum ibi non claudatur, sed vasis templi, domusque Libani,

bani, conflandis impendatur, aut parietibus inducatur. Theodotionis explicatio et etymologia, si in Jobo locum tueri possit, at libro regum et chronicorum plane inepta.

Paulo peritioribus, aut, si id nimis magnum, curiosioribus historiae naturalis si esse contigisset lexicographis, commentatoribus, philologis, statim credo vidissent, quid sit; auro etiam puro praelatum, זהב סגור. شجر Arabibus, *arbor*, cum plurimis suis derivatis, quarum aliqua, *ramosum*, et *divisionem* notant: hinc זהב סגור erit, etymologice, *aurum arborescens*, ut germanice in Jobo verti, *baumartig gewachsenes Gold*, lingua naturae peritorum, *aurum nativum, capillare, dendroides*, ex nativo auro rarissimum inque maximo pretio habitum. Aurum *nativum*, *ἄπυρον*, ut dictum, valde admirati sunt veteres, cui et virtutes medicas magicasque tribuunt, superstitione pretium augente.

In Jobi capite, per quod totum maxima regnat rei metallicae, et fodinarum metalli peritia, hoc proprio sensu acceperim. In Salomonis historia tanta occurrit copia, quantam auri arborescentis ne nunc quidem orbis terrarum habet, ut vel vasa ex eo omnia domus Libani pararentur: in illa ergo latius pro omni auro nativo poni putem. Nec vero praestiterim, omne quod ibi memoratur aurum, nativum fuisse, sed pro nativo majore pretio Salomoni vendebatur, multae enim in auro nativo fraudes, mendacia multa Arabum, ut vel auri nativi frusta, nucis castaneae magnitudine mentirentur. Vide Spicilegium geogr. Hebr. exterae T. II. p. 186–188.

1700. מִסְגְּרוֹת 2 Sam. XXII, 46. Ps. XVIII, 46. Mich. VII, 17.

Prorsus adstipulor recentioribus, his tribus locis *claustra*, *castella*, vertere solitis: miror tamen plerosque veterum ab illis dissidere. Solus praeierit forte Chaldaeus, ubique בירינות *arces*, vertens. — — At 1) *vincula* habet in lexico Kimchius sub חרג, quo et, aut ad carcerem, referendum quod LXX habent, *συγκλεισμός*. Possint sane victi dici, ex carceribus prodire, victori supplices. At jam minus verisimiliter in psalmo, *angustias*, in Micha, *aedes* interpretatus est Hieronymus. Verum quod mirari maxime possis, Syrus ubique ܫܒܝܠܝܗܘܢ *vias ipsorum*, sicque et Ps. XVIII, Graeci *τρίβους*, Vulgata, *semitas*. Hanc notionem vocabulo unde dederunt? Nihil interrogatae linguae Orientales suggerunt.

1701. סגריר *pluvia* Prov. XXVII, 15.

Significatio ἅπαξ λεγομένου, ut videtur certa. Contulit illi illustrandae et firmandae Simonis Arabicum سجر *aquâ implevit fluvium:* gratus accipio, subintelligendumque puto, *pluvia*, i. e. ita large pluit, ut fluvius intumesceret. Exploratius tamen et clarius videtur, Samaritanum סגרה, Syriacumque ܣܓܪܝܪܐ *pluvia*, quod ipse Syrus interpres Proverbiorum posuit. Barali in lexico suo habet, ܣܓܪܝܪܐ ܕܝܘܡܐ, idque interpretatur, *dies nebulosus, atque pluviae et nivis.*

1702. סד *nervus* Job. XIII, 27. XXXIII, 11.

Rarioris vocabuli significatio certa, nec ex contextu solum, veterumque auctoritate, qui vertunt, Vulgata utrobique, *in nervo*, priore loco Aquila ἐν ξυλοπέδῃ, Symm. ὑπὸ ξύλον ἐρκτῆς, posteriore LXX, ἐν ξύλῳ, sed et ex linguae Syriacae usu. Syris ܣܕܐ *nervus*, qua significatione pro ξύλον ponitur Act. XVI, 24. hocque ܣܕܐ in utroque Jobi loco harmonice Syrus posuit, ab Arabe latius وثاق *vincula* redditum. De ξύλῳ, quo pedes includebantur, ejusque variis speciebus, quarum teterrimae caput quoque et brachia inserebantur, vide Julium Pollucem l. VIII. c. 72. Caeterum est sine dubio, ut dudum monuerat Cromayerus ad Jobum, exque eo sumserat Simonis a شدّ *constrinxit, ligavit;* mirorque, Schultensium id mirari, atque ad سدّ *obstruxit* referre. Analogia adeo linguarum pro ס exigit ش: vide grammat. Arab. §. 2. n. 7.

1703. סדין *Sindon* Jud. XIV, 12. 13. Prov. XXXI, 24. Jes. III, 23.

Vix dubitandum, quin idem sit atque Graecum, σινδὼν, quod et LXX in Judicum libro et Proverbiis reponunt, vestis maxime dormitoria, licet et latius nominis usus pateat. Vide Marc. XIV, 51. Herodotum l. II, 95. et Schroederum de vestitu mulierum cap. XVII. maxime p. 356. *Lintea* solebant esse, (quod nomen et linum Aegypti, gossypium complectitur,) nec ergo mirandum Judic. XIV, 13. pro σινδόνας, quod in versu 12 praecesserat, alios codices habere, ὀθόνια, atque a LXX Jes. III, 23. τὰ βύσσινα verti.

De solo vocabuli, origine certe non Graeci, etymo dissensus. Etymologicum magnum a Sidone nomen ductum, edicit, Sidonios enim pri-

primos Sindones fecisse, unde et omisso N, Σιδὼν scribit. Jam hoc audaciusculum: verum Hebraicarum literarum perito plane haec probari etymologia non potest, urbis enim nomen צִידוֹן, vestimenti סדין. Schultensius contra et Schroederus ex Arabico سدن *laxavit, demisit vestem suam*, nomen Hebraicum repetunt: verisimilius illi quidem, maxime cum Syriacum ܣܕܝܢܐ ܣܕܝ Thomas Novariensis p. 203. thesauri, ultro *feminalia longa et ampla* interpretetur. At Copticae originis facit Forsterus, de bysso, §. 18. p. 85. 86. ad Aegyptium *Schthen* vestis splendida et fimbriata, ac *Shento*, quod Coptica versio pro Σιδὼν ponere soleat, referens. Multa sunt, quae Graeci Hebraeis communia habent, ab Aegyptiis accepta, vestium maxime nomina: origini tamen Orientali nostri nominis favet, quod et reliquae habent linguae Orientales, secus ac solet esse in Aegyptiis, Syri ܣܕܝܢܐ, Arabes سدانة: mihique si derivationis optio detur, malim a *velando*, quam a laxando סדין ortum, ut Arabicum سَدَنٌ *velum*. Sindones plerumque, non vestes corporis formae aptatae, sed involucra nocturna, quibus corpus involvebatur.

1704. סֹהַר *excubiarum locus, praetorium.*

Non occurrit, nisi in historia Josephi, Genes. XXXIX, 20–23. XL, 3. 5. ipsi Mosi interpretatione opus habere visum, versu enim vicesimo post בית הסהר interpretationis caussa addit, מקום אשר אסירי המלך אסורים *locus ubi vincti regis custodiebantur*. Ergo forte ex antiquiore monumento historico, quo Moses usus, fluxit. Carcerem esse, non dubium; at unde dictus, non aeque expeditum. Voluerunt plerique, *a rotunditate* nomen ei ductum, quod turris esset: sed haec ipsa rotundi notio gratis sumta, Arabibus Syrisque ignota. Ipse quidem a poena olim dictum putabam carcerem, Arabibus enim شهّر esse παραδειγματίζειν (*): sed abdico, شهّر enim non generatim est, punire, sed, *per urbem ignominiae caussa ducere sontem, publico spectaculo exponere*.

Jam ad سهر referre malim, *vigilavit*, de cujus verbi ejusque derivatis, consule Castellum, exempla addentem, quibus Golius caret. Syri

(*) Biblioth. Or. prior T. IX. p. 203.

ri ſub שׂ habent, ܣܗܪ. Utrumque verbum Prov. VIII, 34. reperies, ubi pro Hebraico לשקד, Graecoque ἀγρυπνῶν, Syrus habet ܕܢܣܗܪ, Arabs, ان يسهر. Hinc et lunam, tanquam *vigilem nocturnum terram circumeuntem* dixerunt Arabes. Hinc jam סהר proprie, *vigilia*, בית הסהר *domus excubiarum*, *praetorium*, in quo captivos ſervari cui non genti ſolitum? Germanice diceres, *Hauptwache*, Gallice, *Corps de Guarde*: hoc ſolo diſcrimine, quod hic quidem ſatellites regii excubias agunt, de quibus vide ſub טבחים n. 898. dicta, ut proprio ſenſu praetorium ſit intelligendum.

Quaerere forte et hic poſſis de Arabico ساهرة, varia in lexicis interpretatione, inter quas et, *gehenna*, ſitne noſtro idem? eodemne nomine et carcer dicatur infernalis? Equidem dubito. Omnis quaeſtio redit ad locum lexicographis non citatum Corani, Sur. LXXIX, 14. ubi de reſurrectione mortuorum: *erit momentum temporis unicum*, (quo buccina canitur) فاذا هم بالساهرة, *et illi* (mortui) *erunt in Sahire*. Hic jam alii ſuperficiem terrae intelligunt, gehennam alii, forte neutri recte, quid enim ſi *ſtatum vigilantem*, *pervigilium* intelligas?

Unum etymologiae opponi poſſe video, سهر Hebraice per שׂ ſcribendum videri, שׂהר, ut et apud Syros ſcribatur: nec mihi aliquid ſupereſſe dubii diſſimulo. Vide ergo et infra ſub סחר, quae varia eſt lectio hujus loci, dicenda.

De veteribus ſi quaeras, parum hic illi opis adferunt, liberius vertentes. Chald. Syr. Sam. בית אסירי (quod quidem v. 20. auribus diſplicet, cum ſtatim ſequatur מקום אשר אסירי המלך אסורים) Vulg *carcerem*, ſicque et Arabs, Pol. سجن Erp. حبس. Soli paulo ſignantius LXX ὀχύρωμα *munimentum*, ſed quod forte ad lectionem סחר referendum.

1705. סוא 2 Reg. XVII, 4.

Nomen regis Aegyptii, circa initia regni Hiskiae, valde dubium et controverſum. Vide, quae de eo dubitavi in notis ad 2 Reg. XVII, 4. et compara Marſhami canonem chronicum, Seculi XVI, ſub *Sabacone*. Hic quidem de lectione dubia aliquid dicendum. Cum punctis faciunt, et סוֹא habent, Chaldaeus et Syrus; proximi his, LXX (ex codice Alexandrino, et Compl.) Σωα vel Σουα. Vulg. *Sua*, סוּא: poſſis et סָוא

effer-

efferre, exque hoc nomine *Sevechum* nonnullorum facere. Decem codices Kennicottiani per Jod, סיא, scribunt, sed hunc sonum nemo veterum expressit. In multis editionibus, ac plerisque huc usque consultis codicibus versionis Graecae, Σηγὼρ, legitur, vitiosum, ut puto, nec quidquam obscuro nomini novae lucis adferens. Hebraice foret סִיעֹר.

1706. סוּג.

Recedendi, avertendi se notione, qua Hebraeis receptum, non habent reliquae linguae Orientales, sola forte excepta Arabica, cui, Giggeo teste, سَوْجَان est, *abitio, et adventus*, a ساج *lentiore gradu incessit.*

Huc et plerumque referunt סוּג לֵב Proverb. XIV, 14. *recedentem corde* vertentes: sic et accepisse ex veteribus videtur Hieronymus, in Vulgata, *stultum*, interpretatus. Plane aliter, consentientes, ut et alias in Proverbiis solent, LXX θρασυκάρδιος, Ar. جَسُور القَلْب, Syrus, ܟܠܒܐ ܕܡܚܣܢ ܠܒܗ, et Chaldaeus, מִן דְּמָרִיחַ לִבֵּיהּ, *audax corde.* Nisi fallor, spectarunt significationem verbi Aramaeam, *sepire, muro obducto munire*, quam et sub سَيَّج habent Arabes: *munitus corde* illis, *audax*, is, cui *robur et aes triplex circa pectus.* Proximus his, sed non eos citans, et nimis in vertendo etymologicus, *dissepium corde*, reddidit Schultensius, i. e. ut in notis explicatur, *refractarium.*

Ex neutra harum versione satis lucet sententia, membrorumque versus oppositio. Mihi quidem סוּג hic non verbum est, sed nomen, idem significans quod סִיג *scoria:* hinc in bibliis germanicis verti, *viis suis satiatur* (i. e. dignam operibus mercedem accipit) *scoria cordis*, (i. e. cujus cor, scoria, metallum adulterinum) *et metallo suo probato* (מֵעָלָיו, quod vide infra sub עלל) *vir bonus.* Forte et ad scoriae notionem referendum כֻּלּוֹ סָג Ps. LIII, 4. *omnes sunt adulterinum metallum*, ut fortius verbum de industria positum pro psalmi XIV כֻּלּוֹ סָר *omnes recesserunt.*

1707. סוּג, סִיג, סִיגִים *scoriae, adulterinum metallum.*

Scorias quin significet, haud dubitandum, sciendum vero, *scorias (Schlaken)* duplicis esse generis:

1) *eas, quae ab ipsa minera metalli igne secernuntur, partes terreas et lapideas, metallo admixtas.* Hae igne in vitrum conflantur, (vitrescunt, ut metallurgi dicunt,) suntque viliores scoriae, quibus, ubi nancisci eas possumus, in viis sternendis utimur. Non negaverim, et hoc significatu סִיגִים Hebraeis usitatum fuisse, est tamen in codice Hebraico rarior. Unicum ex illo locum interpretandum censeo, Prov. XXVI, 23. כֶּסֶף סִיגִים מְצֻפֶּה עַל חָרֶשׂ *argentum scoriarum argillae obductum.* Nempe, vasis ex argilla paratis, ollis, obducimus scoriam argenti, i. e. plumbum ab argento separatum, inque vitrum mutatum; *Glasur* germanice vocamus. Ejusmodi vasi argillaceo, scoriis argenti incrustato, comparantur labia ardentia et cor malevolum. Argento quidem nemo argillam incrustaverit, ne simulato quidem.

2) *eas, in quas ignobilius metallum, auro argentoque admixtum, conflatur, atque ab auro argentoque puro igne secernitur.* Sic ex plumbo argentum admixtum extracturus, plumbum igne in vitrum (scoriam) redigit, quam scoriam deinde iterum chemica et metallurgica arte id fieri cogit, quod fuerat, plumbum ex ea restituit. Sic quidem, dum auro argentoque admixtum, est *adulterinum metallum, ἀδόκιμον,* fornacis ope in scorias redigendum. Hoc sensu ubique in sacris literis ponitur, estque classicus Ezechielis locus, c. XXII, 18. *domus Israelis facta mihi est,* לְסִיג *in scoriam* (ἀνεμεμιγμένον hic LXX vertunt) idque declaratur, *omnes illi cuprum, stannum, ferrum et plumbum sunt in fornace,* iterumque additur, סִגִים כֶּסֶף הָיוּ *scoriae, qui antea argentum, factae sunt.* Sic et sine dubio sumendum Jes. I, 22. *argentum tuum factum est* לְסִיגִים, (ἀδόκιμον LXX verterunt, et Syrus ܐܣܬܠܝ rejectum est) Ps. CXIX, 119. סִיגִים הִשְׁבַּתָּ כָל רִשְׁעֵי אָרֶץ, *ut adulterinum metallum aboles omnes malos terrae,* vel, ut aliqui veterum legebant, habetque codex Kennicotti 30, חָשַׁבְתָּ, interprete Hieronymo, *quasi scoriam computasti* (melius, *pro scoria reputasti*) *omnes impios terrae.* Prov. XXV, 4. *removete adulterina metalla ab argento, et prodibit ex quo vas aurifaber conflare possit.*

Caeterum de scriptione vocabuli notandum, plerumque cum Jod scribi סִיג, ejusque loco Ezech. XXII, 18. in Kethib, סוּג, ad quam scriptionem et Prov. XIV, 14. retuli, unusque praeterea codex Kennicotti Prov. XXVI, 23. סוּגִים habet. Sic quidem adulterinum metallum et scoriae nomen acceperunt a סוּג *recedere*, tanquam *recedanea*, quae igne a puro me-

metallo ſeparantur. At eſt, ubi et ſine Jod, סִגִים vel adeo סִגִּים ſcribitur, Jeſ. I, 22. 25. Ezech. XXII, 18. 19. ſed magna ubique lectionis plenioris quam ex Kennicotto diſces, varietate: סִגְּגִים G geminans, ſi verum eſſet, referendum foret, ad شَجَّ 1) *vulneravit* 2) *diluit aqua vinum*, unde et adulteratio metallorum dici potuerit: verum diſplicet Dageſch, ac סִגִים, ſi modo vera, compendiaria ſcriptio pro סִיגִים eſſe videtur.

סוּר quaere ſupra ſub יסר p. 1100.

סָךְ Pſ. XLII, 5. quaere ſub סכך.

1708. סִיוָן Eſther VIII, 9.

Tertius menſis Hebraeorum, quantum lunares menſes ſolaribus comparari poſſunt, fere noſter Junius, inque ejus maximam partem incidens. In nulla alia lingua Orientali, nec in alio codicis Hebraici libro nomen occurrit: ac ne quidem in Graeco exemplo, quod plane mutata hiſtoria primum menſem habet, *ἐν τῷ πρώτῳ μηνὶ· ὅς ἐστι Νισὰ* (ניסן). Suſpectum mihi, cum libro ipſo, nomen Hebraicum, videturque exoticum. Nec ſcripito certa, in codicibus enim Kennicottus et, סון invenit, et סוון, et ויסן: inque menologio codicis Vindobonenſis (Lamb.) 34. Hebraeo-Aegyptio, Treſchovius tertii menſis nomen Hebraicum invenit *ψεθουαν*, quod Aegyptie redditur *Φαμενώθ*. Vide ejus *tentamen deſcriptionis codicum N. T. Graeci in bibliatheca Caeſarea* p. 129. Una litera Θ demta, *ψεουαν* erit Hebraicum סיון, *Sioan* adpellatum, praepoſito Π Aegyptio. Eſtne nomen ipſum Aegyptium? Ergo de etymologia Hebraica anquirere nolim, ſed potius a Copticae linguae peritis reſponſum petere.

1709. סון vel סונה *Syene.*

סְוֵן, ſeu ut puncta efferri jubent maſorethica, סְוֵנֵה Ezech. XXIX, 10. XXX, 6. non poſſum non cum plèriſque interpretum Syenem habere, urbem Aegypti verſus Nubiam prope ultimam, ad Nilum, gradum inter 22 et 23 (minuta enim, de quibus nihil certi habemus, non addo) nunc Aſſevan, اسوان, cum Elif proſthetico Arabum, de qua vide Abulfedae Aegyptum num. 51. measque ad illam notas. Graecis eſt *Συηνη*, nomen nobiliſſimum, ſed quod per Υ conſonantem adpellandum *Svene* arbitror, non, ut Latini ſcribunt, *Syene:* ſic certe ſvadet noſtri temporis adpellatio. Maſorethae He partem nominis arbitrati haec ei

puncta subjecerunt, סְוֵנֵה haud probabili sententia: *vastabo omnem terram Aegypti* מִמִּגְדֹּל סְוֵנֵה וְעַד גְּבוּל כּוּשׁ *a turri Syenes, et usque ad fines Aethiopiae:* urbem habemus Syenem, non turrim, estque ipsa prope extremus Aegypti limes australis, cui, ubi tota vastanda Aegyptus, borealem aliquem opponi fas erat. Ergo סְוֵנֵה cum He paragogico locali extulerim: *vastabo Aegyptum a Magdol* (urbe, duodecimo lapide a Pelusio, maxime septentrionali) *Syenen usque, et usque ad fines Aethiopiae*, (i. e. etiam quae ultra Syenen in Nubia possident Aegyptii). Sic et c. XXX, 6. ממגדל סְוֵנֵה *a Magdolo Syenen usque cadent confossi ejus*. Hic quidem plane ita optimi Aegypti cognitores, LXX, ἀπὸ Μαγδωλοῦ ἕως Συήνης, at c. XXIX, 10. plerique codices nomen urbis per O scripserunt, ἀπὸ Μαγδωλοῦ καὶ Σοήνης, καὶ ὁρίων Αἰθιοπίας, sicque jam ibi legisse videtur Hexaplorum interpres Syrus, ܣܘܐܢܝܣ scribens. Sed sunt hae minutiae, quis enim dubitabit, quin Σοήνη, Συήνη atque adeo Σουήνη, ejusdem urbis nomen sit, aliter modo scriptum?

Ut nunc editi sunt LXX, etiam pro סִין Ezech. XXX, 16. Syenen habent, forte סוֵן legentes, aut quod utroque modo nomen urbis Hebraicum scribi posset. חול תחיל סין *ταραχῇ ταραχθήσεται Σουήνη*: at Hexaplorum interpres Syrus Σάϊς legisse videtur, reddens, ܡܕܠܚܢܘܬܐ ܬܬܕܠܚ ܣܐܝܣ. Unus quidem Hexaplorum interpres, ab Origene mutatorum, non sufficit, sunt hic codices plures Graeci consulendi.

1710. סוף, *alga, et marina et Nilotica.*

סוף duplici significatione occurrit, algae in mari, aliusque in Nilo nascentis, plane ut Aegyptium nomen SARI, eandem ambiguitatem habens.

1) *Alga aliqua marina* est, (*Meergrass, Sargasso, Gouëmon, fucus natans*) in fundo maris nascens, cujusque folia et baccae summo mari innatant, ex qua ים סוף, *mare algosum*, nomen accipit. Verba habe *Lupi* (Lobo) qui in itinerario (*Voyage historique d'Abessinie, du R. P. Jerome Lobo, traduit du Portugais par M. le Grand. Amsterdam 1727.*) descripsit, ut ipse per mare navigans viderat. De nomine, *mare rubrum*, disputat, negat, ipsam aquam ullibi rubere, pergitque p. 51. 52.: *nous ne l'avons pas jamais vüë rouge, que dans les lieux où il y a beaucoup de Gouëmon; et comme dans ces lieux il n'y a plus d'une brasse*

brasse ou d'une brasse et demie d'eau, je faisois plonger un Caffre, que nous menions avec nous, et il rapportoit toujours du Gouémon, et lorsque ce Gouémon étoit arraché, l'eau ne paroissoit plus rouge, et reprenoit sa couleur naturelle; de sorte, que ce rouge, qui paroissoit à nos yeux, n'étoit que la couleur du Gouémon, et non celle des eaux. Il y a beaucoup de cette herbe dans la Mer rouge, et le sel de la mer n'empêche point, qu'elle ne produise des racines, des herbes, et même d'arbres. — Haec quidem herba Aegyptiis SARI, Hebraicum enim nomen sinus Arabici, ים סוף, reddunt, ΦΙΟΜ ΠΣΑΡΙ, *mare Sari* (La Crozii lexic. Copt. p. 121. 122.)

Liceat descriptionem hujus algae marinae ex *Caroli Clusii libris exoticorum p. 293.* seu potius ex *Christophori Acosta*, cujus librum *delle droghe medicinale* ibi latine vertit, totum excerpere, cum plerisque lectorum non ad manus futurum arbitrer: *de Sargaço caput IX. In celebri illa nec minus metuenda navigatione del' Sargaço, (sic enim totum illud Oceani spatium a decimo octavo gradu ad trigesimum quartum tendens, qui in Indias navigant, appellant,) conspicitur profundum et spatiosum aequor, tectum herba quadam,* Sarguaço, *nuncupata, primum longa, tenuibus ramulis in glomos convoluta, foliis angustis, tenuibus, et dimidiam unciam longis, in ambitu admodum serratis, colore subrufo. — — Ad singulorum foliorum exortus inhaeret semen rotundum, ut granum piperis inanis et vacui, tenui colore albo, interdum autem rubro et albo coloribus mixtis tinctum, tenerum admodum, dum primum ex aqua educitur, et durum si exsiccari sinatur, sed propter tenuitatem admodum fragile, salsa aqua plenum. Nulla radix in hac planta conspicitur, sed sola rupturae vestigia adparent, atque in profundo arenosoque maris alveo nasci, tenuesque ramos obtinere credibile est.* Delineationem plantae, ut ex mari eminet, sub hac inscriptione, *in eadem regione* (ab occidente capitis Bonae Spei) *herba Sergasso invenitur, sicut cum venitur sub gradibus 15 poli Arctici usque ad 35 gradum, distando ab ora Guineae 200 milliaria fere* reperies *in G. M. A. W. L. prima parte descriptionis itineris navalis in Indiam (Amstelodami 1598.)* fol. 50. 51.

De alga marina accipiendum esse, quod Jonas cap. II, 6. canit, סוף חבוש לראשי, dubio jam caret: relege tamen, si quid dubii oriatur, si juncum pro alga poni videas, aut si veteres de alga differentes audire cupias, Celsii hierabotanicon T. II. p. 66-69. quod nolim compilare, ipse seorsim editurus. Hic tamen non illa fuci marini species intelli-

telligenda, quae proprie Sargasso dicitur, sed aliae maris etiam mediterranei indigenae, ut, quam *Hellespontiacam* dixit Ovidius, idque dictum Celsius loco citato illustravit: nec enim putem fabulam (*) sic institui, ut Jonas jam ex freto Gaditano enavigarit, sitque procella in illa usque circa gradum 35 maria projectus, in quibus Sargasso nascitur.

2) *Alga* et est *Nilotica* paludumque Aegypti, SARI Aegyptiis, de qua Plinius l. XIII. hist. nat. cap. 13. *fruticosi est generis SARI circa Nilum nascens duorum ferme cubitorum altitudine, pollicari crassitudine, coma papyri, similique manditur modo.* Huc et retulerim, quae Hesychius habet, *Σάριν, Σάρον, Φυτόν τι γενόμενον ἐν τοῖς κατ᾽ Αἴγυπτον ἕλεσι.* Sic quidem סוף positum Exod. II, 3. (non de papyro, ut aliqui, quos refellit Celsius, male conjecerunt, sed de Sari, papyri quodammodo simili) et Jes. XIX, 6. Nomen SUF, lexicis Aethiopicis ignotum, adhuc in Aethiopia vigere dicit *Lobo*, p. 53. itineris, sicque describit: *Suf est le nom d'une herbe ou d'une plante, que l'on trouve en Ethiopie, de la Grandeur du Chardon, la fleur est même assez semblable à celle du chardon, à la couleur près, qui approche beaucoup de celle du Saffran. Les Abessins s'en servent beaucoup dans leurs teintures, et en font un incarnat très beau.* Cuperem plura et certiora: Suf Aethiopum, Sari Aegyptiorum, Suf Hebraeorum suntne idem?

Caeterum est hoc nomen Hebraeis frequens, reliquis linguis aut ignotum aut rarum: Arabes plane non habent; Syri non nisi ut nomen proprium maris Erythraei ponunt, ܝܡܐ ܕܣܘܦ, reliquis ubi סוף occurrit, locis, interpretantur, atque ita ut alicubi non intellexisse videantur, ut Jes. XIX, 6. papyrum, Jon. II, 6. *imum maris* (quasi, סוף finem) Genes. II, 3. ܣܘܦܐ; quod quid sit ignoramus: solus Samaritanus Genes. II, 3. 5. סוף harmonice סופה interpretatus est. Aethiopes habere supra dixi, teste Lupo; verum non id de lingua antiqua, Arabicae filia, intelligendum videtur, sed de vernacula, nunc, Amharica, quae nulla cognatione linguarum Orientalium tenetur. His cum accedat, quod ne etymologiam quidem linguae Orientales offerunt, exoticum mihi nomen esse videtur, forte, ut planta ipsa est, Aegyptium. A Copticae ergo linguae peritis lucem peterem: sed ejus quam exigua ex naufragio fragmenta supersunt?

(*) Nempe non historia, sed fabula doctrinalis et moralis esse videntur, quae de Jona narrantur. Vide adnotationem germanicam ad caput Jonae primum.

1711.

1711. ים סוף *mare Erythraeum, ſinus Arabicus.*

Significatio, ante Hermannum van der Hardt, cujus deliria erudita etiam in tabulas geographicas ſuſcepta ſunt, alioquin cum ipſo ejus nomine ſubticenda, ſatis indubia: illud mare, quod ab Aſia Aegyptum dirimit et per cujus extremum alveum, juxta Sues, duplici refluxu maris et vento contrario aeſtui exſiccatum, Israelitae tranſierunt. Dictum putem ſinum Arabicum ab *alga marina, (Sargaſſo)* quae inde a decimo octavo latitudinis gradu in eo creſcit; quamque Lobo vidiſſe ſe teſtatur, rubro colore mare quodammodo inficientem. Vide praecedens סוף, et recordare, Coptice *mare Sari* dici, ab eadem planta. Nullam quidem algae marinae; (Sargaſſo) mentionem in itinerario Niebuhrii per hoc mare, aut in ejus deſcriptione Arabiae, fieri memini; contra Lupus ſupra citatus, eam ſe vidiſſe atque adeo adcuratius inſpexiſſe teſtatur: nec vero hi fide digniſſimi ſinus Arabici exploratores ſibi contradicere exiſtimandi; alter, Niebuhrius, Aſiaticum Arabicumque litus legit, ne unquam quidem Africam ejusque littora ſe conſpexiſſe memorans, ergo in hac Aſiatica parte ſinus Arabici nulla alga, nec id mirum, cum ſit prope totum hoc littus Aſiaticum coralliis abundans: contra Lupus ad Africanum littus adpellens, Aethiopiam aditurus, ibi vidit mare vere algoſum et deſcripſit, utinam addidiſſet, quo loco et qua ſub latitudine! ſed quilibet bonam Aegypti aut Africae delineationem inſpiciens, et gradum latitudinis 18 quaerens, facile conjiciet. Suſpicor, et ab hac ſinus Arabici parte totum ſinum nomen, *maris rubri*, *ἐρυθρᾶς θαλάσσης*, accepiſſe: ut mare Africae occidentale circa promontorium viride ab alga innatante Hiſpanis, *mare Sargaſſo*, nobis *mare viride* dictum: ſed hac de re aliis aliter viſum.

Ex antiquis interpretibus ſunt, qui nomen fere ut proprium retinent, Samaritanus, ים סוף, Chaldaei, ימא דסוף, Syrus ܝܡܐ ܕܣܘܦ, vel ܝܡܐ ܕܣܘܦ, nec modo ubi Hebraica vertit, ſed et in Novo Teſtamento pro Graeco *ἐρυθρὰ θάλασσα* Act. VII, 36. Hebr. XI, 29. Rarius idem faciunt Arabs, بحر سوف Jud. XI, 16. 1 Reg. IX, 26. atque ex quibusdam editionibus LXX Jud. XI, 16. *θάλασσα Σίφ.*

Alii nomen, quo ſua lingua mare vocatur, reponunt, in ſinum Arabicum, (de quo recentiores diſputaſſe infra dicemus) conſentientes. LXX fere ſemper *ἐρυθρὰ θάλασσα*, exque illis Vulgata, *rubrum mare:* niſi

quod interpres librorum Regum lib. 1. c. IX, 26. ad סוף, *finis*, referens, ἐσχάτην θάλασσαν, *ultimum mare*, vertit. Videtur a Palaestina valde remota, jamque ad Aethiopiam vergentia sinus Arabici intellexisse, fere ut Josephus Ant. VIII, 6, 4. Salomonem aedificasse naves ait, ἐν τῷ Αἰγυπτιακῷ Κόλπῳ *in sinu Aegyptiaco*, Essiogabbaram Berenicen interpretatus, portum Aegyptiorum (*) celeberrimum, Ptolemaeo sub latitud. 23 gr. 50 min.

Ex recentioribus aliqui, ים סוף, *mare Suf*, per quod Israelitae transierunt, abdicato mari Erythraeo veterum omnium, *lacum* esse *Sirbonidem*, ejusque *ecreugma*, quo mari mediterraneo jungitur, esse statuerunt, nominum adeo *Suf* et *Sirbonis* concentu novam ac conjecturalem geographiam fulcientes: nec delirus modo *Hermannus van der Hardt*, qui lacum, et vero Aprili mense, messis triticeae tempore, ita glacie constitisse fingebat, ut sexcenta virorum millia, cum uxoribus, filiisque et jumentis, transire per glaciem possent, Aegyptii rupta glacie mergerentur, (quamquam ejus fere discipuli sententiam maxime per Germaniam propalarunt), sed et vir prudentior, cujus manes mihi ignoscant, quod ejus nomen statim post Hardtianum legatur, *Hasaeus in regno Davidis* inde a pagina 202. hic quidem non de glacie somnians, sed terrae motu subsedisse aquam lacus existimans, ut transire Israelitae possent. Vocem de hac non misissem sententia, si unius fuisset Hardtii, ejus enim somnia quis persequi aut de illis serio deliberare dignetur? at cum, et Hasaei, magni viri, inque geographia classici, calculum tulerit, atque ab Harenbergio in Palaestinae, quam edidit, delineationem, mendacissimam quidem, recepta, in plures deinde tabulas geographicas dimanaverit: rationes reddendae videntur, ob quas ים סוף mare Erythraeum habeam, non lacum Sirbonidem.

1) Primo unanimis veterum consensus, quos inter LXX, in Aegypto viventes, geographiaeque Aegyptiae peritissimi, rem pene conficere videtur. Praeviderat Hasius et reposuerat: *cui non nisi vulgatae sententiae placent, ei suam libenter relinquimus.* Haecne in geographica quaestione effundenda, in qua plurimam valet unanime antiquorum, maxime indigenarum, testimonium? a quo tum demum recedendum, ubi

(*) Non ignoro, Cellarium T. II. p. 687. geographiae, Berenicen habere Arabiae Petraeae, sed est ex hoc unico Josephi loco sumta, quem errare ac de Berenice Aegypti cogitare potuisse non suspicabatur; nec, ut ipse fatetur, ab alio quocunque memorata.

ubi falsi aut absurdi convictum fuerit. Nec hic interpretes modo bibliorum consentiunt, sed et Josephus, et Philo, et Aegyptii, qui de trajectu maris Erythraei disputasse feruntur, sacerdotes. His omnibus contradicere, cum nihil absurdi dicant, idque ex concentu nominum SUF et SIRBONIS, id vero est, geographiam condere conjecturalem atque etymologicam, non historicam.

2) Id quidem certum, Mosi ים סוף Exod. X, 19. mare magnum esse ab Oriente Aegypti, in illud enim ventus ab Occidente flans, locustas demergit. Hardtius aliquis sit, qui locustas totius Aegypti a vento occidentali in lacu Sirbonide mersas sibi persvadeat.

3) Exod. XIII, 17. 18. ipse expressis verbis narrat Moses, non proxima in Palaestinam via per terram Philistaeorum duxisse deum Israelitas, sed per ambages ad mare Suph. Ergo mare Suph non est lacus Sirbonis, Aegyptum inter et Gazam, primam Philistaeorum urbem, interjectus.

4) In trajectu extremi sinus Erythraei prope urbem Sues, nihil incredibile, ac ne miraculo quidem opus, sed singulari providentia dei, si ita rem instituas, ut Moses narrat, copiosiusque in adnotatis germanicis ad Exod. XIV. exposui. At Sirbonis lacus si talis, qualem eum Diodorus Siculus libr. I. c. 30. describit, a sexcentis adultorum millibus, cum conjugum et liberorum, ut minimum dicam, 1400 millibus, ne exsiccatus quidem, trajici potuerit. Primo est, *profunditatis admirandae*, (τῷ βάθει θαυμάσιος) ut quidem terrae motu, quem in subsidium vocat Hasius, exsiccari non potuerit, sed fac, aqua siccum fuisse, qui potuerunt 2000 hominum millia cum jumentis, altam voraginem ibi relictam una nocte superare? Deinde plus etiam periculi atque impedimenti arena adferebat quam aqua: *si qui,* pergit Diodorus, *imperiti loci propius accedunt, periculis haud exspectatis involvuntur. Arctus enim cum sit alveus, fasciaeque similis, et vasta littoris crepidine undique circumfusus, perpetuo Austri flatu magna vis arenae ingeritur, quae facit, ut aqua haud adpareat, paludemque terrae ita facit similem adspectu, ut dignosci nequeat. Ideo multi, naturam loci ignorantes, cum totis exercitibus absorpti interierunt,* (μετὰ στρατευμάτων ὅλων ἠφανίσθησαν). *Nam arena pedibus calcata sensim subsidit, et tanquam callido dolo vestigia fallit, donec, quid eventurum sit suspicati, mutuo sese adjuvent, fuga tamen et salute interclusa: nam haustus a gurgite neque natare, coeno motum corporis impediente, neque egredi valet, cum nihil sit*

 quod

quod gressum sustentet. Huc ergo delati, quoniam nihil auxilii suppetit, subterlapsante cum ipsis e margine arena, ad ima delabuntur. Hic quidem aquam paludis exsiccare non suffecisset, sed alio miraculo opus erat, ne arena Israelitae obruerentur.

1712. מוּסָר Hos. V, 2. num a סור?

Estne, ut fere volunt, radicis יסר? an participium Hophal a סור. *recedere: ego sum rejectus omnibus*, proprie, *a quo omnes recedunt eumque fastidiunt?*

1713. סוּרָה Jes. XLIX, 21.

Vocabulum obscurius, quod enim recentiores habent, *recedens*, post ea quae praecesserant, *solitaria, et sterilis, exsul et* – – –, languidum. Nullus certe ex veteribus praeivit. Nec tamen certius quid habuisse ex usu linguae videntur: LXX totum comma omittunt, reliqui conjecerunt, Theod. ἐγκεκλεισμένη, *inclusa* (ac si esset אסורה) forte ex hoc Vulgata, *captiva*, Chald. et Syr. *turbata*, vel *agitata*, מטלטלא, ܡܛܪܦܐ.

Duorum mihi verborum Arabicorum in mentem venit, ex quibus forte aliquid lucis:

1) سار pro سير *incessit, profectus est* (idem ut videtur Hebraico סור *recessit*, licet paulo aliter determinatum) in secunda conjugatione est, *propulit, relegavit.* Sonans jam dictum, *exsul et relegata.*

2) شار pro شور, *venum obtulit*, unde et in secunda, شوّر *denudavit pudenda*, nempe quod quae venum prostabant, denudabantur. Hoc etiam acerbius: *exsul, et venum oblata.*

Jam ergo in verbo, de quo nihil habebamus quod probari possit, copia probabilium certe interpretationum laboramus: has inter arbitrandi onus lectoribus relinquo.

1714. סוּרֵי vel potius סוּרִיָּה Jerem. II, 21. *colocynthis.*

In consveta lectione סוּרֵי הַגֶּפֶן נָכְרִיָּה aliquid vitii inesse grammaticalis, meliusque literas sic in voces dispertiendas, סוּרִיָּה גפן נכריה, in bibliotheca Orientali priore T. XV. p. 156. 157. copiosius dictum. Sic quidem סוּרִיָּה idem erit quod Arabicum, شَرْيَة *colocynthis*, idque per גפן נכריה, *vitis peregrina*, aliud colocynthidis nomen, quod vide sub num.

num. 398. explicabitur. Si cui religioni fuerit, aliter voces grammatica duce dispertiri, quam masorethae fecerunt, eadem fere prodibit interpretatio, סורי *colocynthides* (fructus) erunt, et סורי הַגֶּפֶן נכריה *colocynthides vitis peregrinae.*

1715. סות Genes. XLIX, 11. *vestis ornata, splendidior, variegata, coccinea, acupicta.*

סותה innumerabiles, *tegumentum ejus* reddiderunt, ac si esset כְּסוּתֹה, quorum caussa dividenda. Fuerunt enim forte, ex antiquis certe, qui כסותה legerunt, sic enim, seu ut adcuratius dicam, כסותו, in Samaritanis codicibus scriptum: fuerint alii, qui ita legendum putarent, conjecturamque criticam, verisimilem, sed ex ignorantia ortam in versionem admitterent: hi quidem non reprehendendi. Sed et fuerunt denique qui סותה idem volebant esse quod כְּסותה, Caph litera per aphaeresin detruncata, qui turpis error, a Judaeis tralatitius, in nostra et lexica receptus est et grammaticas. Hos quidem ultimos quorum maxima turba, ante omnia secernamus: manifestus error, ac turpis, ex ignorantia, quae nihil ignorare vellet, atque certa fide cuivis literae codicis masorethici habita, natus. Ignorabant, linguarum scilicet ignari, quid סותה significare posset; in literas codicis masorethici intemeratas et divinas jurabant: ergo grammaticae commentum obtrudebant, סותה idem esse quod כסותה, Caph per Aphaeresin (vocem cui magicam vim sine sensu tribuebant) excidisse. Id vero plane commentitium: nec Hebraica lingua, nec alia ulla Orientalis כ literam abjicit.

Jam veteres nominandi, qui aliquid ejusmodi praeiverunt, quos inter, utrum כסותה legerint, an legendum censuerint, malim lectores arbitros esse, quam ipse judicium mihi arrogare. Sic quidem Samaritani, quis miretur, interpretes, cum Aramaeus, tum Arabs, (كسوته) hi quidem ita in suis codicibus legisse videntur: LXX, saepe alias lectionem Samaritanam exprimere soliti, *περιβολὴν* vel *περιβόλαιον*, vertentes, Syrus, ܟܣܘܝܗ, Arabsque Pol. et Erp. كسوته, Vulgata et Hieronymus, *pallium.* Conjectura quidem critica סותה in כסותה mutare, non opus, nec est nisi ejus, qui quid sit סות non intelligit: lectionis non graves testes Samaritani, ex conjecturis ignota Hebraica mutare soliti.

Raschi ad radicem, סות, הסית *pellicere* retulit, ut *vestes pulcrae* sint, *quibus mulieres amasios alliciant;* idemque monet, סות Thalmudicis

cis esse, *inebriare*; indeque Thalmudicos interpretari *ebrietatem*. Utrumque loco nostro minus apte: nec enim de vestibus mulierum sermo, nec recte dixeris, *abluit sanguine uvarum ebrietatem*. Abenesra confert מַסְוֶה *velum*.

His omnibus meliora dedit Simonis, ad Arabicum وَشَي *coloravit*, *ornavit*, مُوشَي *coloratus picturis pannus*, *acupicta vestis*, referens, vestesque, ut videtur, *acupictas*, intelligens. De hoc quidem verbo plusculum dicendum. وشي explicatur, *coloravit pinxitque pannum*, *coloravit orationem mendaciis*, quin et generatim est, *ornare*, ut 1 Petr. III, 5. pro Graeco κοσμεῖν positum: plura exempla Castellus dabit, ad sequentia etiam consulendus. Hinc وَشْيٌ *acupictae vestes*, قميص مُوَشَّي *vestis variis coloribus* 2 Sam. XIII, 19. pro כתנת פסים, item, *acupicta*, وَشَايَة *coloratus pictusque pannus*, رُخَام مُوشَي *marmor varii coloris*, (Abulf. Syr. p. 16.) quin et hinc ortum nostrum, *Mosaicum opus* (seu, ut alii scribunt, *Musivicum*) *pavimentum varii coloris lapidibus stratum*, *figuratum*. Praeivit jam ex veteribus Chaldaeus, sed utramque lectionem, כסותה et סותה conjungens, כסותיה מילא צבע והורי וצבענן *tegumentum ejus est lana colore rubro*, *et vestes coccineae*. (Nempe pro שָׁנִי poni צבענין solet.)

Ergo ex usu linguae Arabicae סוּת (femininum, cum ת non radicali) vel etiam סָוֶת esse possit, *vestis acupicta*, *variegata coloribus*, *colorata et vero coccinea*, (sanguine nempe tincta uvarum) generatim, *ornata et splendidior*. Inter haec ultima optandum; vestem enim acupictam aut variegatam in vino lavare, id vero est, eam corrumpere, quis velit.

Caeterum, ne quis ad ea adhaereat, quae de وشي mederi num. 1066. diximus, sciendum, duplicem verbo significatum esse, 1) suum ac proprium, *colore inficere* 2) adscititium ex وسي et أسي *mederi*.

1716. סות, הסית *pellexit*, *seduxit*, *instigavit*.

Verbum Hebraeis in Hiphil frequens (*), sed reliquis linguis Orientalibus, excepta Rabbinica i. e. Neohebraica, plane ignotum. Arabica quidem lingua radicibus سوت, سبت, شوت, شبت, quin et;

(*) Quaere loca in Buxtorfii concordantiis sub סית.

et, si forte הֲסִית punctatum ad נסת referre velis, نست et نشت omnino caret. Est ergo ex his, quae solis, interpretibus, lexicographis, filoque orationis plerumque satis Ariadneo, credimus. Duobus forte nos locis destituit, Job. XXXVI, 16. (ubi in meliorem partem הסית poni videas) et v. 18, nec nulla quam sperare ausus eram, varietas lectionis in codicibus. In 16 quidem versu, יסיתך Vulgata, Syrus, Arabs, Chaldaeus, vertunt, *eripiet*, vel, *liberabit te*, ab hoste, *salvabit te*, ܢܦܪܩܟ, ينجيك, פצאנך, id vero quomodo סות significare possit, non adsequor: suspicari possis, eos ישיעך legisse, sed nullus ita codex.

Fateamur, aliquid nos Hebraicae linguae ignorare, periisse aliquid, non ab inferis revocandum. Suspicari forte quis ausit, הֵסִית esse denominativum a סות *color*, *ornatus*, maxime cum verbum Arabicum وسي de *falsis adcusationibus*, atque *instigationibus*, frequens, sit, *ornare mendacium*, *ornare quod suademus*, *et ad quod incitamus*. Non contradixerim, si quis ita, cum multa denominativa habeant Orientales, servatis etiam literis servilibus; nec tamen praeire ausim, aut me velim auctorem citari.

1717. סח 2 Reg. XI, 6.

מַסָּח quod secundum puncta ad radicem נסח; *transtulit*, *abolevit*, *scripsit*, *descripsit*, referendum, atque Aquilae, et Hieronymo in Vulgata, nomen proprium visum est, Chaldaeus Syrusque מַסָּח extulerunt, מ pro praefixo, סח pro nomine habentes, verteruntque, מִדְּאִשְׁתְּפָלֵי (servantes domum) *ne quid peccaretur*, ܡܢ ܚܘܣܪܢܐ *a damno*. Sic sive ad סחח, sive סוּח vel סיח pertinet: Syris, ܡܣܝܚܢܐ est, *putridus*, *paralyticus*, ܡܣܝܚܢܘܬܐ *putredo*, *corruptio*, *paralysis*, a dissolutione ut credo, et ܡܣܚ *putrefecit*, *dissolvit*. Arabibus utrumque verbum سَاحَ et سيح *fluxit*: hinc forte et *damnum*, et *peccatum* dici potuerit. Malim tamen, si מ praefixum, שְׁמַרְתֶּם מִשְׁמֶרֶת הַבַּיִת מַסָּח vertere, *agite custodiam templi sine solutione ordinum*: sed his omnibus masorethicum מַסָּח praestare arbitror, quod in lexicis sub נסח quaeres.

1718. סחב Jerem. XLIX, 20. *abradere, depascere.*

סחב sine dubio est, ut lexica habent, *trahere*, indeque *lacerare*, nec firmat solum significationem filum orationis, veterumque consensus, sed et Arabicum سحب. Nec tamen apta haec significatio verbis Jeremiae, c. XLIX, 20. אם לא יסחבום צעירי הצאן, *lacerabunt eos minimae ovium*: ovium non est, lacerare. Mallem ibi novi quid tentare, et conferre, شحب *abrasit*, ac vertere, *abradent eos*, i. e. depascent eorum regionem et montes, *minimae ovium*, concinit certe, quod sequitur, *et vastabitur illis pascuum ipsorum.* Devastata eorum terra contemtissimorum Nomadum gregibus libere permissum pascuum erit.

1719. סְחָבִים *veteramenta alterata colore.* Jerem. XXXVIII, 10.

Quomodo a מלחים differat, num. 1408. dictum: hic modo de divergiis explicationum et derivatione. Ad סחב *trahere*, plerique referunt, vertuntque, *trahendo per terram detrita*, vel *lacerata:* Venema, *tracta et scissa:* Syrus pene harmonice, ܣܚܘܦܐ *everricula*, casune? et rem solam expressurus? an, quod Vau in Beth mutatum putaret! Ego retulerim ad شحب *alterari colore*, ex reliquis enim interpretationibus aut etymologiis nullum inter מלחים et סחבים, quae a Jeremia distinguuntur, discrimen.

1720. סחה *abluere*, Ezech. XXVI, 4.

Ἅπαξ λεγόμενον vertunt fere, conjecturam ex filo orationis facientes, *everrere*, nec plane obnitor: est tamen Syris, Chaldaeis, Samaritanis, ܣܚܐ *lavare, abluere*, quod hic optime locum tuetur: סְחֵיתִי עפרה ממנה *eluam* (inundatione, vel imbribus) *pulverem* Tyri *ab ea.* Desumta locutio aut ab inundatione maris, auferente et evertente omnia, aut ab imbribus, in Palaestina Arabiaque frequentibus, qui humo exsutas nudasque petras relinquunt. Concinit quod statim sequitur, ונתתי אותה לצחיח סלע, *et faciam eam nudam petram:* et maxime versus 19 ejusdem capitis, *faciam te ut urbes vastatas* בהעלות עליך את תהום וכסוך המים הרבים, *dum ascendere super te faciam mare, ut obtegant te aquae multae.* Arabibus quoque سَاحِيَة *vehemens pluvia, fluxus aquae, res obvias radens asportansque:* ita tamen ut apud illos

illos verbi سحا *rasit*, *decorticavit* &c. usus latius pateat, et ab illo مِسْحَاة *pala* nomen acceperit. Chaldaeus Syrusque עקר *evertere*, reddiderunt, quod ipsum in chronico Edesseno (p. 49. chrestomathiae Syr.) de diluvio omnia evertente ponitur. Hinc jam

1721. סְחִי Thren. III, 45.

non, ut vertere solent, quisquiliae, sed, *purgamenta*, *sordes*, *quae aqua inducta scopis everruntur*, ut in plateis coenum. Sic Chaldaeis סחיתא, *stercus*, Syrisque ܣܚܘܬܐ *everricula*.

1722. סוחה Jes. V, 25. *coenum*, *everriculum*.

In כסוחה, de quo vide sub כסח num. 1190. dicta, veteribus quidem omnibus, כ, praefixum visum fuit, solae literae סוחה, nomen. Sic idem significabit quod praecedens סחי, secundum LXX ὡς κοπρία ἐν μέσῳ ὁδοῦ, Vulg. *quasi stercus*, Syr. ܐܝܟ ܣܚܘܬܐ, *ut coenum*, atque adeo idem prope vocabulum servantem Chaldaeum, כְּסְחִיתָא. Una obstat, quam omnes habent codices Kennicotto consulti, litera Vau, hujus enim ratio grammatica haud satis expedita reddi ex radice סחח potest: expedita veterum versio, si codices כסחה haberent.

1723. סחיחה ex var. lect. Ps. LXVIII, 7.

Pro צחיחה codex Regiomontanus secundus סחיחה habet, bona sententia, licet unius codicis testimonium ac forte librarii lapsum satis felicem, reliquis opponere omnibus nemo ausit. *Avara* foret, i. e. *sterilis terra*, a شحّ *avarus fuit*, (exempla petes a Castello) unde et *igniarium ex quo percusso ignis non elicitur* شحّاح dicunt, et شحشح *desertum amplum*. Sic verteris: *habitabunt sterile desertum*.

1724. סָחַף, *rasit*, *abrasit*, *prostravit*. Proverb. XXVIII, 3. Jerem. XLVI, 15.

Ἅπαξ aut δὶς λεγόμενον, de quo, cum alii, *auferre*, qualitercumque ex contextu, verterent, recte monuit Simonis, esse Arabicum سحف *rasit*, *abrasit*. Hinc Prov. XXVIII, 3. מָטָר סֹחֵף *pluvia abradens*, nempe terram a montibus: frequens in calidiore climate, ubi imbres vehemen-

tiores, ac regionibus acutos montes habentibus, qualis Palaestina, malum: humum, quam aut natura saxo aut ars instraverat, imber everrit inque valles defert, nuda et sterilia saxa relinquens. Coranus Sur. II, 266. *sunt ut petra, super qua erat pulvis, sed incidit ei imber, et reliquit illam saxum nudum, in quo nulla utilitas.* Hinc magnae partis Palaestinae, olim fertilis, sterilitas, ut in itinerario Maundrellus monuit. Vix memini legere, qui haec imbrium damna melius descripserit Labato in itinerario insularum occidentalis Indiae. Ejusmodi vehementior ac noxius imber Arabibus سَحِيفَة, et سَاحِيَّة (hoc, a سحو, ut quaeri possit, idemne verbum utrumque literarum V P et B permutatione, originetenus fuerit?)

Haec tamen significatio vix satis expedit alterum locum Jerem. XLVI, 15. נסחף אביריך. Equidem jam sub חף (n. 803.) monui, aliter divisis vocibus נָס חַף a LXX egregie expediri, est tamen et consveta, cum masoretharum, tum plerorumque veterum interpretum lectio explicanda. A *radendo* Syris ܣܚܦ est, *evertere* (fere ut Gallicum, *raser*) quin generatim, *prosternere*, vertes ergo, *prostratus est fortis tuus*, vel pluraliter, *fortes tui*. Sic quidem eodem verbo usus Syrus, ܐܣܬܚܦܘ *prostrati, dejecti sunt*, et Chaldaeus, אִתְּבַרוּ *fracti sunt.*

1725. סחר *circumire, perambulare.*

Verbum, *negotiandi, mercaturam exercendi,* significatione notissimum: sed plura significans.

1) Ex prima significatione est, ut jam alii monuerunt, et lingua maxime Samaritana confirmat, *circumire.* Sic sine dubio sumendum Genes. XXXIV, 10. *terra erit vobis permissa*, וסחרוה *peragrate illam* (nempe cum gregibus) *aut possessiones adquirite in illa:* quibus enim haec dicebantur, Nomades erant, non mercatores, ut mirum omnino sit, interpretes de *circumeundo mercaturae caussa* hic cogitare potuisse. Alius illustris locus, Jerem. XIV, 18. *etiam propheta, etiam sacerdos*, סחרו אל ארץ לא ידעו׳ *circumeunt in terra quam non norunt*, (nisi forte hic et sequens mendicandi notio adjuncta.)

2) Syris ܣܚܪ *mendicari*, circumire petendae eleemosynae caussa, plane ut Germanicum, *herumgehen.*

3) Denique et est, *mercaturam exercere*, quae usitatissima significatio, orta ab antiquo mercaturae genere. Proficiscebantur mercatores ipsi ad

exte-

exteras regiones, eas circumibant, inque multis nundinis ac mercatibus merces exponebant, vendebant, emebant, permutabant. Est idem adhuc in non paucis Asiae atque Africae regionibus mercaturae modus, in Europa solis prope relinqui solet mercatoribus perquam mediocribus, aut suarum mercium et artefactorum venditoribus, reliquis mercatoribus, postquam currus et nuntios publicos (*les Postes*, quod nomen ne latine quidem dicere possum) habemus, per literas negotia gerentibus. Ex hoc usu Hebraici סחר, nostrum vile Judaeo-Germanicum, *schachern.*

1726. סֹחֲרִים Jes. XLVII, 15. *errones.*

סוֹחֵר *mercatorem* esse, certum, at haec significatio vix apta Jesaiae loco, ubi Deus Babyloni, סחריך איש לעברו תעו אין מושיעך, nec enim mercatorum est, urbi obsessae opem ferre, eamque armis defendere, nec captam Babylonem, novi regni sedem, illi deserturi erant. Putem ergo, hic potius a circumeundo, circumvagando, *errones* intelligendos, omnes terras peragrantes, quales *fatidici, mathemathici, Chaldaei* esse solent. Vide plura in notis germanicis. — Koppius in notis ad Lowthi Jesaiam, magicam artem exercentes interpretabatur, a سحر: sic tamen per Sin שֹׂחרים scribendum fuisset, quod nullus codex habet. Magicas artes infra quaere sub שׂחר.

1727. סָחִישׁ 2 Reg. XIX, 29. שָׁחִיס Jes. XXXVII, 30.

Scriptio nominis, his solum locis occurrentis, quod nec reliquae linguae habent, incerta, nec ullo constat indicio, utrum סחיש libri regum, an שחיס Jesaiae praeferendum. Nec est sine varietate lectionis, in libro enim regum unus codex שחיס, alius סחיס habet, inque Jesaia, duo Kennicotti de Rossique codices, סחיש, tres שחיש. Ergo nec de etymologia anquiro, sed hanc quaestionem, in incertae scriptionis vocabulo incertiorem, aliis relinquo. Varia interpretatio:

1) optima, me arbitro, ea quae et usitassima: *ex sponte ac sine semente nato* (ספיח, quod vide infra) *iterum sine semente tertio post sementem anno sponte renascens.* Sic ex antiquis praeiverunt Syrus et Chaldaeus, forte et in Regibus LXX, *φάγε τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν αὐτόματα* (ספיח), *καὶ τῷ ἔτει τῷ δευτέρῳ τὰ ἀνατέλλοντα* (סחיש), inque Jesaia Aquila et Theodotion, ספיח *αὐτόματα*, סחיש *αὐτοφυῆ* vertentes, proprie enim Graecis perpetuo agrum exercentibus, vocabula rerum in Graecia inauditarum non suppetebant. Potest autem frumentum sine semente renasci,

ſive ex granis deciduis, ſive etiam ex ipſa radice, ut fieri in gramine communi videmus. Hinc citatus ad Jeſaiam a de Roſſio Rabbi Parchom explicat, *germen egrediens de radice ſpicae, et faciens ſpicam parvam*: nempe renaſcendo ſine cultu hominis fit deterius. De triplici ex una ſemente meſſe vide inſignem Strabonis locum l. XI, p. 767. (al. 502.) De Albaniae circa Cyrum et Araxem fertilitate, incolarumque ſocordia, haec refert, a praefectis provinciae audita: πολλαχοῦ (γῆν) σπαρεῖσαν ἅπαξ, δὶς ἐκφέρειν καρπὸν, ἢ καὶ τρὶς, *multis in locis conſeminatam terram bis efferre, alicubi et ter*. Quae ſequuntur, quod aliquid deeſſe videtur, non deſcribo, antequam nova Strabonis editio prodeat.

2) Jam male in Jeſaia (indoctiſſimi hujus prophetae interpretes) LXX κατάλειμμα, *reliquum* vertunt, praecedens ספיח pro ſeminato habentes. (φάγε τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν ἃ ἔσπαρκας, καὶ τῷ ἐνιαυτῷ τῷ δευτέρῳ τὸ κατάλειμμα).

3) Fluctuans Hieronymus, atque a ſe diverſus, in libro regum vertit, *quae ſponte naſcuntur*, praecedensque ספיח (perquam male) *quae reperis*: ſed idem,

4) in Jeſaia, *poma*, poſuit. Sumtum id ſine dubio ex Symmacho, ἀπὸ δένδρων ibi habente. Neutrum horum ſive סחיש ſive שחיס ex ullo linguarum orientalium uſu ſignificare poteſt. Video quidem S. R. Schultzium in lexico Cocceji ab ipſo edito p. 897. haec habere, "*apud Arabes* سحيس *poma denotat*:" vellem equidem, meminique circa illa tempora, quibus ille mihi auditor contigit, in praelectionibus me dicere, poma Vulgatae me praelaturum, modo lingua Arabica aliquod ejusmodi nomen, سحيس شحيس &c. *poma* ſignificans, haberet, ſed eam nos deſerere, nec equidem poſtea reperi: S. R. Schultzius ſi reperit, gratum et mihi faciet et aliis, teſtem exemplumve adferens.

Haec quidem de סחיש et שחיס, quorum vocabulorum interpretationem ex contextu bonam, rationem etymologicam reddere nullam poſſumus, ut fere barbara videri poſſint, reliquis linguis Orientalibus ignota. At eorum loco aliquos (utinam eos omnes enotaſſet) ſuorum codicum, et prophetarum editionem Soncin. 1486. שחים habere, auctor eſt de Roſſius, merum quidem ille, ut videtur, ſphalma putans: eſt tamen haec unica lectio, quae ex linguis illuſtrari, eique, quam omnibus praetuli, atque ipſe praefert, interpretationi adcommodari recte poſſit, ܫܚܝܡܐ enim de *communi, deteriore, denigrato* ponere Syri, Arabes شخم de *corrupto in cibis* ſolent. Frequens literarum ס et ם a librariis facta permutatio.

tatio. In hanc utinam lectionem adcuratius inquiratur, pluresque codices inspiciantur: ac tum demum de interpretatione atque etymologia quaeratur. Possit sane שחים *deterius et degenerans granum* esse, quod tertio anno ex סחיף renascitur.

סיג quaere sub סוג.

1728. סִינִי vel סְנִי colonia Cananitica Genes. X, 17.

Copiosius de hoc nomine disputatum in Spicilegio geogr. T. II. p. 27–32. quo ablego. Est sine dubio *Sinna* Strabonis, in Libano (castellum latronum, quod destruxit Pompejus) inque ejus vicinia, *Syn*, tempore Breidenbachii vicus haud procul a Crach, (castello). Hieronymus: *a Libano haud procul alia civitas fuit, nomine SINI, quae postea vario eventu subversa bellorum nomen tantummodo loco pristinum reservavit.* Situs in spicilegio adcuratius descriptus.

1729. סין et סינים Aegyptiorum Ezech. XXX, 15. 16. Jes. XLIX, 12.

סין insignem urbem, ac vero fortalitium Aegypti esse, ex Ezech. XXX, 15. 16. certum, ab eaque ארץ סינים Jes. XLIX, 12. nomen accepisse, plus quam verisimile: verum quae haec sit SIN Aegypti, de eo nondum liquet. Tractavi quaestionem paulo copiosius in *spicilegii geographiae Hebr.* P. II. p. 32–42. Ex reliquis interpretationibus, ibi adlatis, sine dubio verisimillima, et plerorumque calculos tulit, Bocharti, Pelusium intelligentis, nempe a סין *luto* nomen habens, ut Graecis ἀπὸ τοῦ πηλοῦ; Arabibusque طينة *Lutum*, vel *Lutea* dicitur. Et tamen vel in hac reliquis omnibus probabiliore sententia aliqua mihi suspecta, alia plane me inde avocarunt: Aegyptiae urbi ante Arabum Muhammedanorum victorias, quibus Aegypto potiti sunt, derivationem nominis Arabicam non quaesierim, sed Aegyptiam: veterum nullus interpretationem Bocharto praeivit, estque, quod in quaestione geographica perquam suspectum, mere etymologica: Josepho teste, in quo certe aliquid residet auctoritatis, Pelusium שור: denique in Jesaia *terra SINIM* ut valde remota memorari videtur, Pelusium Palaestinae in proximo. Nec *Sain*, septuagintaviralis versionis auctoritate Ezech. XXX, 15. commendatam probare potui: nomen enim in nominativo positum, Σάϊς, nimis a סין remotum. Ergo cum Ezech. XXX, 16. iidem Graeci *Syenen* verterent, hanc praetuli, incertus utrum nomen utroque modo סון et סין scribi potuerit? an sit in his tribus locis Vau pro Jod rescribendum. Haec quidem ultima

Aegypti versus Aethiopiam urbs, a qua terra prope incognita incipit, simulque claustrum Aegypti firmissimum, utrique loco egregie apta.

Nec tamen dissimulanda aut subticenda, quae huic explicationi opposuit Koppius in notis ad Lowthi Jesaiam:

1) סין Ezechielis, et ארץ סינים Jesaiae vix eandem videri, sed distinguendam, *urbem* esse alteram, at Jesaiam, *terram SINIM* memorare. — Haec quidem lectorum judicio permitto, saepe regio ab urbe primaria nomen accipit.

2) Valde remotam versus Austrum terram si nominare voluisset propheta, potuisse longe notissimam in exemplo ponere Aethiopiam. — Id quidem potuisset, sed et potest ultimam Aegypti versus Aethiopiam urbem nominare: maxime, si non ex Aethiopia solum, sed et ex occidentali ultra Syenen Africa, Meroe, proselytos exspectarit. Licuerit poetae, arbitror, et prophetae, ultimam cognitarum urbium nominare, et terras ultra ab ea denominare. Adde, statim post Syenen zonam torridam incipere, quam totam a Syene nomen accipere, quis miretur? maxime cum ita nobilitata ob hoc veteribus geographis Syene sit, ut clima secundum *διὰ Συήνης* vocarint.

3) Sibi videri, ארץ סינים versus orientem sitam fuisse, licet fateatur, ob rationes a me allatas non esse posse *Sinam*, seu ut fere eam vocant, *Chinam*. — — Non nego et ab Oriente quaeri posse, exclusa, quam ipse quoque excludere videtur, urbe Aegypti Pelusio: sic quidem fatendum, plane nos ignorare, quae sit terra SINIM. Nec quidem ignorationem fateri, est pudori: at ubi in Aegypto sine dubio urbem SIN habemus, caussam non video, cur terram ei cognominem ignorare, inque alio orbe quaerere malimus.

1730. סכך Job. X, 11. Jud. III, 24. 1 Sam. XXIV, 4. סכסך Jes. IX, 4.

1) In loco Job. X, 11. brevior esse possum, quod veram sententiam jam praeivit, ex Schultensio excerptam, Simonis, conferens شكّ *totum se operuit armis*, unde شكّة *arma, panoplia:* verto ergo בעצמות וגידים תסככני, ut per Samech scribunt XXIX codices Kennicottiani, sive etiam, ut in plerisque editionibus per Sin legitur, תְּשֹׂכְכֵנִי *ossibus et nervis armasti me.* Nervi et ossa tanquam arma hominis. Haec repetenda duxi, quod illis ad sequens סכך opus habebo: reliqua, quae Simonis de

trans-

transfigendo habet, mea non facio. Addo adhuc, jam Syrum aliquid hujus interpretationis praeivisse, ܣܓܬܢܝ *roborasti me.* Etiam de quadrilitero סכסך Jes. IX, 10. ei adsentior, vertens, *et hostes ejus armabit:* unum miratus, in loco tam perspicuo veteres verum non vidisse, conjecturisque tantopere discrepare. LXX διασκεδάζειν verterunt, incertum, quo sensu, utrum, *dissipabit?* an, *dividet?* Vulgata, *in tumultum vertet*, Chaldaeus, *excitabit;* recentioresque, Grotius, *conglomerabit tanquam sepimentum ex vepribus*, Vitringa, *miscebit.*

2) Quid sit הֵסַךְ רַגְלָיו, vel, varia enim scriptio, הֵסִיךְ, *tegere pedes suos*, Judic. III, 24. 1 Sam. XXIV, 4. de eo dissentiunt interpretes antiqui, et eruditi recentiores; ipseque adeo secum discors Josephus.

a) Plerique intelligunt, *purgationem* vel *laxationem alvi.* Sic Jud. 3. LXX aliusque Graecus, Vulg. Syr. Arabs, Chaldaeus, et 1 Sam. 24. LXX (παρασκευάσασθαι, quo de verbo vide Bielii lexicon) Chaldaeus, Aquila, Vulg. Sic et in Samuelis libro accepit Josephus, Antiqu. VI, 13, 4. *coactus ab opere naturae in speluncam intravit solus.* — Alvum exonerare, quomodo dici possit, *tegere pedes*, cum retegendi potius sint, vix video, nisi forte antiphrasin, suspectam illam, in subsidium voces: sed possit explicationi alia derivatione succurri, הסיך, ut in libro Judicum scribitur, ad rad. סוך relato. Est سوك *fricare purgandi caussa*, quod cum post ventris exonerationem magis etiam, quam Europaei, solicite faciant Arabes, praecepta etiam religionis habentes, non peragendam purgationem charta, sed ligno, pulvere, &c. potuerit sane exoneratio alvi honeste a purificatione dici.

b) At 2 Sam. 24. Syrus, exque eo Arabs, ܘܕܡܟ, رقد, *dormivit:* monente jam ad h. l. Ephraemo (T. I. p. 380.) *secundum Hebraeum, ut tegeret pedes suos, quod nostra versio reddidit, dormivit ibi.* Sic et, quem a se discordem esse dixi, Josephus, Jud. 3. accepit, Ant. V, 4, 2. historiam sic narrans: *quiescebant famuli,* εἰς ὕπνον τετράφθαι νομίζοντες τὸν βασιλέα, *obdormivisse putantes regem.* Id quidem optime phrasis significare possit: dormientium enim pedes, nisi tegantur, facile frigent, unde et plerique, etiam inter diu dormientes, sua sponte eos tegunt, tegique medici jubent.

Mihi quidem posterior, *dormiendi*, significatio, praeferenda, atque ventris exoneratio plane excludenda videtur, utrique loco parum apta. Non poterat Eglon servis suis tam diu videri exonerare ventrem, ac tanquam

in

in ſella habitare, ut aliquot milliaria fugiendo interea abſolveret, et Hierichunte Gilgalam elaberetur Ehudus: nec is vel noſtro tempore aut regum aut privatorum pudor, ut non niſi obſeratis foribus exterioris atrii ventrem laxent. Lege jam Jud. III, 20-25. 1 Sam. XXIV, 5-8. ubi quae narrantur et colloquia ac prope lites, et facta, a tergo Sauli vigilantis, ventremque purgantis, ſed nihil eorum animadvertentis, nihil audientis, nihil metuentis, incredibilia. Nec vero is militiae pudor, et vero per deſerta, ut naturae juſſis ſub dio parere verecundiae ſit, ſeceſſus in ſpecum quaeratur et exſpectetur.

1731. סֹכֵךְ Nah. II, 6. *arma*.

Sic in plerisque editis ſcribitur, in XXI Kennicottianis plene סוכך, ſed nulla alia, quam forte ex verſionibus ſuſpicari poſſis, literarum varietate. Mihi quidem ſunt, *arma*, idem quod Arabicum شِكَّةٌ pluraliter, شِكَكٌ, ſive a *tegendo* dicta, ſive ut alii volunt, ab *acumine* et *pungendo*.

Teſtudinem, ſub qua arietes muris admovebant oppugnatores, interpretati ſunt Kimchius et Coccejus, idque a plurimis receptum: nec nego a tegendo recte dici teſtudinem potuiſſe. Eſt tamen ex hiſtoria, qua illam parte tenus ſcimus, quod teſtudini obſtat: de expugnanda Sardanapali tempore Ninive ſermo, quam narrans Diodorus Siculus lib. I. c. 27. *nihil*, inquit, *hoſtes obſeſſae urbi nocumenti adferre poterant:* πετροβόλοι γὰρ, ἢ χελώνη χωστρίδες, ἢ κριοὶ πρὸς ἀνατροπὴν μεμαχημένοι τειχῶν, οὔπω κατ᾽ ἐκείνους τοὺς καιροὺς ἐξεύρηντο *balliſtae enim, quibus lapides ejaculabantur, teſtudinesque, choſtrides* (*) *dictae, arietesque muris demoliendis, illo tempore nondum inventi erant.* Teſtudines ſi tempore Sardanapali nondum inventae, nec praedici diu antea aut nominari a Nahumo potuerunt.

Veteres diſcordes, nec tamen ullus eorum Kimchio Coccejoque et recentioribus teſtudines praeivit, nec mihi arma. LXX προφύλακας, *cuſtodes, excubitores, ſpeculatores*, vertunt, legentesne סֹכִים a Chaldaicō סְכָא ſpeculatus eſt? Chaldaeus, מִגְדְּלַיָּא *turres*, forte et has a ſpeculando dictas, ſpeculas: Syrus ܟܫܟܫܬܐ, quod quid ſit, ignoramus.

(*) Vide Svidam T. III. p. 682. et 663.

1732. סֹךְ et סֻכָּה *tugurium, lustrum, septum ex spinis, palatium ex saxo, adytum.*

Nomen quodammodo mixtae originis, ut vel in lingua vernacula cognata sono vocabula confunduntur, nec ipsis, qui ea a matre didicerunt, constat, unde orta. Puncta si spectes, et Caph geminatum, ad סכך, *texit*, referendum, sed multoties cum Vau סוכה et סוכות scriptum, cum שׂוֹכָה *ramus*, Jud. IX, 48. 49. Syrorum ܣܘܟܐ, cognatum a stirpe videtur.

1) Plerumque *tugurium* significat, diversum tamen ab אהל, ac proprio sensu, *ex ramis frondibusque arborum factum.* Sic multis in locis de tuguriis festi, sic dicti tabernaculorum, ponitur, ex arborum ramis pomisque factis, de quibus inspice locum classicum Levit. XXIII, 40-42. Sic et proprio sensu de virente ricini tugurio ponitur Jon. IV, 5. de tugurio custodis vineae Jes. I, 8. Job. XXVII, 18. quod ex arborum ramis construi docet Shaw, p. 138. itinerarii.

2) Jam intelligitur, cur et de lustris leonum, ferarumque ponatur, ut Ps. X, 9. Jerem. XXV, 38.

3) De tuguriis etiam militaribus ubi ponitur, ut 1 Reg. XX, 12. non video, cur non eadem accipi propria significatione possit.

4) Nec tamen ausim ubique proprie accipere: Levit. XXIII, 43. ut synonymum אהלים poni, ac *tentoria* significare videtur, desertum enim peragrantes in tentoriis habitarunt Israelitae.

5) Nomadum quae sint סכות, gregibus facta, Genes. XXXIII, 17. paulo obscurius. *Tuguria*, ut alios sequutus, ante quadraginta annos in compendio antiquitatis Hebr. interpretatus sum, vix esse possunt: tam calido in climate quis tuguria ovibus conderet? maxime cum lana sub dio semper degentium multo sit melior, quam quae aestu et sudore stabuli corrumpitur. Terrarum, quas pererrabant, vastatores fuissent immanissimi Nomades, si ubique ex arborum ramis gregibus suis, inutilia et noxia, fecissent tuguria, nec temere in desertis hujus delicti occasio.

Suspicari possis, eadem esse quae גדרות pag. 271. *septa ovium, muros, quibus oves noctu a feris tutae, sed sub dio,* atque permutationem literarum ejusdem organi in subsidium vocare, Syrorum ܣܝܓܐ Arabumque سياج *murus.* Nec tamen amo, nisi usus certus verbi eas commen-

det, literarum permutationes, acceditque, quod Genef. XXXIII, 17. סכות non aedificari, non lapidibus exftrui videntur, fed opponi aedificatis: en verba, ויבן לו בית ולמקנהו עשה סכת *aedificavit fibi domum, et gregi fuo fecit Succoth.*

Haec mihi exiftimanti, verifimillimum videtur, mandras effe, fimiles quodammodo illis quae גדרות dicuntur, nec tamen muro circumfeptas, fed fpinis, atque adeo a fpinis nomen habere. شَوْكٌ *fpina*, verbumque Hebraicum, fed per Sin fcriptum, שׂך *fpinis obducere.* Job. I, 9. Ex fpinis fidiffimae fieri mandrae poffunt, quas inter noctu tuti greges: maxime, accedente arteficio, quale apud Belgas Caefar defcripfit, l. II. de Bello Gallico, c. 17. *ut fepes inftar muri munimentum praebeant, quo non modo non intrari, fed ne quidem perfpici poffit.* Vide et Strabonem l. II. p. 296. infima (al. 94.) Fidentius refero, quod in hunc usque diem in Belgii Auftriaci parte tales fepes in ufu effe, a viro militari Gallo αὐτόπτῃ edoctus fum: fpinas incidunt, alteramque fpinam alteri inferunt, ut concrefcant, ut una quodammodo fpina impenetrabilis tota fepes fit. Simile arteficium Mardorum defcripfit Curtius l. VI. c. 5. §. 14.

6) סכות בנות Babyloniorum, 2 Reg. XVII, 30. *tuguria filiarum*, ea fuiffe, in quibus filiae virginitatem ad templum Veneris Mylittae proftituebant, abunde contra Judaeos docuit *Seldenus de diis Syris*, fyntagmate II. c. 7. Vide Herodotum lib. I. §. 199 Strabonem lib. XVI. p. 1081. (al. 745.) Tuguria et hic intelligo ex frondibus ramisque arborum inflexis, qualia effe eremitarum folent, alto in luco, labyrinthico forte: procul certe a templo abductis puellis mifcebantur. (Strabo: συγγίνεται . . ἄπωθεν τοῦ τεμένους ἀπαγαγών.)

7) Plane aliter, deque palatio ex faxis aedificato סֻכַּת דָּוִד Amos IX, 11. ponitur: *collapfum* enim dicitur, additurque גדרתי את פרציהן *rupturas ejus iterum muniam*, et paulo poft, ובניתיה *atque aedificabo, ut olim fuerat.* Huncne fignificatum accepit, ex confufione cum radice סיג, Ar. سَيَّجَ *munivit*, Syr. ܣܝܳܓܳܐ *murus?* Vel in linguis viventibus concinentia verba confunduntur et permutantur. Certe et ipfum Arabicum سَيَّجَ eft aliquando, *fpinis obducere*, manifefte ex شَوْكَةٌ *fpina.*

8) Ali-

8) Aliquoties et Deo סֻכָּה tribuitur, ubi de tabernaculo quidem conventus Mosaico, אֹהֶל potius dicendo, ex serie orationis accipi nequit. Ps. LXXIII, 3. בְּשָׁלֵם סֻכּוֹ: tabernaculum quidem conventus Hierosolymae non fuit, sed arca modo foederis. Nec palatium verti, templumque intelligi potest, si psalmus ex Davidis tempore est, ut victoriarum commemoratio prodere videtur. Estne hic, *lustrum*, tanquam leonis? His quidem, qui הררי טרף versu sequente montes praedae, i. e. lustra ferarum interpretantur, non possit non haec, simulatque audierint, probari explicatio: hac de significatione cum me dubitare p. 1036. professus sim, vix mihi quidquam superest, quam, *adytum*, *arcana ac sancta sedes*, a tegendo dicta, *latibulum*, si hac voce uti liceat.

Job. XXXVI, 29. תשואות סוכתה memorantur, quod vix vertendum, *fragores tabernaculi*, vel, *tugurii ejus*: Deo tonanti quis in nubibus aut tabernaculum det, aut tugurium frondeum? Hic quidem potius, *latibulum*, seu ut digniore vocabulo utar, *inaccessus locus*, *ex quo Deus tonat*, *nec conspicitur*: Virgilius, noctem, egregie dixit,

Ipse pater media nimborum in nocte corusca
Fulmina molitur dextra.

Eodem modo et Ps. XVIII, 12. 2 Sam. XXII, 12. acceperim, ubi in sequente membro סתרו respondet.

9) Molocho denique Amos V, 26. סכות tribuitur, quod in deserto circumtulerint secum Israelitae. Tabernaculum, quale tabernaculum conventus, grandius, intelligi hic omnino nequit, ac ne verba quidem eo nos deducunt, huic enim, nomen, אֹהֶל: tale tabernaculum latere neutiquam potuisset, nec toleraturus Moses; de clandestinis superstitionibus, quas Moses ignorabat, propheta loquitur. Σκηνῆς ἱερᾶς in castris Carthaginiensium mentionem facit Diodorus Siculus l. XX. c. 25. quae, si ad sequentia pergas, *ex arundine et stramine* vel *gramine*, *contexta*, ἐκ καλάμου καὶ χόρτου: tale quidem tugurium סֻכָּה recte diceretur, nec tamen magnum fuerit necesse est, sed perquam exiguum, ut clam, Mose ac magistratibus insciis, portaretur, atque, ubi castra figerentur, in tentorii aliquo angulo occultaretur. Venit quidem et in mentem cistarum, quae Graeci ναοὺς dicunt, in quibus Dei imago, qualem, perpulcram Indicam, sed jam paulo majorem, in museo orphanotrophei Halensis vidi: quales ναοὺς Dianae Ephesiae Demetrius vendebat, Act. XIX, 24. quae a סכך *tegere* dici potuerint. Ut tamen fatear, malim consveta

 signi-

significatione סכות, *tugurium*, accipere, inque illa nascentis populi paupertate et infantia tuguriola ex *gramine*, *ramis*, *ac frondibus*, prae artificiosioribus cistis praeplacent.

1633. סֻכּוֹת nomen proprium. Exod. XII, 37. XIII, 20. Num. XXXIII, 5. 6.

Statio Israelitarum ex Aegypto egredientium, prima post רעמסס, unde egressi, סֻכּוֹת. Nomen ipsum locum non in agro culto, sed desertis pascualibus Aegypti prodere videtur. Audax, has in geographia Aegyptia quaerere *Mandras*, atque adeo sperare, post Christum natum, i. e. XVI post Mosen secula, nomen superfuisse: duplices tamen Mandras offert nobis, et vero ab Oriente Nili, itinerarium Antonini, in quo, pag. 168. 169. editionis Wesselingianae, haec legis: *Aphrodito M. P. XXIIII. Scenas Mandras M. P. XX. Babylonia* M. P. XII. *Heliu* (est Heliopolis, און Mosis) *M. P. XII. Scenas veteranorum M. P. XVIII. Vico Judaeorum M. P. XII.* Forte neutrae ex his *scenae*, σκηναὶ, Mosis סכות, sed aliae, Israelitarum olim: si tamen inter eas, quas habet itinerarium, arbitrandum, *Scenas veteranorum* praetulerim, per has enim rectum ad extremum sinum Arabicum, prope Suez, ubi transiisse Israelitas puto, iter. Breve sic quidem primi diei iter fuerit, sed nec mirum, cum noctu a coena exturbarentur, atque adeo vel nostro tempore in eadem vicinia prima statio peregrinatorum, Cahira Meccam euntium.

De *scenis Mandris* alii forte cogitent, qui traditioni credunt, ex valle Bedea Israelitas per mare transiisse. Verum sunt hae manifestae fabulae aut potius mendacia: ad vallem Bedea tam altum mare, ut vento et refluxu, quod Moses narrat, exsiccari non potuerit, atque adeo, si vel Mose invito miraculo exsiccatum dicas, ea latitudine, ut sexcenta Israelitarum millia una nocte trajicere non potuerint. Sumat, qui judicare vult, delineationem Aegypti D'Anvillianam. Scenae Mandrae, quas refugio, XXIV mill. passuum Heliopoli versus Austrum.

1734. סֻכִּיִּים 1 Paral. XII, 3.

Nomen proprium populi Africani, in exercitu Sisaci, hac orationis serie, *innumerabilis erat populus, qui venerat cum ipso ex Aegypto,* לובים סכיים וכושים. *Troglodytas* verterunt LXX et Vulg. nullo omnino linguae usu, nuspiam enim סֻכּוֹת specus sub terra, sed conjectura, ut videtur, mere etymologica, ex סכך *texit* facta. Parum illa quidem probabilis,

bilis, septa ovium in cavernas permutans, sed fuit, qui eam probaret et ornaret, Bochartus geogr. l. IV. c. 29. atque Clericus in commentario, quos alii deinde sequuti. *Süchen* etiam urbem Troglodytarum Africanorum memorant, nominatam a Plinio l. VI. §. 34. eam forte, quae nunc Suaquem vocatur, Bocharto, saepe nimis etymologo, volente eam a סְכָּה dictam. Et hoc parum verisimile: Troglodytae barbari Hebraicum urbi nomen vix indiderint; ac, si Strabonem sequamur, narrantem, non conjicientem, a conditore Sucho nomen habet. (libr. XVI. p. 1125. infima, al. 770.)

A vitae genere populus si nomen accepit, non sane Troglodytae erunt, sed Nomades, a Mandris ovium sic dicti, sunt autem diversissimi vitae et habitationis genere, Troglodytae, ac Nomades. Mosis quidem tempore cum in Orientali parte Aegypti, quam Arabicam veteres dicunt, סכות inveniamus, et duae hoc nomine urbes, σκηναὶ, ab Antonino memorentur, multo verisimilius *Nomades in Arabia* quam dicunt *Aegypti errantes* intellexeris, maxime cum praecedant לובים *Libyes*, i. e. qui in occidentali parte Aegypti habitant. Mediocriter geographiae Aegypti perito cui ignotum, Nilum ab eoque irriguos agros, qui proprie Aegyptus, reliquam regionem dividere in Libyam Aegypti, et Arabiam Aegypti? Legat, si quis nescit, Strabonem.

Hac jam oppositione לובים et סכיים ego quidem, alias in quaestionibus geographicis parum dare solitus etymologiis, credo, סכיים esse *deserta orientalia Aegypti, a Nilo non rigata, eorumque habitatores vel potius pererratores Nomades, quam Arabiam Aegypti dicere Strabo aliique geographi solent.*

1735. מְסֻכָּה alia punctatione Jes. XXVIII, 20.

וְהַמַּסֵּכָה, quod nos legimus, et bene quidem, velum, sub quo cubatur somnusque capitur explicamus, Symmachus σκηνὴν vertit, (καὶ ἡ σκηνὴ τοῦ μὴ εἰσελθεῖν *angustius est tugurium, quam ut ingredi possis*) non mala sane sententia: adpellasse videtur his, quas subjeci vocalibus, הַמְּסֻכָּה. Refero, non judico.

1736. מוּסָךְ 2 Reg. XVI, 18. *porticus.*

מוּסַךְ הַשַּׁבָּת *tegumentum sabbati* aedificasse in templo Achazus dicitur. Mihi quidem porticus videtur esse, in qua sabbato aut ambulaba-

 tur,

tur, aut congregabatur populus, qualis in templo tertio *porticus Salomonis*, ſolis aeſtus imbreſque arcens.

1737. סך Pſ. XLII, 5.

Ἅπαξ λεγόμενον, bonarum aut probabilium interpretationum copia obſcurum aut anceps: ex ſerie orationis, atque maxime ex verbo אדדה pendet optio, quam praeferendam cenſeas.

1) Mihi quidem reliquis praeſtare omnibus videtur, quae et recentiorum pleriſque placuit; *turba populi, multitudo.* Hanc quidem et Gusſetus, reliquas linguas Orientales et Rabbinos contemnens, ex ſola ſe orationis ſerie exſculpere credidit: habebant tamen ante illum horum ipſorum Rabbinorum haud pauci, כלל החוגגים *coetum feriantium* (verbis Abenezrae utor) explicantes, atque Chaldaicum, סָךְ *numerus*, conferentes. Syris quoque, quamquam id proprie ad conſonantem radicem סוך pertinet, ܣܟܡ *numeravit.* Arabibus quoque شكة, *turba, ſecta.* Quomodo acciderit, ut hae literae tam diverſas a conſveta, *tegendi* ſignificationes obtinerent, meum non eſt inquirere, etymologiis, lubrico ſolo, raro fidentis. Nollem ſane haec ſcribere, quae meus dum viveret, amicus Simonis, in lexico habet, *tectio terrae, i.e. cujus copia terra tegitur.* Mihi quidem, ſi omnino conjectura tentanda, potius placuerit, סכך in his ortum eſſe ex literarum transpoſitione a כסס *numeravit.* Sed manum de tabula: nolim his incertis veſtigiis inſiſtere, quibus ſaepe etymologi, dum labuntur in lubrico ſolo, aliis riſum praebent; mihi ſufficit linguarum, Chaldaicae, Syriacae, Arabicae, undecunque ortus uſus.

2) Abenezrae ipſi, quem antea meliorem aliorum ſententiam narrantem citavi, eſt idem, quod praecedens מוסך, ſeu, ut ipſius verba ponam, מוסך שבת שהיה בהר. Hoc quidem non probabile. Confudit tempora: Davidis tempore pſalmus factus ut ex toto argumento adparet, ſeu potius ipſius Davidis pſalmus: ejus tempore nulla porticus in templo; multo minus porticus ſabbati, quam Achazum demum exſtruxiſſe vix dum vidimus, locusque ipſe, quo utitur, 2 Reg. XVI, 18. eum docere debuiſſet.

3) Alii, quorum ſententiam enarrat Raſchius, *pilentum tectum* intellexerunt, a סכך texit.

4) Solam etymologiam ſi ſpectes, his concinunt, qui, vario licet ſenſu, cum סֻכָּה *tugurio*, contulerunt: LXX. *διελεύσομαι ἐν τόπῳ σκη-*

νῆς

νῆς θαυμαστῆς ἕως οἴκου τοῦ θεοῦ. (*Porticum* intelligere videntur, et vero a palatio regis ad arcae ſacrarium pertinentem: haec vero non eſſe poterat Davidici temporis, templo nondum aedificato, cumque arca in ipſis Davidis aedibus eſſet.) Vulgata: *tranſibo in locum tabernaculi admirabilis*, ex LXX. non recte intellectis. Chaldaeus, ut plerumque legitur, *cum tranſibo umbraculum ſolus*, nulla prope ſententia, aut dubia, ſed impedivit erratum librariorum. Polyglotta Pariſienſia, ut Bruns monuit, habent, כַּד אֶעֱבַר תְּחוֹת מְטַלְּלָא לְבִלְחוֹדַי אֶתְחַיֵּל, *cum tranſirem ſub umbraculo ſolus roborabar*: eſt tamen adhuc multum impediti. Aquila, *εἰσελεύσομαι ἐν συσκίῳ, πρεσβιβάζων αὐτούς*, incertum, utrum porticum, an pilentum, aut umbraculum portatile ſolem capite arcens, intelligens. Symmachus, *εἰσελεύσομαι εἰς τὴν σκηνήν*, ipſum ni fallor tentorium arcae foederis intelligens, ſed quod אהל potius, non סכה dicendum fuiſſet. *Veniam ad umbraculum*, Hieronymus, incertum quo ſenſu.

1738. סכל, הסכיל, *ſtulte egit*, *deliquit*.

Stultitiae notionem ſub his literis Hebraica lingua communem habet cum Syriaca et Chaldaica: non habet Arabia. Mirum quidem hic accidit, quod idem ſonus SACHAL, HISCHIL, pro diverſitate ſcriptionis plane contraria ſignificat, per ס, *ſtultitiam*, per שׂ, השכיל *ſapientiam*, *intelligentiam*, *attentionem*: in Syriaca lingua ne orthographiae quidem beneficio haec contraria diſtingui poſſunt, ܣܟܠ utrumque ſignificante. Suſpicari auſim, *ſtultitiae* notionem, Arabibus ignotam, verbum adſciviſſe ex alia radice, כסל, transpoſitione literarum.

Eſt et ubi, Syrorum more, ſimpliciter eſt, *delinquere*, *graviter peccare*, nempe quod in omni magno peccato veſania: ut Geneſ. XXXI, 18. 2 Sam. XXIV, 10. 1 Paral. XXI, 8. 2 Paral. XVI, 9. quibus in locis cum videam a pleriſque errari, verbumque verti nimis etymologice, *ſtulte agere*, monuerim, Syris ܐܫܬܟܠ ſimpliciter eſſe, peccavit. Locum inſignem adſcribo. Graece et Syriace, 1 Cor. VIII, 12. *οὕτω ἁμαρτάνοντες εἰς τοὺς ἀδελφοὺς, εἰς Χριστὸν ἁμαρτάνετε*, ܐܢ ܗܟܢܐ ܡܣܟܠܝܢ ܐܢܬܘܢ ܒܐܚܝܟܘܢ ܠܡܫܝܚܐ ܗܘ ܡܣܟܠܝܢ ܐܢܬܘܢ, nec aliter Arabs Erpenii intellexit, Syriacum ܡܣܟܠܝܢ ܐܢܬܘܢ vertens, تجرمون delinquitis. Plura ſi quis cupiat exempla, inveniet in Syriaco lexico, non meo quidem, ibi enim brevior fui, ſed Schaafiano.

Pro

Pro יסכן primo Job. XXII, 2. LXX et Chaldaeus יסכל legiſſe videntur, quod de *erudiendo ad prudentiam* intellexerunt, πότερον οὐχὶ ὁ Κύριός ἐστιν ὁ διδάσκων σύνεσιν καὶ ἐπιστήμην, אפשר דלאלה יאלף גבר *forte Deum docebit homo*. Ego ſi haec in aliquo codicum invenirem, potius interpretarer, *deone peccat homo?* i. e. deumne ſuis peccatis ullo damno adficit? Sed periit ex codicibus.

1739. הִסְכִּין, סָכַן.

Diverſiſſimas verbum habet ſignificationes, quae vix ad unam primam revocari poſſunt, eſtque inſuper moleſtum, quod Arabia, ſub سكن duo Hebraeorum verba סכן et שכן complexa, lucem, quam alias ſolet, non praefert. Aliquae etiam verbo in lexicis datae non ſatis certae.

1) In his quidem eſt, *periclitari*, ſumtum ex LXX qui Cohel. X, 9. vertunt, σχίζων ξύλα κινδυνεύσει ἐν αὐτοῖς, nulla alia verſionum antiquarum conſentiente. Nec vero illorum ſolorum, conjicientium de verbo ignoto, auctoritas ſuffecerit, notioni ſtabiliendae, cujus nullum in reliquis linguis Orientalibus veſtigium: adferunt quidem Chaldaicum סכן *periclitari*, ſed ſine exemplo probante (*).

2) *Vulnerare* potius huic ipſi loco aptius videtur: ſicque Vulgata, *qui ſcindet ligna, vulnerabitur ab eis*, et graviore verbo uſus Arabs, يَعْطُبُ بِهَا *perit per illa*, (arbore, quam caedit, in caput ejus irruente.) Haec quidem ſignificatio cognata nominibus, סַכִּין, ܣܟܝܢܐ, سِكِّين *culter, gladius*: ſive verbo denominativo, ſive cultro gladioque a ſecando et vulnerando dicto. Huc et referendum ſecundum puncta maſorethica, Jeſ. XL, 20. הַמְסֻכָּן תרומה, *vulneratus oblatione*, i. e. qui ab arbore, quam caedit, idolum ex ea facturus vulneratur: ſed forte melius, הַמְּסַכֵּן, *pauper*, extuleris.

3) *Utilis fuit*, *profuit*, ſignificatio in lexica et commentarios recepta, reliquis linguis Orientalibus ignota, ſed pluribus Jobi locis, in quo hoc verbum frequens, ita apta, ut vix in dubium vocari poſſit. Adjiciam ea, licet aliqua et aliam verſionem admittant, ex hac interpretatione, addita ſemper, ubi eam expreſſerint, veterum auctoritate. Job. XV, 3.

בדבר

(*) Citat Buxtorfius Jud. XIV, 15. verum ibi מסכנותנא neutiquam eſt, ut ille vertit, *ad periclitandum nos*, ſed pro Hebraico לירשנו *ad pauperes nos faciendos*, poſitum.

בדבר לא יסכון *verbo quod non prodest*, commendante ac pene cogente hanc interpretationem sequente membro, ומלים לא יועיל בם. (Hic quidem nemo ita veterum (*)) c. XXII, 2. הלאל יסכן גבר יסכון עלימו משכיל *deone prodest homo? sibi ipse prodest, qui prudenter*, i. e. pie, *agit*. Nullus hic ita veterum (**), licet eximiam, quae ipsa se prope lectori ingerit, sententiam vix exire possis. — — XXII, 21. הסכן עמו ושלם, licet nemo ita praeierit (*⁎*), concinna atque adeo eximia sententia vertere possis: *felicitate apud ipsum fruere, et incolumis esto*. — — XXXIV, 9. לא יסכן גבר *non utilitatem inde percipit homo*, quod pius est erga deum. Solus hic ex veteribus aliquid forte ejusmodi sententiae expressit Symmachus, sed interrogative: οὐχὶ σωθήσεται ἀνήρ; reliqui omnes aliter (†). — — — XXXV, 3. מה יסכן לך *quid utilitatis provenit*

(*) LXX. οἷς οὐδεῖ, et Syr. ܕܠܐ ܟܐܢܢ *quae non recta* vel *convenientia sunt*, ac si סכן esset, convenire, quod linguarum Orientalium nulla firmat. Vulgata, *qui non est aequalis tibi*, ex quarta quam supra posui consuescendi, indeque familiaritatis notione. Chaldaeus, דמכסן במלין ולא יאלף *qui arguit verbis et nihil docet*, ac si יסכל vel ישׂכל legisset.

(**) LXX et Chaldaeum omitto, qui יסכל aut ישׂכל legisse videntur. Vulgata: *num quid deo potest* COMPARARI *homo, etiam cum* PERFECTUS *fuerit*. Syr. ܕܠܐܠܗܐ ܢܐܡܪ ܓܒܪܐ ܕܐܢܬ ܕܡܐ ܐܢܬ ܠܗ ܒܚܟܡܬܐ *deone dicet homo, quod tu similis ei sis sapientia*. Aequalitatis et similitudinis notionem hos sumsisse vides, sed et aliam, pro verbo bis occurrente.

(*⁎*) LXX. γένου σκληρὸς ἐὰν ὑπομένῃς *esto durus* (fortis) *in adversis tolerandis*, quod quomodo הסכן significare possit, non adsequor. Vulgata, *adquiesce ei*: سكن *quietus*, *sedatus fuit*, sed hoc forte ad Hebr. שָׁכַן referendum. Syrus, ܐܫܬܘܐ ܥܡܗ, exque eo Arabs, أستوي معه, *aequus esto illi*, i. e. *res tuas cum eo amice compone*. Vides hic amicitiae et consensus notionem interpreti placuisse. Sic et Chald. אֲלַף עִמֵּיהּ *consuesce cum ipso*.

(†) LXX οὐκ ἔστιν ἐπισκοπὴ ἀνδρὸς, (nulla inspectio hominis, deus non curat, nec ad animum revocat, quid faciamus) hi forte, mali grammatici, יסכון cum סכה *spectare* conferentes. Theodotion (ut alias LXX vertere sub n. I. diximus) οὐ κινδυνεύσει ἀνήρ, *non periclitabitur homo*. Vulg. *non placebit vir deo*, Syr. ܠܐ ܙܟܐ *non innocens est vir coram deo*.

nit tibi, et quid ipſe utilitatis habeo ab expiatione mea, ſeu, piaculari meo ſacrificio, quod pro tota pietate ponitur. Sic quidem, non LXX qui hos verſus omiſerunt, ſed ex quo ab Origene ſuppleti ſunt, ſive Theodotion, ſive, ut in Hexaplis citatur, Symmachus: τί συμβαλεῖταί σοι; et Syrus, ܡܘܬܪܢܐ ܡܘܬܪܢܐ *quae utilitas* (*)?

Eſt haec ſignificatio, veteribus quidem, ut vidimus, non plane ignota, nec tamen eorum auctoritate multum firmata, reliquis linguis Orientalibus ignota, Chaldaicam enim quod teſtem adducunt, dubio ſit exemplo Job. XXXIV, 9. ubi Chaldaicum סכן pro Hebraico poſitum, denique certae *vulnerandi* ſignificationi, ac derivato מסכן pauper, ita contraria, ut abdicanda videri poſſet, niſi filum orationis his ipſis, quae indicavi, Jobi locis eam valde ſvaderet. Omnibus mire apta, etiam illi, quem ad aliam ſignificationem retulerunt fere omnes, XXII, 21. Omnia ex hac notione lucent, aliqua, ut XXXIV, 9. vix aliter explicare poſſe reor. Ergo poſt multas dubitationes ut certam ſumo, ſed uni Jobi libro, id eſt, Hebraiſmo antiquiſſimo atque obſoleto peculiarem. Unde in radice, alia omnia ſignificante, orta? non inquiro, fas eſt, etymologici aliquid, et vero tantae antiquitatis, ac linguae cujus non niſi fragmenta habemus, ignorare: antiphraſin qui credunt, mihi in gravi oratione valde adhuc dubiam, atque ab ironia magno intervallo ſejunctam, hac quidem uti poterunt.

4) הסכין quin ſit, *conſveviſſe*, *ſolere*, Num. XXII, 30. vix quisquam in dubium vocavit: idque ad alia loca transtulerunt, feliciter ſatis ad Pſ. CXXXIX, 3. וכל דרכי הסכנת *et omnibus meis viis adſveviſti*, intime cognitas habens; infeliciter ad Job. XXII, 21. הסכן עמו ושלם, *conſveſce cum ipſo*, *et ſalvus eſto*, i. e. in amicitiam redi cum Deo. Mihi vero *conſveſcendi* verbum nimis familiare et aequale, ubi de recuperanda ſummi numinis gratia ſermo.

At vero hanc ipſam conſvetudinis notionem, quae ex Num. XXII, 30. ut indubia ſumitur, ignorant reliquae linguae Orientales omnes, nec habent ex interpretibus, praeter, Chaldaeum, et Arabem utrumque. Vulgata et Syrus generatim, nulla conſvetudinis mentione, *quid ſimile unquam feci?* LXX μὴ ὑπεροράσει ὑπεριδοῦσα ἐποίησά σοι οὕτως *num deſpiciendo te* (ſic fere intelligunt; poſſis etiam, *negligentia*, *imprudentia*) *ita tibi unquam feci?* Legiſſe videntur, הסכל הסכלתי, num tale quid deliqui contra te. Sic et Samaritanus in verſione, הסכל הסכלת, licet in textu Samaritani codices verbum הסכן ſcribant. — — Jam quid mihi de

(*) Aliter Vulgata: *non tibi placet.*

de loco videatur, si quaeras, lectionem quidem duobus testibus mutare non ausim, nec placent adliterationes: refero ad secundam *vulnerandi* significationem: *num unquam te vulneravi vel laesi, faciendo ita*, (pedem ad murum comprimendo, aut in genua procidendo?)

5) At quid his psalmi CXXXIX, 3. כל דרכי הסכנת fiet, si consvescendi significatum a verbo abjudicaverimus? Προεῖδες, *praevidisti*, vertunt LXX et Vulg., ܐܠܬܒܐ *investigasti*, Syrus, *intellexisti*, Hieronymus: at horum quidquam quomodo הסכין significare potest, nisi adliterationis incerta ope idem esse dicas cum השכיל? Nihil equidem explorati habeo: abdicato tamen consvescendi etymo, possis familiaritatis notionem retinere, ex Arabico سكن, quod Giggeo est, *familiaris fuit*. Vereor tamen ne potius sit ad Hebraicum שכן *habitavit* referendum. In mentem mihi venit, tertiam verbi nostri significationem in subsidium vocare: *prosperas facis omnes vias meas*, felix earum exitus a te pendet: sed dubitans haec scribo, nec dum liquet.

6) Syrus Coh. X, 9. *defatigari* vertit, (ܢܫܢ ܒܗ). Forte cum hoc conjunctum, quod Judaeorum aliqui ex 1 Reg. I, 2. confingunt, סכן esse *calefacere*. Vide Raschium ad utrumque locum. Hanc vero significationem Orientalium linguarum nulla habet: Arabicum enim, quod forte aliqui spectarunt, سخن *caluit*, non est Hebr. סכן sed שחן.

1740. סוכן Jes. XXII, 15. *familiaris*, vel, *cubicularius*.

Ἅπαξ λεγόμενον, quod aliqui veterum, non verterunt, sed retinuerunt, Syrus, ܣܘܟܢ, Theodotion, σώκην. Qui interpretantur, in duas classes divisi.

Primo aliqui pro nomine loci seu aedium habuerunt, quas ingredi Jesaiam jubet Deus. Sic quidem

1) LXX παστοφόριον vertunt, i. e. sive *cubiculum*, sive *porticum*: πορεύου εἰς τὸ παστοφόριον πρὸς Σομνὰν τὸν γραμματέα, vel, ταμίαν. Commendat interpretationem diversa constructio nominum, סוכן cum אל, nominis proprii שבנא cum על, tres tamen codices utrobique אל habent. Qui sic interpretabantur, ad סוכה n. 1732. retulerunt.

Plerisque hominis munerisque nomen visum, sed his quoque interpretatione valde diversis, de quibus arbitraturi meminerimus, Sobnam, *praefectum*, ut statim dicitur, *palatii* fuisse, אשר על הבית. Ergo

 2) Vul-

2) Vulgata, *ad eum qui habitat in tabernaculo*, Hieronymusque in commentario: *praecipitur prophetae, ut ingrediatur ad eum, qui habitat in tabernaculo quod Hebraice dicitur, SOCHEN.* Tabernaculi nomine, ut ex his quae ſequuntur colligo, *thalamum* (conclave aliquod) *templi* intelligit, *in quo habitat praepoſitus templi*, male ille quidem, cum verſus 21. 22. nos doceat, *domum* cui Sobna praefectus, non templum fuiſſe, ſed domum Davidis, palatium. Caeterum et hic ad סֻכָּה retulit. Proximus illi, ſed obſcurior, Aquila, πρὸς τὸν σκηνοῦντα. Vide et lex. Syriacum p. 596.

3) Σκοινοποιοῦντα, *tuguria facientem*, ex eodem a סֻכָּה fonte, vertit Symmachus, obſcurum, quo ſenſu.

4) פרנסא Chaldaeus vertit, forte, *diſtributorem alimentorum, diſpenſatorem, alimentorum theſauris praefectum* intelligens, a פַּרְנֵס *alere* ita Chaldaeis dictum. Sic fere et Vitringa *promum condum* vertit. Septuaginta quoque ſequens, עַל הַבַּיִת, ταμίαν. — Sic quidem nomen ex ſequente מסכנות *horrea, theſauri frugum*, Exod. I, 11. explicatur: veriſimiliter, quod palatio regio praefectus etiam his quos regia continebat theſauris frugum praeeſſe potuerit. Eſt tamen in derivatione, quod grammatico dubitantiori diſplicet, omiſſio literae מ in מסכנות. Dubitarem, niſi ſequens n. 1741. סוכנת plane me ab hac explicatione maſculini revocaret. Clericus ex eadem etymologia, ſed jam minus veriſimiliter, *aerario praefectum* vertit: aerarium quidem illo tempore forte non magnum; nec video, quomodo aerario praefectus pater eſſe Hieroſolymitanorum et Judaeorum poſſit, v. 21.

Mihi quidem, nihil horum ſatis probanti, duo ſe offerunt, derivatione diverſa, re eadem:

5) סכן ſi ſignificavit, ut Arabicum سكن, familiaris fuit, *familiarem regis* intellexerim, i. e. *amicum*, cum quo converſari ſolet, non tam conſiliarium, quam aulicum, ſed qui bona ſvadere aut mala multa poteſt, populi et pater eſſe, et hoſtis. Ex his quidem praefectus palatio, primus.

6) Haec ſignificatio verbi ſi dubia, poſſis mutatis vocalibus סוֹכֵן, ad סוֹכָה referre, non jam, tugurium, ſed ex octava ſignificatione p. 1747. *adytum, receſſus* intimior regis, *cubiculum*, ut nos dicimus. Sic eadem

eadem manente sententia erit, *cubicularius*, nostri seculi vocabulis, *Cammerherr*, *Chambellan*.

1741. סֹכֶנֶת 1 Reg. I, 2. 4. *familiaris*, *amica*, vel, *concubina*.

Quae vix dum de סוכן dixi et huc transfero. Verbum סכן si significat, *familiaris fuit*, familiarem, amicam regis interpretor, quae cum ipso versetur, habitet, atque etiam dormiat: sin secus, סֹכֶנֶת efferens, a סְכָה *recessu intimo*, *cubiculo*, cubiculariam, thalami sociam, *concubinam* regis, sed tamen sine Venere, ut ex historico reque ipsa liquet, concubinam. Sic recte alia versio Graeca in Origenis Hexaplis, *σύγκοιτος*.

Mirum quid alii veterum et recentiorum ex vocabulo invito, atque alia omnia offerente, effecerint. Solos non adcuso Syrum et Arabem, qui cum non intelligerent, ex sensu *ministram* interpretati sunt, ܡܫܡܫܢܝܬܐ, تشمشه. At

1) ut jam dixi, Judaeorum aliqui, Raschius, a *calefaciendo* dictam putarunt, quae in lecto calefaciat Davidem, *calefactoriam*. Sed jam antiquior error etymologicus. LXX. *ἔσται αὐτῷ θάλπουσα*, et Hieronymus, forte a suo sic Rabbino edoctus, *foveat eum*. Errorem qui primus praeiit, aut ex narratione ita conjecit, aut Arabicum سخن *caluit*; *incaluit*, discrimini utriusque literae ח et כ aures non habens, cum סכן confudit, ut aliquos etiam doctorum virorum שלח et שׁלך confudisse fama refert.

2) Recentiorum plerique, Kimchio duce, *promam condam*, *oeconomam*, *penuariam* intellexerunt, ad מסכנות referentes. Hi vero mihi semper ridicula dicere visi sunt. Magni regis concubina aut familiaris non penum, non promtuaria curat. Kimchio talia condono, cujus tempore sancti episcopi, uxoris legitimae usum castitate interdicente, coquas et oeconomas pro concubinis habebant, quamquam inter regem Israeliticum, et Episcopum, multum interest: at recentiores repetere non debuissent.

1742. סלד Job. VI, 10. *exsultavit?* an, *obduruit*, *lapideus fuit?*

Ἅπαξ λεγόμενον, atque linguis Orientalibus omnibus, praeter Rabbinicas, ignotum: in his vero parum auctoritatis residet, quod significationes non ex usu viventis linguae, sed ex interpretatione recepta mortuae Hebraicae, dare solent. Est quidem Thalmudicis, ut volunt, *aduri*, idque in lexicon recepit

pit Kimchius: Rabbinis recentioribus, *oravit, supplicavit*, hoc lexico intulit Reuchlinus, versioni Germanicae Lutherus, *und wollte bitten in meiner Krankheit*. Veteres ita dissentiunt, ut intelligas, nihil harum Rabbinicarum significationum illis notum fuisse, nec certi quidquam eos de raro verbo habuisse: Syrus, ܐܬܚܣܢ *implebor* (iterum robore), Vulgata, *adfligens me* (dolore). Soli consentiunt in *exsultandi* notionem LXX et Chald. ἡλλόμην, אבוע. Hoc quidem, *exsultare*, ex reliquis verisimillimum, unicumque cui aliquid ex linguis Orientalibus opis adferri possit. صلد, ut jam monuit Schultensius, *saltu terram pedibus percussit equus*: Arabibus saepe eadem verba per س et ص promiscue scribuntur, ac certe, si Hebraicum סלד habent, sub صلد quaerendum, cum radicibus سلد et شلد lexica Arabum omnino destituantur. Ergo hoc in versione germanica praetuli.

Est tamen unica memoranda conjectura Cocceji, quae huic explicationi palmam facere dubiam possit. Vertit, *indurescere*, alia deinde conjecturalia non digna excerptu etymologiasque addens. *Indurescere, obdurescere*, סלד recte ex eodem صلد significare possit, quod inter alia est, *dura fuit* terra, صَلْد *durus*, inprimis, *durus lapis*, ex quo ignis elici potest, unde et verbum, *sonuit percussus* ejusmodi lapis, *nec ignem edidit*. Corano Sur. II, 266. *petra, antea humo tecta, sed a qua imber humum aufert, fit*, صَلْدًا *durum saxum, quod non prodest ad quidquam*. Nomen صَلْد vide locis (quae Castellus indicavit, ego mutuor) Deut. VIII, 15. XXXII, 13. 2 Reg. XIX, 25. Sap. XI, 4. Verisimillime ergo אסלדה בחילה vertere possis, *obdurabo me, saxeus tanquam ero, contra dolorem*. Praeferre incipio.

Meras recentiorum conjecturas omitto.

1743. סָלָה et סָלָא, Job. XXVIII, 16. 19. Ps. CXIX, 118. Thren. I, 15. IV, 2. *rejecit, sustulit, in libra adpendit*.

Utrumque verbum conjungo, quod alterum jam tertia radicali ה, jam א scribitur, licentia satis antiqua. Sunt autem, a prima origine si repetas, distinguenda nec miraberis, diversissimas sub easdem literas vetere errore inque ipsa lingua vernacula significationes coiisse. Ergo

1) סלה est Syrorum ܣܠܐ, *rejecit*. Sic ponitur Ps. CXIX, 118. ex consveta lectione, סלית כל שוגים מחקיך, *rejecisti omnes qui aber-*

aberrant a statutis tuis, ex alia, שׁוֹגִים, quam infra sub hoc vocabulo ponam, *rejecisti omnes scorias a lege tua.* Hanc lectionem si praeferas, memineris, Syris verbum de reprobo metallo poni, ut Jes. I, 22. כספך לסגים היה, ܟܣܦܟܝ ܐܣܬܠܝ *argentum tuum rejectum est*, i. e. *reprobum est.* Syrus hic quidem harmonice ܐܣܬܠܝ: LXX et Theodotion liberius ἐξουδένωσας, *sprevisti.* — — Eodem modo et acceperim Thren. I, 15. *rejecit*, *sprevit Jehova omnes fortes meos:* reprobare, spernere heroas Deus dicitur, cum inferiores ex praelio discedunt: reprobum tanquam metallum, futile ferrum, eos ostendit.

2) سَلَا pro سَلَوَ est, *sustulit*, ex lexicorum certe auctoritate, exemplum enim non adferunt, nec ego legere memini. Hinc potuerit dici, quod in libra tollitur, id est, quod cum cum alio adpenditur, aequo pondere cum eo permutatur. Sic videtur poni Job. XXVIII, 16. לא תְסֻלֶּה בכתם אופיר *non adpendetur cum auro Ophiritico*, (ad literam LXX. οὐ συμβασταχθήσεται χρυσίῳ Σωφὶρ, et quodammodo Chald. לא יעלנה דהבא *non ascendere faciet eam aurum*, id vero est ex usu linguae, non aestimabitur auro: Aquila, οὐκ ἀναβληθήσεται: ad sensum Vulgata, ex Aquila ut puto, *non comparabitur auro*, Syr. ܠܐ ܡܫܬܘܐ, *non aequabitur*, exque eo Arabs, لَيْسَ تُبْدَل *non permutabitur cum auro.*) Ibidem v. 19. בכתם טהור לא תְסֻלֶּה, eadem sententia. — — Thren. IV, 2. ubi nulla lectionis varietate per א scribitur, pro more Jeremiae Chaldaizante saepius א et ה promiscue scribentis, הַמְסֻלָּאִים בַּפָּז *adpensi auro contra.* Sic ibi literaliter LXX οἱ ἐπηρμένοι ἐν χρυσίῳ, et ad sensum Syr. ܡܬܠܝܢ ܒܕܗܒܐ *praelati auro.*

Mirari jam possis, quid sit, quod in lexicis quibusdam, primariis adeo, legas, *calcavit*, ut Ps. 119. *calcasti omnes aberrantes a statutis tuis?* Fuerunt, qui סָלִיתָ Ps. CXIX, 118. (mali sane grammatici) ad radicem סלל referrent, huicque ex מְסִלָּה *via strata*, *calcandi* notionem confingerent. Chaldaeus, כבשת *pedibus calcasti:* id Kimchius, reliquarum linguarum praeter Chaldaicam imperitus, in lexicon recepit, ipsum verbum סלה explicans per דרך ורמס, exque eo et Reuchlinus, unde nec mirum, in Lutheri versionem immigrasse. Habent et alii Rabbini, ut Raschius, ad Thren, I, 15. adeo manifesto vitio grammatico, סולו סולו Jes. LXII, 10.

10. conferens, his crediderunt Christiani. Alio modo ad סלל referebat Aquila, ἀπεσκόλπισας, (*ut spinas extraxisti*), ac si esset a סִלּוֹן *pali, spinae*. Hujus radicis si esset, scribendum סִלּוֹתָ, quod nullus habet codex, nec sive סלל sive סלה ulli linguae Orientali calcare. Thren. I, 15. Syrus eodem modo vertit ܟܒܫ, Chaldaeus, כבש, sed puto eum סבש scripsisse.

Alias ut obiter veterum versiones, haud mihi probatas, memorem, Ps. CXIX. Symmachus habet, ἀπήλεγξας, *redarguisti*, Thren. I, 15. LXX ἐξῆρε, Vulg. *abstulit*, quod possit a *tollendo* verbum significare, Thren. IV, 2. Vulg. *amicti auro puro*, (hoc unde?) et Chaldaeus, *figura similes auro puro*, מתילין איקונידהון, absurde! quae enim auro figura? sed suspicor ipsum interpretem scripsisse, איקורידהון *aequales sunt pretio suo auro*: sic mecum consenserit.

1744. סֶלָה compendium scriptionis ignotum.

De סֶלָה, in psalmis saepissime, ter in prophetis, Habac. III, 3. 9. 13. obvio, multum disputatum est, sed id unum lectores meos docere velim, nihil nos scire.

1) Vix potest esse a radice praecedente סָלָה ortum. Id quidem certum, si puncta sequamur masorethica: grammatico enim quid inde derivatum סֶלָה, quae pars orationis videbitur? Nomen si velis formae Segolatae, סֶלִי potius scribendum fuisset. Ex Vriemoto quod sumsit Simonis, esse formae סְאָה retracto ob pausam tono, sine exemplo est: a כְּלִי dicimus in pausa כֶּלִי, numquam a סְאָה, סֶאָה; interpretatio autem quam addunt, *prostratio vocis*, ex significatione verbi סלה commentitia, de qua vix dum diximus, ducta. Ergone imperativum faciemus, סֶלָה, plane opposito sensu, *attolle vocem*, in pausa סֹלָה? Foret quidem non falsae superstructum etymlogiae, at similem imperativi formam, בֶּרָה pro בְּרֵה, idque pro בְּרֵה, non habemus. Monstrum vocis grammaticum, si modo vox est, non, ut jam dixi, compendium scriptionis.

2) Nec veterum interpretationes offerunt quod placere, aut probari philologo, non ad omnia credenda formato, queat.

Διά-

Διάψαλμα vertere LXX solent, cumque iis Theodotion et Symmachus (*), i. e. mutationem rhythmi, vel melodiae, quo de vocabulo vide Bielii lexicon, et Svidam: hosque in versione sequitur Hieronymus, (DIAPSALMA) licet aliquando forte aliter sentiens. Ipse quidem de voce *diapsalma* epistolam scripsit ad Marcellam, T. II. p. 706. in qua quid significet ambigit: *quidam diapsalma commutationem metri dixerunt esse, alii pausationem spiritus, nonnulli alterius sensus exordium. Sunt, qui rhythmi distinctionem; et, quia psalmi tunc temporis juncta voce ad organum canebantur; cujusdam musicae varietatis existiment silentium. Nobis nihil horum videtur.* Recte ille, nec assequor, qua arte aut quibus fidiculis linguarum orientalium peritus quidquam horum ex literis סלה exprimere possit. Nec ea est psalmorum interpretis Graeci, indoctissimi hominis, ut cum solo de ignorantiae primatu contendere Jesaiae interprete possit, auctoritas, ut ei ignota linguis Orientalibus omnibus tradenti, credamus.

Pluribus סלה est, *in aeternum, in perpetuum*, Aquila, ἀεί, Symmachus, ut eum alicubi in Hexaplis legimus, (ex his refero, licet supra ex Origene ad aliam eum versionem retulerim) εἰς τὸν αἰῶνα. Alii εἰς τέλος. Sed haec valde confusa, contradicitque aliquando is qui citatur ex Hexaplis, Origeni ex illis in epistola Hieronymi referenti. Has minutias me persequi forte nolint lectores, cum de rei summa constet, multos ita vertere. Chaldaeus quoque vertere solet, לְעָלְמִין, quem Judaei sequi solent: Raschi Ps. LXVIII, 8. vertit, *in perpetuum*, et cum reliqua oratione construit: *ibi perpetuas tuas nobis demonstrasti vias, nempe pro omni angustia esse liberationem.*

In has partes it Hieronymus, in epistola, quam dixi, ad Marcellam, cujus haec excerpo, ut plenius sententia intelligatur: *ex quo animadvertimus, hoc verbum superiora pariter inferioraque connectere, aut certe docere, sempiterna esse quae dicta sunt, ut est illud in tertio, multi dicunt animae meae, non est salus ipsi in Deo suo, semper. Et rursum, voce mea ad Deum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo, semper. Et in quarto, ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium, semper? — — Et in Abacuc, Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan, semper.* Addit idem: *scire autem debemus, apud Hebraeos in fine librorum unum e tribus*

(*) Vide verba Origenis, ab Hieronymo excerpta T. II. operum ejus p. 708.

bus solere subnecti, ut aut AMEN *scribant, aut SELA aut SALOM.* — *Igitur ut solemus nos completis opusculis ad distinctionem rei alterius sequentis medium interponere,* EXPLICIT, *aut,* FELICITER, *aut aliquid istiusmodi: ita Hebraei, ut quae scripta sunt roborentur, facere solent, ut dicant, Amen! aut, in sempiternum* &c.

Nihil in his verisimile. Sola conjectura aut magistrorum auctoritate sumitur, סלה esse *semper*, quod Orientalium linguarum nulla sub his literis habet, ac ne derivationem quidem offert. Ab *Amen*, quod librorum aliquando finem facit, vix video, quid ad SELA, medio carmini interponi solitum, pertinere possit. Fac et periculum psalmos legens, SEMPER, interpretari, videbisque illud SEMPER ita saepe otiose positum, ut eo carere malis.

3) Mihi quidem compendium scriptionis esse videtur, literis initialibus, vel etiam aliis, pro integris vocibus positis. Frequens id Judaeis, Syris, Arabibus, solentque ejusmodi literis sonos etiam vocales addere. Nostrum nos, u. s. f. totum legendo exprimimus, *und so ferner*, at suum ז״ל, i. e. זכרנו לברכה, *memoria ejus in benedictionem*, Judaei זַל efferunt, זצ״ל pro זכר צדיק לברכה, *memoria justi in benedictionem*, זַצַּל. Aliquid musici significare videntur tres voces per סלה expressae, quid autem? de eo conjecturam facere audax, cum tota prope musicae Hebraeorum notitia nobis una cum vocabulis perierit, relinquendumque Meibomii similibus, qui סב למעלה השר *redi sursum cantor*, (Da Capo) interpretabatur. De his Orientalium compendiis eo difficilius conjecturam facere, postquam eorum memoria periit, quod non solas literas initiales, sed et medias finalesque ponunt ut in illo Muhammedis encomio, pro ipso nomine poni solito, صلعم (Tsalam) pro صَلَّى اللّه عَلَيْهِ وَسَلَّم, *benedicat ei deus et det pacem.*

Haec cum ita sint, in versione bibliorum סלה semper omisi, Syri interpretis exemplo: barbarum enim, ac significatu cassum SELA germanicis mediis identidem intextum, ridiculum mihi sonare videbatur.

1745. סלח Num. XXX, 6.

Verbum de condonatione peccatorum Hebraeis frequens, soli hac significatione Chaldaei Samaritanique habent, non Arabes, non Syri, unde fit, ut luce etymologica destituatur. Certa haec et usitata notio

vix

vix locum habet Num. XXX, 6. nec enim peccabat, quae jussu dei patri obediret votum irritum facienti: hic ergo, יסלח לה verterim, *Deus remittet illi votum*, i. e. debitum, obligationem ex voto. Ex hoc quidem exemplo suspicor, primam vim verbi *in remittendo debito* esse, idque ad remissionem peccatorum ita transferri, ut est in Graecis, Matth. VI, 12. *ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν.* Syris inprimis frequens reatum peccati *debitum* (ܚܘܒܐ) vocare.

1746. סלל *viam parare*, Hithp. *ut aggerem se opponere.*

סלל de viarum paratione poni, notissimum, unde et מְסִלָּה *via publica* nomen accepit. Sic quidem, ut uno exemplo utar, Ps. LXVIII, 5. סֹלּוּ vertunt, LXX *ὁδοποιήσατε*, ex his Arabs يسّروا طريقا *rectam facite*, seu, ut est in Msc. Vaticano, مهدوا *complanate viam*, Symmachus, *καταστρώσατε τὴν ὁδόν.* De significatione ipsa dubitari nequit, (vide e. g. Prov. XV, 19. Job. XIX, 12. XXX, 12. Jerem. XVIII, 15.) at de etymo, non consultis linguis Orientalibus, ex suae plerumque patriae ingenio viarumque muniendarum ratione, conjecturam duxerunt recentiores, summaque fiducia conjecturam pro facto ac certo posuerunt. Boreali sub coelo viarum multae elevando atque exaggerando parantur, ob palustre solum, maxime in Belgio, cujus pleraeque viae aggeres et vero perangusti. Hinc Coccejus aliique statuerunt, סלל ex prima vi esse, *elevare*, *exaggerare*, maxime cum viderent et vallo סוללה nomen esse. Nec tamen, sive Coccejum, sive alios sequaces adcuso, praeierant enim jam alii, ipseque adeo, in Hispania natus, sed cis Pyrenaeos montes Narbone degens, Josephus Kimchius, teste filio, Davide, qui in libro radicum, postquam professus esset, sibi omnes verbi סלל notiones ad elevationem redire *videri* (ועל דעתי כי כלם ענין אחד הם ההרמה וההגבהה ergo, conjicere se fatetur, non ut qui eum sequebantur pro certo ponit) addit, *pater etiam meus* מסלה *interpretatur*, *aggerem*, *quod elevent viam lapidibus*, *quos ponunt in ea.* Nec tamen quidquam in his solidi, nulla enim linguarum Orientalium his sub literis *elevandi* notionem habet: ac ne conjectura quidem siccae et saxosae Palaestinae, aut saxosae et arenosae Arabiae naturae apta, quibus in regionibus raro opus erit, vias publicas elevare, lapidibusque insternere. Illi quidem quos vixdum citaveram veterum, de aequatione potius viarum cogitarunt.

Solus ex veteribus etymon expressisse, verumque invenisse videtur Aquila, Ps. LXVIII, 5. vertens, ἀποσκολοπίσατε, i. e. *palos*, *radices*, *spinas evellite*, atque *sic viam complanate*. Firmant hoc linguae Orientales, quibus est سَلَّ *extrahere*, unde et Hebraeis, ab eradicando, סַלּוֹנִין *spinae*, Chaldaeis סלויא. Insignis pro hac verbi significatione locus, modo ad oppositionem animum advertas, Prov. XV, 19. דרך עצל כמסכת חדק וארח ישר סללה, *via pigri est ut* SPINIS OBDUCTA, *sed via recti* (recta ante se procedentis) סללה: LXX ibi, ὁδοὶ ἀέργων ἐστρωμέναι ἀκάνθαις, αἱ δὲ τῶν ἀνδρείων τετριμμέναι, Syrus et Chaldaeus ܦܫܝܛܐ *aequas* vertunt. De sententia dicti vide notas ad versionem germanicam. Adde et Jes. LVII, 14. ubi סֹלּוּ statim explicatur per פַּנּוּ דרך הרימו מכשל *purgate viam*, *tollite offendiculum*. Ex hac notione etiam Vulgata haec Jeremiae, c. L, 26. סָלּוּהָ כְמוֹ עֲרֵמִים interpretata est, *tollite de via lapides et redigite in acervos:* quamquam hic alia praeplacet interpretatio.

Nempe a, *viam parare*, vel ut denominativum a מְסִלָּה, potest סלל et esse. *viam multum eundo et redeundo tritam facere.* Sic mihi poni videtur Job. XIX, 12. *veniunt una turmae ejus* ויסלו עלי דרכם *et tritam faciunt ad me viam suam.* Sic plane Syrus, ܘܕܫܘ ܥܠܝ ܐܘܪܚܬܗܘܢ exque eo Arabs وداسوا علي طرقهم *calcant* (calcando tritas faciunt) *contra me vias suas.* Hinc et jam Jeremiae verba interpretari malim: *tritam illam facite*, ut tota nudata aedificiis murisque Babylon, trita sit (ut nunc vere est) et publica via. (Quod si forte quaeras, qui factum sit, ut LXX ἐρευνήσατε αὐτὴν verterint, Syrusque *examinate illam ut nudam?* suspicor illis סלל hic visum fuisse, *exsuere*, quod سَلَّ et شَلَّ Arabum significat.)

Hithpael הסתולל quid significet Exod. IX, 17. עודך מסתולל בעמי, interpretibus antiquis non constat, licet recentiores satis esse unanimes soleant. LXX ἐμποιῇ τοῦ λαοῦ μου, quod ipsum quid sit ambigitur, ac plerumque ex ignoti Hebraici communi interpretatione conjicitur, mihi quidem est, *potiris meo populo*, in tua illum potestate retines: sic et Symmachus, κατέχεις, Vulg. *retines populum meum*, Syrus ܡܫܬܡܥܒܕ ܐܢܬ: quae quomodo verbum significare possit, Orienta-

entalium linguarum peritus vix dixerit. Chaldaeus, כבישת, ſive, *ſubjugas, ſubjicis tibi*, ſive ut Raſchius explicat, *calcas pedibus;* vult ille verbum ductum a מְסִלָּה *via ſtrata.* — — Aquila, ἀντιποιῇ, quod ipſum quid ſit, diſputatur, forte, *repugnas*, vel etiam *potiris*. Arabs Pol. مترّبّص quod ipſum dubium, Samaritanus, מדלם *doloſe agis, decipis.* Recentiores plerumque ex ficta *elevandi* notione, *effers te contra populum meum*, quibus ex veteribus ſolus praeivit Arabs Erpenii, ترفع علي قومي.

Veriſimilius mihi videtur, ad סֹלְלָה *aggerem*, referre, ut denominativum: *tanquam aggerem te opponis populo meo, non illum dimittendo:* praeter veriſimilem etymologiam, ad ſeriem orationis aptam, nihil in ἅπαξ λεγομένῳ habeo.

1747. סלסל Prov. IV, 8. *elevavit, exaltavit.*

Ad radicem סול licet quadriliterum referam, tamen hic poſui, ubi quaeſitum iri a plerisque puto, lexicis aliis praeeuntibus: idque eo magis neceſſarium factu, quod paulo ante a radice סלל elevandi notionem abjudicavi, quam in hoc quadrilitero agnoſco. Eſt, niſi fallor, quadriliterum a סול, non a סלל. Arabibus شال pro شول *elevavit, ſuſtulit:* hoc ſciens, et haec legens, סַלְסְלֶהָ וּתְרוֹמְמֶךָּ, vertet, *eleva illam, et elevabit te*, ſummum honorem habe virtuti, et ipſa tibi ſummum honorem largietur.

Ad סוללה *aggerem* ut denominativum referentes LXX verterunt, περιχαράκωσον αὐτὴν καὶ ὑψώσει σε, id vero eſt, me quidem interprete, *vallo cinge illam, tum tibi munimentum invictum erit*, ſimilitudine petita a loco munitioni apto, quem ſi vallo incluſeris tutum te ab hoſtibus praeſtabit, nec tamen ab urbibus, hae enim muro cingebantur, non vallo, ſed a caſtellis munitionibusque caſtrorum. Memineris, Hebraeis munita dici, alta, ut in שׂגב. Addam tamen et quomodo alii Graeca verterint: Polyglotta, et jam ante ea vetus latina, *circumda illam, et exaltabit te;* Arabs سيّج حولها فتعليك *ſepem fac circa illam et elevabit te.*

Hoc circumdare alii ad amplexationem retulerunt, ſequenti membro perquam apte, ut, (qui alias in Proverbiis ſequi Graecos ſolent) Syrus ܥܒܩܝܗ ܘܬܪܘܡܡܟ, iisdemque verbis Chaldaeus, חַבְּבִיהָ דִּי

 תרוממנך

תְּרוֹמְמֶךָּ *ama* (vel amplexare) *illam ut te exaltet.* At quomodo סלסל hoc significare possit, haud liquet: placuit tamen Schultensio, vertenti Hebraica, *circumflectitor eam (ut vitis flagellis suis) et attollet te*, perquam sane eleganter, addito etiam etymo, sed in quo adhaereo. Primo sumit, סלסלות Jerem. VI, 6. esse *flagella vitis*, de quo gratis sumto dubito: deinde confert Arabicum سلسل *connexuit*, *concatenavit*, تسلسل *cohaesit catenae more*, verum hoc non ad סלסל Hebraicum, sed ad שַׁלְשֶׁלֶת, سلسلة, *catena*, referendum.

1748. מסלול, מְסִלָּה *via trita.*

Jam supra p. 1746. de etymologia dixi, censuique, non ab elevando, sed ab evellendo stipites, radices, spinas, viam tritam nomen habere.

Unus, fateor, locus, sed novissimi ac jam morientis Hebraismi obstat, videturque sumtam a plerisque elevandi notionem radici adserere, 2 Paral. IX, 11. Sunt ibi מְסִלּוֹת, non quidem, ut alias, viae publicae, sed, interpretibus Graecis, *ἀναβάσεις τῷ οἴκῳ τοῦ κυρίου*, Vulg. *gradus in domo domini*, Chaldaeo, כִּבְשַׁיָּא לְסעד, *gradus vel clivuli in fulcimentum*, vel, *ascendendum* aut, ut legendum suspicor, כבשיא בסעיד *gradus cum fulcro*, Syro, ܡܣܩܢܬܐ, quod quid significet, obscurum. Mihi quidem hoc serioris Hebraismi vocabulum, mutatis vocalibus, מְסִלּוֹת ad radicem סלה, شلو, *ivit*, referendum videtur, aut si, ut habent codices haud pauci מסילות invenias, ad شال sustulit; totumque a מְסִלּוֹת *viis stratis ac publicis*, dirimendum.

1749. סִלּוֹן Ezech. II, 6. XXVIII, 24.

Valde dissident in nomine, bis modo, punctis diversis, סַלּוֹן et סִלּוֹן, lecto, veteres, ne sibi quidem ipsi consentientes. Capite II, 6. Vulgata, *subversores* vertit, Syrus ܡܣܠܝܢ ܠܟ *rejiciunt te*, ad radicem ܣܠܐ referens, Chaldaeus מַקְשָׁן *indurantes se contra te*, LXX mire, *ἐπισυστήσονται ἐπὶ σε κύκλῳ*, *consistent contra te circumcirca*, quod unde? At iidem c. XXVIII, 24. LXX, quos maxime probo, *σκόλοψ πικρίας*, *sudes amara*, (id est forte, *venenata*), hosque quodammodo sequuta Vulgata, *offendiculum amaritudinis*, Syrus mire et male, ܟܘܪܐ ܕܡܪܝܪܬܐ *absin-*

finthium amarum, sed suspicor, ܣܟܠܘܢ legendum esse, idem quod ܣܟܠܘܢ *telum venenatum*. Recentiores, Judaeos sequuti, spinas, aut aliquod spinarum genus, spinum i. e. prunum silvestrem faciunt, cui tamen aliud apud Hebraeos nomen, חוח.

Celsius ergo, qui de hoc vocabulo in hierobotanico, T. I. p. 220–222. egit, verisimilius generatim, *aculeum*, *cuspidem* interpretatus est, collato Arabico سُلَّاءُ et سُلَّا *aculei adnascentes palmarum ramis*, Chald. סִלְוָא et סִילְוָא *spina*, ad radicem سَلَّ *extraxit*, referens, nempe quod spinas carni nostrae infixas extrahimus. Hanc quidem notionem ex veteribus supra excerptis, manifeste praeiverunt LXX, σκόλοψ, exque mea correctione Syrus, ܣܟܠܘܢ ac forte Vulgata, *offendiculum*, sudes ad quam offendas. Graecorumne adeo ἐπισυστήσονται ἐπί σου κύκλῳ huc referendum, a vallo, quo includimur et circumvallamur ducta phrasi? — — Id quidem manifestum hanc generaliorem significationem plures complecti potuisse, aculeos palmarum, spinarum etiam, stipites ex terra exsistentes ad quos offendimus, sudes praeacutas, quibus vallum munitur.

1750. סוֹלְלָה *agger*, *obsidionalis maxime*.

Agger est, plerumque obsidionalis, isque *fundi contra* urbem obsessam dicitur, unde frequens cum verbo שָׁפַךְ constructio. Consentiunt prope omnes, ab *elevando* nomen ductum esse, quam quidem notionem cum Orientalium linguarum nulla sub סלל habeat, necesse mihi secessionem ab illis facere. Mihi vero vallum a סלון Chald. סלוא, *aculeis*, nomen accepisse videtur, id est a palis praeacutis, (Pallisaden nostra lingua) quibus munitur, ac sine quibus vix munimentum est: hos quidem palos praeacutos Julio Caesare vix quisquam diligentius ac saepius descripsit. Locus classicus est Jerem. VI, 6. כרתו עצה ושפכו על ירושלים סללה *caedite arbores*, *et fundite circa Hierosolymam aggerem*. Sunt autem aggeres obsidentium urbes duplices,

1) quibus circumdant includuntque urbem, contra eruptiones obsessorum, περιχαράκωμα Graecis, nobis, *Circumvallations-Linie*, *Ligne de circonvallation*. Sic plerumque poni videtur, ut 2 Reg. XIX, 32. Jes. XXXVII, 33. Jerem. VI, 6. Ezech. IV, 2. XVII, 17. XXI, 17. XXVI, 8. quae loca evolvens, videbis aliquando cum דָּיֵק *muro obsidionali* (num. 476.) componi, ita ut, murus *aedificetur*, agger *fundatur*.

2) Alius,

2) Alius, obliquatus, post quem a telis et ballistis tuti obsessores propius urbi accedunt, in modum nostrarum fossarum obsidionalium, (tranchées,) olim enim, ante pulverem pyrium inventum, aggeres sufficiebant, nunc in ipsam terram defodiuntur, qui urbi exitium parantes propius ad eam accedunt. Sic quidem acceperim 2 Sam. XX, 15. ubi jam in ipsa urbis fossa stetisse agger dicitur, forte et Jerem. XXXII, 24. Dan. XI, 15. utramque ferre significationem potest: ac plerumque in diuturnis et gravioribus oppugnationibus et aggere quo circumvallabatur, et post quam ad urbem propius accedebant, usi videntur. Ante Davidis tempora nomen non reperitur, nec mirum, quod ante illum arte bellica et obsidendi urbes caruerunt Israelitae: frequens contra in scriptoribus Nabochodonosari coaevis.

3) Semel et de aggere, quem obsessi muris jam perruptis ducebant, palisque muniebant, poni videtur, Jerem. XXXIII, 4. ubi aedes obsessae urbis *diruuntur* אל הסוללות ואל החרב *ut novi ex illis aggeres muniantur, bellumque instauretur.*

1751. סלסלות *corbes* Jerem. VI, 9.

Ἅπαξ λεγόμενον. Ex omnibus verisimillima eorum interpretatio, qui *corbem, canistrum* vertunt, seu, ut vocabulo LXX et Vulgatae utar, haec praeeuntium, *κάρταλλον, cartallum.* Corbis sic erit vindemiatoris, ac quadriliterum a סל *corbis*, quod nomen triliterum et habent Arabes, سَلَّة, indeque سَلَّل *qui sportas contexit.* De prima derivatione nondum liquet: plerique a fictitia verbi סלל, *elevare*, notione reponunt, quod canistra (apud Aegyptios scilicet) in capite portarentur; sed haec cum figmento cui innititur perit. Possis canistrum dictum existimare, quod ex illo extrahuntur, quae insunt, sed nec id placet. Forte ab acumine, et acu, *consuere* dictum: canistra non ex vimine solum, sed et loris contexebantur, Arabibus مِسَلَّة *acus grossior, qua sarcinae et lora consuuntur*, ipsa dicta ab acumine.

Racemationem Syrus intellexit, ac ܩܘܛܦܐ vertit, forte ipsam a corbibus vindemiatorum dictam putans, aut ab extrahendo.

Haec quidem verisimilia, ac prius quidem me arbitro verum: at Coccejus, eumque sequutus Venema, *flagella vitium* conjecerunt, conferentes זלזלים Jes. XVIII, 5. Adliteratio auribus Orientalibus linguis ad-

adſvetis parum placens, diſſimillimae auditu literae, ז (Z Gallorum) et ס, (S acerrimum); nec ad flagella vitium, ſed ad uvas manus emittit vindemiator.

1752. סֻלָּם *ſcala* Geneſ. XXXVIII, 12.

Ἅπαξ λεγόμενον, ſed certae, ut videtur, nec in dubium vocatae ſignificationis: hoc ipſo quidem loco iisdem ſuae linguae literis reddere potuerunt, Samaritanus סלם, Chaldaeus סולמא, Arabs uterque سُلَّم. Arabicum quidem et *ſcalam*, qua in aedificiorum altiora adſcenditur, et *ſtapedem ex corio*, quo camelorum equorumque ſeſſores utuntur, ſignificat. Exempla prioris ſignificationis adderem, niſi occupaſſet, ad quem gratus ablego, Caſtellus. De ſolo etymo nondum liquet, quod aliqui a ficta verbi סלל ſignificatione, *elevare*, repetunt, unde Simonis Amharicum etiam Maslal, i. e. alieniſſimae ac plane barbarae linguae vocabulum conferens, *elationem ſummam*, vel *elationum i. e. graduum multitudinem*, vertit. Equidem certi nihil habeo: ſi tamen lignea ſcala primo ſic dicta, poſſis ad סלל referre, ut haec a cuſpide, (סִלּוֹן) ligno acuto quod utramque partem ſcalae conjungit, ac pro gradu eſt, (ἀναβάθμω κλίμακος) nomen acceperit; aut ſi ſcala ex corio, ad سَلَّم *perficere*, i. e. *depſere corium*, unde et arbori, cujus cortice in depſendis coriis utuntur, سَلَم nomen. N. L.

1753. סלע, petra, nomen proprium urbis, Petrae, ſpelunca ſubterranea.

1) *Petra*, *ſaxum*. Haec notiſſima apud Hebraeos et vulgatiſſima ſignificatio, ſed reliquis plane ignota linguis Orientalibus omnibus. Fluxit forte a سَلَعَ *frangere*, *findere*, dictaque ſaxa, ſive a duritie qua alia illiſa frangunt, ſive ab acie, qua ſecant et vulnerant.

Hinc nomen fit proprium Petrae, urbis Arabiae, a qua Arabia Petraea nomen accepit, aliquando et cum He artuli antonomaſtico, הַסֶּלַע. Jud. I, 36. 2 Reg. XIV, 7. Jeſ. XVI, 1. XLII, 11. Veterum plerique adpellative interpretati ſunt, in primo etiam loco, ubi manifeſtum eſt, de Petra metropoli Arabiae loqui ſcriptorem: ut nomen tamen proprium 2 Reg. XIV, 7. retinuerunt Syrus et Arabs, ܠܟܣܐܒܐ ܪܩܡ, أخرب, سلع,

سلع, *expugnavit Salam;* Chaldaeusque, ſed cum alius urbis, *Crach*, nomine confuſum, כרכא vertit. Solus optime Hieronymus in commentario ad Jeſ. XLII, 11. *habitatores Petrae; quae et ipſa urbs Palaeſtinae eſt:* nempe Petra, olim Arabiae, ejus tempore Palaeſtinae accenſa. Vide Relandi Palaeſtinam p. 926. ſeqq.

3) Peculiare duobus libris, Judicum in hiſtoria Simſonis, atque primo Samuelis in fuga Davidis, סלע, et vero adpellative, ita poni, ut ad petram deſcendatur, a petra adſcendatur. En loca, de quibus egit in diſſertatione *de notione adſcenſus et deſcenſus apud Hebraeos* pater meus, §. 42. 43. nec tamen in his locis ita, ut in aliis, ſatisfacere conſulenti videtur. Jud. XV, 8. Simſon *ex terra Philiſtaeorum deſcendit et habitat* בסעיף סלע עיטם *in cacumine petrae Etam:* nec hic expediendo dubio ſufficit, petram Etam in inferiore parte tribus Judae, שפלה, ſitam fuiſſe, haec enim licet montana regione inferior, ſuperior tamen erat Philiſtaea. Verſu 11 ejuſdem capitis *tria millia Judaeorum deſcendunt* אל סעיף סלע עיטם *ad verticem montis Etam*, ad ligandum Simſonem, ligatumque v. 13. יעלוהו מן הסלע *adſcendere illum faciunt de petra*, atque ad Philiſtaeos deducunt. 1 Sam. XXIII, 25. David, audiens Saulum cum armatis adventare, ipſumque perſequi, ירד הסלע *deſcendit in petram.* Hic mihi petrae locus relinqui haud videtur, atque alia quaerenda verſio. *Fiſſuram, ſpeluncam ſubterraneam,* forte ad radices rupis, intellexerim, ſic dictam a سلع *findere*, unde et habent, سَلْع *fiſſura in monte.* Simſon in ſpecum ſubterraneam confugerat, in quam deſcendere non audent Philiſtaei, Judaei ergo illum ex ea vinctum ad Philiſtaeos adſcendere faciunt, ſed quos male mulcat. David in ſpecum confugerat, alium ab altera montis parte exitum habentem. Jam lege et clara omnia erunt. De סעיף non, cacumine, ſed ſpelunca, vide ſuo loco. Forte et pluribus locis, maxime ubi cum סעיף conjungitur, סלע non petra eſt, ſed plane ut apud Arabes, *fiſſura in monte, ſpelunca*, quarum plena Palaeſtina: ſed de eo lectores diſpiciant, longior enim diſputatio.

1754. סֶלֶף Exod. XXIII, 8. Deuter. XVI, 19. Prov. XIII, 6. XIX, 3. XXI, 12. XXII, 12. Job. XII, 19. *in transverſum ducere lineas, occare, in transverſum ruere, evertere, avertere.*

Pervertere, in rei ſumma recte, reddunt lexicographorum plerique, licet non omnibus locis ſatisfaciat: *intricare* Coccejus, quod ipſum

et,

et, rem solam si spectes, significare possit, ut cum intricatae redduntur lites, nec est tamen quidquam in linguis Orientalibus hujus notionis. Schultensio, ad Prov. XIX, 3. est, *lubricari*, *lubricum facere*, nullo alio indicio, quam quod سلف المزادة est, *utrem oleo ungere*, (ne rumpatur,) in quo eum multi alias sequacium recentiorum destituerunt. Mihi quidem haec *lubricandi* notio, nullo probato linguarum Orientalium exemplo confirmata, plane videtur abdicanda, unusque ei refellendae sufficit Jobi locus c. XII, 19. modo איתנים, ut ipse alias praeire Schultensius solet, rivos perennes interpreteris: quid enim hoc erit, *rivos perennes lubricos facit?* (de rivis perennibus deficientibus sermo) quamquam nec placet, *rivos perennes*, *intricat*, vel, *pervertit*. Hic quidem cum adhaerere se viderent Schultensius, aliique, aliam nomini איתנים dederunt interpretationem: Schultensius, in versione, *perenni vigore praeditos*, *agit praecipites*, in notis, *perennia fundamenta veritatis et religionis tanquam in lubrico et praecipiti ita impellit Deus, ut sibi ipsis excidisse, atque summet sub firmitate ruinam traxisse videantur.*

Mihi quidem *pervertendi*, *avertendi a recto*, *in transversum agendi*, notio vera videtur, a qua سلف Arabibus est, *occare*, quod fit, *in transversum ducta super sulcos crate*, *ut illi iterum aequentur*. Hinc primo loco in lexicis Arabicis posita significatio, sed a multis non intellecta, *aequavit et complanavit terram*. Hoc idem autem, *pervertere*, *transversum agere*, etiam aliquando, *avertere* a recto, a suo tramite. Jam vide loca.

Exod. XXIII, 8. Deut. XVI, 19. donum a judice acceptum, *excoecat videntes*, יסלף דברי צדיקים, *et pervertit verba justorum*, ducta similitudine a lineis rectis, quas aliae per illas ductae obscuras faciunt, aut delent, aut si malis, ab ipsa occatione, quae Cicerone auctore ab occoecatione nomen accepit, quod semina sparsa jam occultantur. (De Senectute c. 15.)

Job. XII, 19. Deus, איתנים יסלף *rivos perennes avertit*, (in transversum agit) i. e. facit, ut perennes rivi, aliorsum acti, populum destituant. Minus aptis imagini, quae instituitur, verbis usi sunt veteres, sed איתנים aliter interpretabantur, LXX. *τοὺς δυνάστας τῆς γῆς κατέστρεψε*, Vulg. *optimates supplantat*, Syr. ܠܚܣܝܢܐ ܡܟܦ *potentes humiliat*, Chald. מקלקל *perdit*, nuper etiam Eckermannus, *frangit*, *(viros perennes et invictos bello*, *frangit)* a شلف *fregit*. Vides hic explicationem verbi maximam partem pendere ab explicatione nominis איתנים.

Proverbiorum locis ita apta Schultenſiana *lubricitatis* ſignificatio, ut eam in verſione germanica primum ſequerer, ſed jam, poſtquam conjecturalem reperi, nullo linguarum Orientalium certo uſu firmatam, in nova editione delevi. Video, poſſe illis fere omnibus, eam *transverſim diruendi* notionem aptari, quam, non unicam quidem, ſed tamen aliquam, ex Arabico, *occare*, dedi. Faciamus experimentum, et poſtea veteres audiamus: XIII, 6. *juſtitia ſervat integrum viae*, ורשעה תסלף חטאת, *ſed injuſtitia transverſim occurrit peccato*, illud impedit et irritum facit, ipſa ſe deſtruit. Melius etiam quam latine Gallice reddideris, *traverſer*, Germanice, *durchcreutzen*, *einen Strich dazwiſchen machen*. Peccatum peccato finem fructumque praeripit. — — XIX, 3. אולת אדם תסלף דרכו *ſtultitia viri transverſam facit viam ejus*, eam impedit, eique obſtacula ponit, *ſed Deum adcuſat eique iraſcitur*. — — XXI, 12. ex hac ſola notione expedire nequeo. — — XXII, 12. ויסלף דברי בגד *delirare* (propria latini verbi ſignificatione,) i. e. *contradicere ſibi ipſis facit verba praevaricatoris*.

Audiamus jam veteres, ſed quorum de lubricando et lubricitate Schultenſii nemo cogitavit, eique accidit, quod ſaepe, ut ab omnibus deſtituatur, apud quos aliquid tralatitiae antiquitus cognitionis linguarum exſpectaveris.

1) *Perdere*, *pervertere*, plerique habent, in verbis modo diſſentientes, eaque ſignificatio locis omnibus apta, atque alicubi cum ea, quam vixdum attuleram, a ſtirpe conjuncta. Sic LXX c. XIX, 3. λυμαίνεται τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ, Symmachus c. XXI, 12. ὑποσκελίζει ἀσεβεῖς εἰς κακὸν, *ſupplantat et cadere facit malos in malum*, ſicque forte et alibi. Hieronymus, eum niſi fallor ſequutus, Proverb. 13. *impietas peccatorem ſupplantat*, c. 19. *ſupplantat greſſus ejus*, et c. 22. *ſupplantantur verba iniqui*. Evertere aliquem et humi ſternere, id vero hi verterunt, ſupplantare. Eodem redit, quod Syrus, ſed diverſis verbis habet; c. XIII. *peccatorem* ܠܘܡܣܚܦܗ *perdit peccatum*, ſicque et c. XXII. ܡܣܚܦ c. XIX. ܡܥܡܩܐ ܐܘܪܚܗ *profundam facit viam*, nempe in qua adhaereas, c. XXI. ܕܚܦ ܠܒܝܫܐ ܠܒܝܫܬܐ *impellit malos in infortunium*, Arabs c. XIX. يفسد *perdit viam*.

2) Chaldaeus ubique טלטל vertit, quod quid ſignificet nondum ſatis liquet, nec hic inquiro, ne ad alias quaeſtiones delabens juſto fiam loqua-

loquacior. Vide Buxtorfii lex. p. 862. Eftne, *obfcurare*, *occoecare viam?* a טללא umbra? an, *errare facere?* an aliud quid?

3) φαυλίζειν LXX reddunt c. XXI, 12. φαυλίζει ἀσεβεῖς ἐν κακοῖς, *juftus* — — *contemnit malos in infortunio* et c. XXII, 12. φαυλίζει λόγους παράνομος, *comtemnet verba* (monitoris) *peccator:* ita et hic, ex Graecis, Arabs تَزِلّ *adfpernatur* (oculus Dei) *verba declinantia a jufto.* Hujus fignificationis in linguis Orientalibus explorata veftigia non reperi. Cap. XIII, 6. ut adfcititium ex Theodotione vel aliis cum afterisco ponitur, ⋇ τοὺς ἀσεβεῖς φαύλους ποιεῖ ἡ ἀδικία ⋇ *malos rejectaneos vel contemtibiles facit injuftitia.* Volunt ergo hos verfus a LXX omiffos in vertendo: quod quidem, cum unius codicis, Cantabrigienfis, afterisco hucusque nitatur, mihi dubium; genuina, donec certius quid adferatur, verba videntur τῶν ό, quod et illi alias in hoc libro סלף φαυλίζειν reddunt.

4) Vulgata, c. XXI, 12. *ut detrahat impios a malo.* Vides, *avertendi*, (veram quidem ut p. 1771. diximus) fignificationem interpretem et hic verbo commodaffe.

5) Solus Symmachus XIII, 6. רשעה תסלף חטאת vertit, ἀδικία ἐπισπάσεται ἁμαρτίαν, (*unum delictum poft fe trahit aliud*). Id quidem verbum fignificare poffit, nam سلف et eft, *praeceffit*, سَلَّفَ *praecedere fecit.* Plures in Arabica lingua fub سلف concurrunt fignificationes, de quibus dicerem, fi lexicon Arabicum fcriberem: nunc a fcopo alienum.

1755. סֶלֶף Prov. XI, 3. XV, 4.

Vocabuli fignificatio tota ex his pendet quae de verbo diximus. Primo quidem loco, XI, 3. integritati et veritati opponitur, ac vix poteft, nifi de perfidia et fraudulentia accipi, quam veterum plerique a fupplantando dici putarunt, LXX, ὑποσκελισμὸς, Vulg. *fupplantatio perfidorum*, Syrus, ut in Polyglottis editus ܪܘܡܪܬܐ, *fuperbia*, fed puto fcribendum, ܪܡܘܬܐ vel ܪܡܝܘܬܐ *fupplantatio*, a ܪܡܐ projecit, vel, *fraudulentia*, Ar. تَعَوُّل *declinatio*, vel, *fupplantatio*. Bona fententia: *integritas rectorum ducit illos*, וסלף בגדים ישדם *fed fupplantatio perfidorum*, alios dum evertere volunt, *ipfos vaftat.* Venit tamen in mentem, cum fe-

quens verbum mutatis punctis, per Sin scriptum, יָשֹׂרֵם, sit *occare*, hic ab occando ductam sententiam: *transversa perfidorum consilia*, dum semper dissimulanter, aliorsum contendere videntur, quam quo contendunt, *ipsos transversos agunt, resque ipsorum omnes viasque turbant: die krummen Züge des unredlichen zerstören sein eigenes Werk.*

XV, 4. סֶלֶף linguae, opponitur linguae sanae vel sananti. Hic vix placuerit, *supplantatio linguae*, re quidem apta, sed phrasi et oppositione inepta. A veteribus nihil hic opis consiliive, videntur enim plerique alia legisse, LXX ὁ συντηρῶν αὐτήν, Syrus et Chaldaeus, *comedens de fructu ejus*: una Vulgata versio, *quae autem immoderata est*, possit forte ad سلف *praecurrere* referri: nec tamen putem, Hieronymum quidquam hujus significationis Arabicae compertum habuisse, sed satis feliciter conjecisse. — — Mihi quidem hic סֶלֶף בָּהּ est, ut novo latino vocabulo dicam, *transversatio in lingua*, aut, antiquo latino, *deliratio*, i. e. contradictio, qualis esse in mendacibus, et fraudulentis ac bilinguibus solet: *sanitas linguae est medicina, transversa loquens lingua, vulneratio mentis.*

1756. סְמָדַר Cant. II, 13. 15. VII, 13. *flos vitis.*

Vocabulum in solo Cantico Canticorum occurrens, Arabibus ignotum, sed habent Aramaei. Jes. XVIII, 5. ubi de vite sermo, נִצָּה *flos ejus*, a Chaldaeo redditur סמדר, et Jes. XVII, 11. תַּשְׂגִּשִׂי a Syro, ܢܦܩ ܥܘܦܝܗ̇ ܣܡܕܪܐ *egreditur flos ejus*. Hinc factum, ut ubique in Cantico Syrus eandem vocem ܣܡܕܪܐ poneret. Ergo ex hoc linguarum usu non, ut voluit Coccejus, uva prima ante labruscam, sed, *flos vitis.* Sic et ex veteribus verterunt, LXX κυπρίζουσι, et c. VII, 12. ἤνθησεν ὁ κυπρισμός, ex illis Arabs ubique, أزهرت, Vulgata ubique, *floruit.*

Sed et dicendum, unde *uvam primam ante labruscam* lexica habeant. In tractatu Thalmudico Orla, (Surenhusii Mischnae P. I. p. 309.) magistri edicunt, *in vite licita esse, folia, ramos, aquam vel guttam vitium, et* סמדר, ubi manifestum, florem vitis intelligi, ut et Bartenora atque Maimonides interpretantur: at Rabbi Joses, aliter sentiens, סמדר *prohibuisse* dicitur, *quod sit fructus*, (ר' יוסי אמר הסמדר אסור מפני שהוא פרי.) Hic ergo סמדר pro fructu habuit, idque in lexicon recepit Kimchius, cui סמדר sunt, *uvae exiles post florem, nec tamen perfectae*, cum perfectiores fiunt, nec tamen sunt maturae, בסר *(labruscam)* vocari auctor

ctor eſt, cum maturae, ענב. Ex Kimchiano in alia fluxit. Poſſit et citari Symmachus, qui Cant. II, 13. οἰνάνθην vertit, quo de vocabulo, dubiae ſignificationis, vide Bielii lexicon.

Uvis parvis obſtat, favet flori, non ſolum uſus linguae Aramaeae, ſed et, primo, quod Cant. II, 13. Semadar odorem ſpargit, quem nec fructus minor, nec labruſca, ſed gratiſſimum flos vitis habet, (vide Velthuſenium ad hunc locum cantici,) deinde c. VII, 13. ubi *aperiri* סמדר dicitur, atque a flore vitis, primum erumpente, ſed adhuc clauſo, diſtinguitur אם פרחה הגפן פתח הסמדר, quod vel unum naturae vitis perito ſuffecerit. In *herbario Blakwelliano, emendato et aucto Norimberg. 1754. Tom. II. tabula 153,* reperies: florem primo erumpentem et clauſum ſub 1. 2. apertum ſub 8. 10. 11.

De etymologia nihil adhuc compertum habeo. Arabicum quadriliterum سبدر de aliqua ex ebrietate ſomnolentia, indeque viſus imbellicitate aut incertitudine ponitur, ut (Gol. p. 1217.) اسْبَدَرَّ *imbecillis fuit viſus, peculiariter, ut videatur aliquid adparere, quod non eſt*, et apud Giggeum, *imbecilliore viſu fuit prae ebrietate, ſeu propenſione in ſomnum,* سَبَادِير *imbecillitas viſus, ex ebrietate, vertigine, animi deliquio,* سُبْدُور *oculus hebetatus*. Poſſint haec quidem conjuncta cum vocabulo eſſe, ſomnolentiam enim plerique flores inducunt, unde ipſum vernum tempus ſomnolentum: ſitne haec vis praecipue flori vitium, equidem in Germania ſeptentrionali vivens, qui nunquam in vineis noctem egi, dicere non habeo. Sed fac, veram cognationem verbi nominisque eſſe, forte non nomen a verbo ortum, ſed verbum a nomine. Mihi quidem puncta, cum Hebraica tum Syriaca ſuſpecta, ac duae primae nominis literae ad סַם *aroma, odor* referendae videntur, ut ab odore perquam ſvavi, ſed breviſſimi temporis, flos vineae nomen acceperit, M geminando, סְמָדַר: unde autem דר acceſſerit? quo ex alio nomine ſumtum? non conjicio. Suſpicor quidem, initio Martii in Palaeſtina florere vitem, quem florem brevi poſt hoc ipſo menſe botri conſequuntur (*), indeque florem perquam odoratum dictum fuiſſe, סַם אֲדָר, contracte, סְמָדַר; ܣܡܕܪ, *(odor menſis Adar)* ſed teſtem temporis, quo floret in Palaeſtina vitis, non habens, prope nolim haec ſcripſiſſe, licet mihi ut veriſimilia adblandiantur.

(*) Biblioth. Or. Nova T. I. p. 182.

1757. סמך.

Fulciendi et *innitendi* significatio nota: sed ex hac et aliae ortae.

1) Ad convivium quod adcumbebatur, ܐܣܬܡܟ *adcubuit*, inde factum, ut convivium Aramaei, סְמָכָא, ܣܡܟܐ dicerent. Huc forte referri possit, cum et Hebraei verbum inde denominativum de cibatione et convivio ponunt, ut Genes. XXVII, 37. דגן ותירוש סמכתיו, *frumento et vino satiavi ipsum*, Cant. II, 5. סמכוני באשישות, *cibate me uvis passis*. Est tamen incerta etymologia, possit enim et larga cibatio ad fulciendi notionem referri, ut brevi habebimus, סעד לב. Ergo de significatione constat, de etymo anceps quaestio. — — In bibliotheca Orientali T. XX. p. 175. conjeci, Nahum. I, 10. legendum, כי על סירים סֹמְכִים *cum ad ollas adcumbunt*, quod rei gestae eximie consentit: fassus, codicem nullum hucusque consultum conjecturam fulcire, nec tamen ideo eam me abdicare professus.

2) Chaldaeis סמך est et, *prope esse*, *adpropinquare*, (vide Buxtorfium p. 1496.) dicerem et, Syris, sed exempla a Castello adlata non satis probantia. Eadem significatione in Chaldaizante libro Hebraicum verbum ponitur Ezech. XXIV, 2. *adnota tibi nomen diei hujus, hoc enim die* סמך מלך בבל אל ירושלם *adpropinquavit rex Babylonis Hierosolymae, hoc ipsissimo die*. Laudandus ex antiquis interpretibus, qui ita vertit, يصل ملك بابل *accessit rex Babylonis ad Hierosolymam*, Chaldaeus et Syrus, idem verbum servantes, סמך על ירושלם, et, ܣܡܟ ܠܐܘܪܫܠܡ, itemque Stockius in lexico. Alii aliter. (*). Ex hac notione et interpretor,

1758. בסמכי Ps. LIV, 6. *prope*, *in propinquo*.

sed mutatis vocalibus, אדני בְּסָמְכֵי נפשי *dominus est proximus mihi*, aut, si נפש nolis ex usu Arabico pro auxiliari pronomine habere, *proximus est*

(*) Hos notae servo ne filum orationis abrumpam: LXX secundum aliquos codices, ἐπηρείσατο, interprete Hieronymo in commentario, *obfirmatus est*, quamquam ego mallem, *tentorium fixit*: secundum alios, ἀπηρείσατο, sicque Hexapla Syriaca, ܐܫܬܕܠ ܠܘܬ ܐܘܪܫܠܡ *profectus est contra Hierosolymam*. Rei gestae hoc contrarium, illo enim die non castra movit Babylonius, non expeditionem exorsus est, sed castra ipsi urbi admovens obsidionis initium fecit. Vulgata, *confirmatus est rex Babylonis adversus Hierosolymam*: obscure Coccejus, *obsedit Hierosolymam*; id vero per integrum annum atque aliquot menses fecit; obsidere, et obsidionis initium facere, non eadem.

est vitae meae. Rabbinicae linguae notissimum סָמוּךְ, et בְּסָמוּךְ, prope; nec auderem hujus recentioris Rabbinismi ope uti, nisi et jam lingua Chaldaica nos illuc duceret, et ipsa res, *proximum* enim ab *innitendo* facili nexu dicitur, proximum est, cui inniti possumus. Nec tamen ad hanc plane novam interpretationem ex inferioris Hebraismi usu descenderem, nisi esset, quod me in consueta, atque ab omnibus recepta, valde turbaret. אֲדֹנָי בְּסֹמְכֵי נַפְשִׁי, hoc quid est? *Dominus fulcit vitam meam?* i. e. *opem fert vitae meae, eamque salvam facit?* (sic fere veteres) Agnosco ב essentiae, Arabibus frequens, rarius Hebraeis, sed dicendum singulariter fuisset, בְּסֹמֵךְ *est fulciens vitam meam:* nec tamen vel ullum adferri codicem video, ita habentem. — *Dominus est inter fulcientes vitam meam?* Hoc vero de Deo quam jejune dictum! quam parum honorifice! solus enim adjutor suffecerit, nec aliis opus habebimus, de Dei auxilio certi. Hoc spectans, germanice verti: *der Herr ist mir nahe, wenn mein Leben in Gefahr ist.*

1759. סֶמֶל *idolum*, *imago*. Deuteron. IV, 16. Ezech. VIII, 3. 5. 2 Paralip. XXXIII, 7. 15.

Idolum, imaginem idololatricam significare, id quidem indubium, sicque et plerique veterum interpretantur: Deuteron. IV. Arabs Erpen. صُورَة *imago*, Polygl. شَخْص *idolum* (reliquos omitto, quod tribus in Hebraico prope Synonymis concurrentibus non sine disputatione liquet, quod versionis nomen Hebraico סמל respondeat.) Ezechielis VIII, 3. סמל הקנאה στήλην τοῦ κτωμένου LXX verterunt, i. e. *lapidem seu statum possessoris*, Theodotion, εἰκόνα τοῦ ζήλου, quod in nostris editionibus, Hexaplorum culpa, in haec, asterisco distinguenda, confluxit, ἡ στήλη ※ τῆς εἰκόνος τοῦ ζήλου" τοῦ κτωμένου, inque Hexaplis Syriacis, ܨܠܡܐ ܕܛܢܢܐ ※ ܕܕܡܘܬܐ ※: Symmachus, ἐκτύπωμα παραζηλώσεως, Vulgata, *idolum zeli*, Syrus ܨܶܠܡܳܐ ܕܛܶܢܳܢܳܐ: in versu quinto LXX habent, utrum a se discordes, an ex Theodotione interpolati, εἰκόνα τοῦ ζήλου, Syrus ܕܡܽܘܬܳܐ ܕܛܶܢܳܢܳܐ. In chronicis LXX γλυπτὸν, Vulgata jam *signum*, jam *simulacrum*, Syrus et Arabs in versu 15 ܕܡܽܘܬܳܐ *imaginem*, صَنَم *idolum* habent: at in versu septimo Syriaca et Ara-

bica verſio ex fabula Judaica interpolata, ܕܨܠܡܐ ܕܐܪܒܥܐ ܐ̈ܦܝܢ, et صنم له اربعة أروس باربعة وجوه, *idolum, quatuor capita, quatuorque vultus habens.* Nempe in tractatu Thalmudico Sanhedrim c. XI. ratio redditur (veſana) cur 2 Paral. XXXIII, 7. פסל הסמל ſingulariter ſcriptum ſit, et v. 19. פסלים pluraliter: *R. Jochanan dixit, ab initio Manaſſes fecit ſculptili faciem unam, tandem vero fecit ei quatuor facies*, quod quidem in nota marginali explicatur, *ut divina majeſtas ingreſſa templum ex omni parte faciem oppoſitam adſpiceret et contriſtaretur.* Excerpſit jam Matth. Beckius ad chronicorum locum.

Vera dedi, errores, atque adeo nugas veterum. Magis de etymo ambigitur, aut illud ſapientius ignoratur: nec tamen totam hic praetermitti quaeſtionem fas eſt, cum ob errores admiſſos, a quibus cavendum, tum quod ſuſpecta videri poſſit Hebraici vocabuli, reliquis linguis Orientalibus plane ignoti, explicatio. Aliqua retulit Simonis, ut fuiſſe, qui cum משל *ſimilis fuit* conferrent, aut cum latino, *ſimilis.* Hoc quidem in vocabulo, quod jam Moſes habet, plane ridiculum, niſi pro more illorum, qui linguas alieniſſimas Hebraicae explicandae adhibebant, ſumas, eas omnes ex Hebraica ortas eſſe, commentum, ſub occaſum ſeculi decimi octavi vix refutandum: alterum ad audaciſſimas referendum adliterationes. Ipſe Simonis derivat ab Arab. سمل *concinnavit, compoſuit, ut conveniret et conſentiret;* haec vero cocinnandi notio plane commentitia, ac nullo probata, nec auctore, nec exemplo. *Pacem componere*, id quidem lexica habent, monentque adeo, eſſe a سلام, *concinnare* totum eſt Simonis.

Mihi ſi in lubrico ſtadio gradus tentandus, ante omnia monuerim, סמל *idolum* quidem mihi eſſe, nec tamen a *ſimilitudine*, aut propterea quod *imago* ſit, dictum. Lege quaeſo haec Deut. IV, 16. פסל תמונת כל סמל תבנית זכר או נקבה, exiſtimabisne, niſi a Rabbinis et lexicographis inſtructus, סמל idem eſſe quod praecedens תמונת? probabiturne auribus, *ſculptile, forma omnis ſimilitudinis?* nihilne optabis melius, ac minus tautologicum? Suſpicarine auſim, origine tenus idem eſſe quod iisdem literis Syriacum ܣܡܠܐ, Hebraice alias שְׂמֹאל, *ſiniſtrum*, idola *ſiniſtra* dici, i. e. infauſta et abominanda? Locumne Moſis verterim: *non facies tibi ſculptile, imaginem ullius rei: ſiniſtrum Deum, forma maſculi aut feminae?* Ezech. VIII, 3. סמל הקנאה המקנה, *ſiniſtrum* ſeu odio-

odiosum idolum *zeli, ad zelum provocans?* Haec si lectoribus non probentur, malim etymon ignorare.

1760. סַם, סַמִּים *aromata, unguenta aromatica.*

Hac sola, quae forte prima est, significatione, orta a شَمَّ *olfecit*, in Hebraico codice nomen legitur, pluribus linguis Orientalibus commune, sed et latius patens, atque ad plures significationes translatum. Syris Chaldaeisque et *medicinae* ita vocantur, nempe quod olim, maxime in Oriente, unguentis medici et aliptae magnopere utebantur, quin contrarium, ܣܡܐ ܕܡܘܬܐ *(odoramentum mortis)* venenum. Vide lexicon Syriacum pag. 601. 602. Arabibus hae significationes literae ש diversa adpellatione dispartitae, سُمّ *venenum*, (cujus verbi Arabici derivata male cum שמם conferre Schultensius solet) ابو شَمّ *pater boni vel balsamici odoris*, arbor balsami, Forskålio teste. Balsamumne ipsum a בַּעַל סַם nomen habeat, ut aliqui conjecerunt, non definio, cum Arabes ita scribere non soleant, nec tamen veri dissimile; potuerit nomen esse Phoenicium, pro quo Arabs, ذو شَمّ vel ابو شَمّ dicturus fuisset, cumque merce ad Graecos deportari. At, quod in lexico Goliano citatur ex Prospero Alpino, arboris balsami nomen, بَلَسَان, plane ex Graeco ortum atque adeo depravatum. Fuit, qui *balsami* nomen apud Hebraeos sub בֹּשֶׂם, בְּשָׂמִים inveniret, Velthusenius in Canticum Canticorum: verum illud nomen plane est radicis בשׂם *suavis fuit* (odore, gustu &c.) nihilque ad סם, aut בעלסם.

1761. כֻּסֶּמֶת Jes. XXVIII, 25.

Veterum satis magno consensu *milium* est, LXX, Aquilae, Theodotionis, Vulgatae: Syrum, quem forte ex latina Polyglottorum versione addideris, omitto, ob dicta in lexico Syriaco p. 423. Syrus pro quinque nominibus Hebraicis tria modo expressit, nostro plane omisso. Caeterum ablego ad Castelli lexicon Hebraicum, in quo plerisque melius de כסמן egit, conferens quoque Armenicum ejus nomen, SAMER, Persicumque polenti ex eo facti, سمنو.

Est de his dicendum nominibus. Persicum quidem non videtur cum nostro comparandum, non milii nomen, sed pulmenti a spissitudine ita

 dicti.

dicti. Meninsky p. 2674. سنبوسة cibus ex offa in particulas longas dissecta, et cibi segmenta oblonga, ob albedinem vel pinguedinem, jusculo incocta, et pulmentum liquidum ex dactylis, et pauco farinae cum melle. Milium Persis *Arzen*, nostrum, *Hirsen*. De Armenico SAMIR consultus a me Büttnerus, magni omnium linguarum thesauri, qualem non habemus, ac vix poteramus vel votis expetere, auctor, (qui thesaurus utinam publicus fiat) respondit, ipsum quidem milium Armenis vocari *Kuerjek*, SAMIR illis esse panicum pistum vel contritum, ablegavitque ad Franc. Rivolae dictionarium Armenicum, p. 333, et Diodat. Nierszofiez dict. Arm. (Romae 1695.) p. 328.

Thalmudicos, quinque frumentorum genera enarrantes, pro כסמן habere, שבלת שועל *spicam vulpis*, pagina jam 483. memoratum, ubi scripta ab eo relegi velim, qui hic suis oculis, non meis, videre verum ac judex esse velit. Haec quae est? *Avenam* vertere solent: haec quidem nunc in Palaestina et Syria seritur, sed rarius, ut testibus Rauwolfio, Russelo, et Kortio, perfecit Georgius Fridericus Walch p. 5. *calendarii Palaestinae oeconomici:* at habueritne Palaestina Jesaiae, sive adeo Thalmudicorum tempore, de eo quidem dubitari possit, maxime cum hordeum ut consvetum equorum pabulum memorari videamus 1 Reg. V, 8.

Recentioribus plerisque, Rabbinorum recentiorum fide, נִסְמָן adjectivum vel participium est masculini generis, cum substantivo שׂעֹרה *hordeum*, quod generis feminini esse, atque ut tale suis in lexicis poni, non meminerunt, constructum. Jam hoc parum opinabile, multoque verisimilius, totum versum legenti, quinque frumenti genera ex quibus panem parabat Palaestina, nominari, quam tria, hisque addi duo adjectiva obscura. Sed tamen audiamus, quid ita ex נִסְמָן efficiant.

1) *Hordeum insignem*, i. e. *praestantissimum*, (ignoscant lectores vitio grammaticali, Hebraicum, quod sumitur, imitato) a סִימָן *signum*. Hoc vero nomen Rabbinicum quidem, a Graeco σημεῖον ductum, sed quod in Hebraismo Jesaiae quis exspectaverit?

2) Ab eodem סִימָן Kimchius in libro radicum: לסימן ולגבול לחטה, *in signum et terminum tritici*. Hoc quid est? Hordeumne seritur, ut fines agrorum tritico conseminatorum distinguat?

3) *Hordeum pinguem*, alii, a سَمِنَ. Equidem non video, cur hordeum prae reliquis frumentis pingue dicatur: sed quod hic potissimum, سمن, *pinguis fuit*, est Hebraicum שׁמן, non סמן.

Ergo

Ergo ad veteres revertamur, miliumque interpretemur: quod unde dictum, cum reliquae linguae Orientales nomen non habeant, sana si scriptio, dicere non ausim. Forte barbarum.

1762. סֵעֵף Jes. X, 33.

Verbum ἅπαξ λεγόμενον, Chaldaeis etiam ac Syris ignotum, in quo satis unanimes recentiores in amputandi significationem, conjectura inventam, consentiunt, veteres magnopere dissidebant, forte et horum plerisque non nisi conjecturam tentantibus. Ergo מְסָעֵף פֻּארָה vertunt,

1) LXX συνταράσσει τοὺς ἐνδόξους. Hoc quidem philologice non male: פְּאֵר *diadema*, pro *honoratis*, *inque summo constitutis fastigio* poni censuerunt, verbo סעף eandem *furendi* dare notionem potuerint, quam habet Hebraicum שׂעף, Arabicumque شعف *furere*, unde in Piel סֵעֵף *furere fecit*, *dementavit*, *turbavit*. Possis totum comma, מסעף פארה במערצה, adjuvante usu linguarum Orientalium vertere, *insanire faciet*, sive *honoratos ejus* (urbis) ac decus, sive, *diadema*, i. e. regem, *terrore*. Lymphatico terrore summos, regemque, in vesaniam aget.

2) Vulgata, *confringet laguncula in terrore*. Languide et exiliter dictum, nec video, unde suum, *confringet*, habeat, tacente in commentario Hieronymo. Tres Graecos ad hunc locum non habemus, ergo nec ex illis quidquam subsidii: nec linguis Orientalibus סעף uspiam confringere. Quid ergo spectarit, ita vertens, Hieronymus, quid a Rabbinis, quos diligenter consulere solebat, acceperit, non expedio. Hoc totum ne ab Hieronymo quidem satis clare dictum, exsulet!

3) Chaldaeus: *projiciat interfectos in castris ejus, sicut uvae calcantur in torculari*. Huic quid est סעף? *interficere*? an, *calcare*? شعوب quidem, *mors*, Arabibus, sed vix putem Chaldaeum de eo cogitasse, et סעף ex סעב literarum permutatione interpretatum esse.

4) Syrus, ܘܒܝܕ ܠܡܝܩܪ̈ܐ *perdidit honoratos*. Putabatne, סעף et סחף, literis modo permutatis, idem esse?

5) Recentioribus est, *amputare*, ut sit denominativum a סעיף, *ramus*.

6) Idem vero סעיף cum et *verticem* significet, possit esse, *capiti detrahere*, vel, *ex cacumine arboris excutere*: ipsum verbum شعف de

pilorum defluvio ponunt Arabes. Horum utrum praeferre lubuerit, ex ſequentis nominis פְּאֻרָה explicatione pendet, quod vide infra ſuo loco.

1763. סָעִיף:

Huic nomini explicando praeter Arabica شعف et شعب, forte et, quod Simonis contulit, سعب opem ferre poſſit literarum ב et פ permutatione: lexicon enim Arabicum inſpiciens videbis, haec verba ſono cognata nonnunquam et ſignificationes mutuari. Nec tamen, ut fecit Simonis, ubique ad tert. rad. ב retulerim.

1) شَعْفَة Arabibus *vertex* eſt, et humani capitis, unde et capillos ſignificat, et, quod in lexicis praecipue notari ſolet, montis. Sic quidem haud dubitans et Hebraicum nomen acceperim Jeſ. LVII, 5. ubi mactari idolis filii dicuntur in *vallibus* תַּחַת סְעִיפֵי הַסְּלָעִים *ſub verticibus petrarum*. Sic et ibi ex veteribus praeiverunt: Aquila, Ἄκρα τῶν πέτρων, et Vulg. *ſubter eminentes*, vel, ut in Hieronymi commentario ſcribitur, *imminentes petras*. Alii tamen veterum, de quibus deinde dicam, aliter, nec veridiſſimiliter, ambigua derivatione, incerto uſu.

Huc et retulerim Jeſ. XXVII, 10. greges depaſcent סְעִיפֶיהָ *verticem* deſolatae urbis, ſeu, ut Vulgata vertit, *ſummitates ejus*. (Alii hic, Symmachus κλάδους *ramos* ex num. 2. parum apte, quis enim urbis devaſtatae ramos dixerit? Syrus, *herbas*, feliciore conjectura, Chaldaeus, ipſe obſcurus, מַה לְּמִפַּק, forte מַלְמְפַּק ſcribendum, *id quod creſcit*).

2) De arboribus ubi ponitur, ut Jeſ. XVII, 6. Ezech. XXXI, 6. 8. dubius adhuc ſum inter *cacumen arborum* a vertice dictum, et *ramos*. Potuerint et hi, literarum ב et פ permutatione, ita dici, شُعْبَة enim Arabibus, *ramus*, unde et denominativum, شَعَّبَ *ramos produxit arbor*. Ramos a plerisque veterum recentiorumque praeferri video: in Jeſaia κλάδους LXX habent, ܣܘܟܐ Syrus, ſicque et Chaldaeus; ſola Vulgata, *cacumina;* Ezech. XXXI, 6. 8. omnes quos habemus, in ramos conſentiunt. — — Ambigo, fateor, mallemque permutatione literarum ב et פ non uti, in Jeſaiae tamen loco ramis magnopere favet, obſtat cacumini, quod ibi a רֹאשׁ אָמִיר, *cacumine* arboris ſingulariter poſito, diſtinguuntur סְעִפִּים, pluraliter poſiti, i. e. rami.

3) Ver-

3) Verticis notio plane non apta videtur loco Judic. XV, 8. 11. ubi ad סעיף סלע descenditur. Relege quae sub סלע pag. 1769. 1770. scripsimus. Hic quidem putem, permutatione literarum ב et פ cum Arabico شعب *divisit*, conferendum, unde et *rami*, et *fissura in monte*, شُعْبَة dicuntur, et *via per montes* (illos dividens) شِعْب. Sic סעיף סלע, in quem descendit Simson, erit ramus aliquis seu vena speluncae subterraneae, plures recessus ambagesque habentis. In rei summa consentiunt, speluncamque intelligunt, LXX *τρυμαλιὰν πέτρας*, alius, *ὀπὴν*, Vulgata, *speluncam petrae*, vertentes. — Aquila et Theodotion *χείμαῤῥον* reddiderunt, nisi fallor, *excavatam a torrente in monte asperam et angustam vallem* intelligentes. Syrus ibi et Arabs, ac si nomen proprium esset, ܥܘܣܐ, سحابة habent, forte vitio librarii, Chet pro Ain ponentis: possis tamen et adpellative exponere, *eluvionem a torrente* factam.

Hac Arabici شعبة notione et Jes. LVII, 5. acceperunt LXX סעיף סלע vertentes, *ἀναμέσον τῶν πέτρων*, nempe ut sit alta vallis duos inter montes. Ibidem et Syrus Chaldaeusque שקיפין habent, quod plerumque cavernas significat, sed tamen et cacumina montium significare possit: hi ergo in dubiis ponendi. Mihi quidem Jesaiae loco *caverna* parum apta videtur, quod filii *SUB Saif* (תחת סעפי) immolantur, de caverna dicendum fuisset, בסעפי סלעים.

4) Adstipulor, ad idem Arabicum شعب referentibus סעפים 1 Reg. XVIII, 21. Nempe شعب est, *dividere*, unde شُعْبَة plur. شُعَب *rami*, sectisque etiam nomen ducunt, ut شعوبية, apud Golium, *secta quaedam, Arabes Persis non praeferens*. Ergo verterim, *quid claudicatis inter duas divisiones*, i. e. divisas opiniones, *sectas*. Optime sensum expressit Symmachus, *χωλαίνετε ἐπὶ δυσὶν ἀμφιβόλως*, *claudicatis in utramque partem, dubie*. LXX *claudicatis ἐπ᾽ ἀμφοτέροις τοῖς ἰγνύαις*, *in utroque poplite*: nec tamen hinc effecerim, ac ne Graeco quidem interpreti, nullo suffragante usu linguarum Orientalium, crediderim, סעיף *poplitem* esse, licet non negem poplitem a ramo dici potuisse, Syrisque phrasis usitata sit. Vide lex. Syr. p. 819.

Caeterum hic locus fraudi fuit philologis, magnis etiam, et lexicographis, erroresque, ad שעיף per Sin scriptum manaturos, invexit. שתי הסעפים verti potest, *duae cogitationes*, cogitatione pro senten-

tentia posita: at propterea in lexica non recipiendum, סעיף *cogitatio*, ipsum enim *divisam ac duplicem dubiamque cogitationem* involvit. Perquam ergo male hoc ad שעיף translato Job. IV, 13. *cogitationes* verterunt.

Ex 1 Reg. XVIII, 21. et explico סעפים Ps. CXIX, 113. *divisam inter deum et idola dubitationem odi, tuam legem amo.* Quid spectans, in duabus primis editionibus psalmorum, *furores*, *(Raserey)* verterim, intelliges lectis, quae infra sub שעיף dabo.

Diversitatis punctorum nullam rationem habui, quod incerta est, incertaeque disputationes: disci ex locis ipsis, aut aliis lexicis potest, quae non exscribere, sed scribere supplementa suscepi.

1764. סָפָה.

Egi de verbo difficili multarumque significationum in collegio critico ad Ps. XL, 15. nec tamen mihi ipse satisfaciens. Conferre solent lexicographi cum tribus verbis literas סף habentibus, יסף *addidit*, אסף *collegit*, *abstulit*, סוף *finis*: nec jam omnino contradixerim, solent enim verba, cognatum sonantia, aliquando hoc ab illo significationes sortiri, cumque illo confundi. Schultensius, Originum T. I. c. 13. Arabicum شفى, *rasit*, conferebat, quibusdam locis satis aptum: sunt tamen in hac explicatione duo, quae displicent. Primo enim سفى *rasit*, est Syriacum ܣܦܐ, Hebraicum שפה, quod vide infra: deinde, ut illa expediat loca, in quibus ספה *addendi* vel *colligendi* notionem habere videtur, nullo omnino usu linguae Arabicae, nullo exemplo, verbo *corradendi* significationem dedit.

Mihi potius, si quid ex Arabia verbo opis, شفى conferendum videbatur, cujus primam notionem faciebam, *consuit*; ex اشفى *subula*, inde *medicatus fuit*, ab obligando et consuendo vulnere, *appropinquavit occasui*, vel *occidit sol*, ac denique *imminuit morti*. Sed jam iterum tractanti sunt quae displicent. *Consuendi* notio ex sola sumta erat conjectura etymologica: *imminere morti*, verbum per se non significat, sed cum مَوْت constructum, شَفَى عَلَى ٱلْمَوْت *appropinquavit morti*. Duas modo certas significationes video verbi Arabici, *appropinquandi*, et *medendi*.

Chaldaeis, de quibus vide Buxtorfium, duo significat, *colligere* (ut Hebraeis frequenter) et, *metuere*. Syria, verbum plane non habens, nos destituit.

Ergo quod de hoc verbo addam lexicis, jam nihil certum aut melius habeo: nisi quod quibusdam de locis mihi notata adspergere ausim. Deut. XXXII, 23. mutatis punctis ad ipsam radicem אסף revocari possit, אֶסְפֶּה (futurum cum He paragogico) i. e. ut verterunt LXX *συνάξω*, Vulg. *congregabo*, Syrus et Samaritanus, ܐܟܢܫ. Jes. XIII, 15. pro obscurissimo הַנִּסְפֶּה aliter divisis literis legendum puto הַנָּס פֹּה *et omnis effugiens hic* (in loco ad quem confugerit) *cadet gladio*, ne ibi quidem ab insequente victore tutus. וְסָפוּ Amos III, 15. retracto tono וְסָפוּ plane ad radicem סוף pertinebit, *finem habebunt*. 1 Paral. XXI, 12. נִסְפֶּה מִפְּנֵי צָרֶיךָ vitium librariorum esse videtur, pro נֻסְךָ vel נֻסְכָה *fugere te coram hostibus*, quod legimus in loco parallelo 2 Sam. XXIV, 13. sicque verterunt LXX et Vulg. Nullum fateor codicem ita habere, verisimilis tamen conjectura, facillimo a נסך ad נספה transitu, si illud cum He matre lectionis masculini A in suffixo ךָ (cujus scriptionis exemplum habes Jerem. VII, 27. יענוכה, Ps. CXLI, 8. בכה) ab auctore chronicorum נִסְכָה scriptum fuerit. — — Quod si vera lectio נִסְפֶּה sit, explicandum putem ex Chaldaico ספא passive אסתפי timuit: *timens ab hoste*. Addo et incertas Syri Chaldaeique versiones, ܠܠ ܬܡܣܐ, forte, *sperneris* i. e. vinceris ab hoste, מִפַּךְ וּשְׁלְהִי *fugere et defetiscere ab hoste*, ego enim nolim in longiorem de his Chaldaicis, quid significent, disputationem divagari.

1765. סָפַח 1 Sam. II, 36. XXVI, 19. Jes. XIV, 1. Hab. II, 15. Job. XXX, 7.

De verbi significatione utcunque conjecerunt lexicographi, Rabbinorum sequaces, estque illis, *adjungere*, *associare*, *congregare*. Nos quidem ante omnia consulamus linguam Arabicam, (Syriaca enim et Samaritana non habet) cujus ope si non loca, in quibus verbum occurrit, omnia expediemus, nomina certe inde derivata felicius interpretabimur. Ante omnia autem monendum, solum سفح habere Arabes, non سفخ, شفح, شفخ: ergo si verbum Hebraicum alias significationes habet, Arabiae ignotas, forte ad has, quae nobis perierunt, radices referendae. Ergo سفح est,

1) *effudit*, ut, aquam, sanguinem, alia: unde et سَفَّاح *effusorem sanguinis*, *tyrannum* dicunt, et سُفْح *radices montis*, *circa quas effunditur aqua*, *erumpuntque rivi*. (Vide pag. 133.) Transfertur etiam a Rabbinis ad defluvium aridorum, ut capillorum, unde סִפּוּחַ *calvities*, Arabicum exemplum legere non memini, sed vix dubitem, quin et illi hac latitudine verbo utantur.

2) In tertia conjugatione, mutuum actum designante, سافح est, *scortari*, سَفَّاح *scortator*.

Ex prima harum notionum putem lucere Habac. II, 15. *vae bibere cogenti alterum* מְסַפֵּחַ חֲמָתְךָ *infundenti fervens vinum, ad inebriandum*. Fundendi significationem, ignotam recentioribus omnia ex suo *adjungere* explicantibus, praeiverunt ex veteribus, Chaldaeus, זָרֵיק *fundens*, Symmachus, ἀπὸ χύσεως (מְסַפֵּחַ) θυμοῦ σου, licet in summa interpretationis haud mecum consentientes.

Ex altera explicuerim Job. XXX, 7. sub *virgulto rudebant*, ותחת חרול יְסֻפָּחוּ *et sub paliuro incesto concubitu fundebantur*, aut, si a punctis discedens active יְסַפֵּחוּ efferas, *scortabantur*. Mirum, neminem ibi vidisse, quod usus Arabicus offert: LXX. vertunt, διητῶντο, *vitam agebant*, vel habitabant, Vulg. *esse sub sentibus delicias putabant*, Syrus incertum utrum in codice suo habens, an oculorum festinatione יסחפו transpositis literis legens, ܡܣܬܚܦܝܢ *evertuntur*, seu, ut Arabs vertit *franguntur*. Solus Chaldaeus, sed ipse perquam in Jobo recens, Rabbinis et recentioribus suum מתחברין *congregantur* praeivit: quamquam, si vellem, possem eum, *consociantur* (amatorie) vertens, in meas partes trahere; sed testis auctoritatem aliis non invideo.

Ex his vero, quae ex Arabia attuli, non satis illustrari possunt tria, quae sequuntur, loca,

1) Jes. XIV, 1. ut totam seriem orationis ponam, *adsociabunt se peregrini illis*, ונספחו על בית יעקב *et . . . . . . ad domum Jacobi*. Haec, quae vacua reliqui, ex conjectura si supplere ausis, forte succurret conjicienti, quod lexica habent, *addentur*, vel, *adsociabunt se*, sed possis et plura conjicere, aeque apta. Veteres quidem, LXX προστεθήσεται, Vulgata, *adhaerebit domui Jacob*, Chaldaeus יסתמכון על

על בית יעקב (ut equidem intelligo, ſed de eo viderint alii, ne longa diſputatione ſit opus) *vicini* i. e. *proſelyti fient populo Jacobi*, Syrus, plane ut recentiores, ܢܬܬܘܣܦܘܢ, *addentur.* — —

Hic quidem nihil mihi relictum, niſi credere, aut, ſi id poſt aliorum conjecturas liceat, conjicere: in ipſa ſententiae ſumma concordes erimus omnes. Eſtne hic denominativum ab eo, quod n. 1766. habebis, ספיח ſponte natum? eſtne, *adnaſcentur domui Jacobi?* id eſt, ejus pars, proselyti fient, licet non ex Israelitica ſtirpe? ſponte, ut ita dicam, naſcentur? Eſt, ſi etymologiam cupias, veriſimile: verum? id audax dictu! Succurrit tamen et alia conjectura, prope veriſimilior: a fundendo, dictum eſſe, *miſceri, admiſcebuntur Iſraelitis.*

2) Eadem fere ratio 1 Sam. XXVI, 19. niſi quod ibi ſoli miſcendi etymo, non adnaſcendi locus: *expellunt me* מהסתפח בנחלת יהוה *ut admiſceri nequeam hereditati Jehovae.* Hic in ſententia unanimes veteres, verbis ita diverſi, ut ſtatim adpareat, etymon illos exprimere noluiſſe: LXX ἐστηρίχθαι, *firmari*, Aquila ἅπτεσθαι, Symmachus συνδυάζεσθαι, *conjungi*, ut multi recentiorum, Vulg. et Chald. *habitare*, Syrus, *includi*, (ܕܠܐ ܐܬܟܠܐ).

3) *Conjungendi* vel *adjungendi* notio parum apta verbis ספחני אל אחת הכהנת 1 Sam. II, 36. quid enim eſt, *adjunge me ad unum ſacerdotiorum?* adjunctus ſacerdotis fieri cur cupit, nec potius ſacerdos? LXX παράῤῥιψόν με ἐπὶ μίαν τῶν ἱερατειῶν *adjice me ad unum ſacerdotiorum*, Vulg. *demitte me ad partem ſacerdotalem*, Syrus et Arabs, *mitte me* (ſic et *mittere, emittere*, Aquila et Vulg. Habac. II, 15. habent) omniumque forte optime Chaldaeus, מַנִּינִי *conſtitue me.* Haec quidem conſtituendi notio ab *effundendo*, *perfundendo*, i. e. ungendo fluxiſſe videtur, proprie, *unge me ad aliquod ſacerdotiorum:* plane ita Syris ܣܦܚ, quod proprie de aqua inundante ponitur, in Aphel eſt, *epiſcopum deſignavit.* Vide lex. Syr. p. 621. 622.

Caeterum vide infra שׂפח cum ſuis derivatis, quod noſtro, ut ſono ita et ſignificatione fere idem, ita ut multa hic dicta illuc transferri poſſint.

1766. סָפִיחַ *ſponte natum.*

Ab *effundendo, defluendoque* ductum nomen ſegeti, quae ſine ſemente ex granis nata ſuperioris anni, ſponte, maturitate, vento, a ſpicis

 effun-

effunduntur, atque a terra gremio suo excipiuntur ac foventur, spes novae messis. Miras hic etymologias confinxerunt lexicographi, quas ex ipsis disces. Caeterum vide et sub סחיש dicta n. 1727.

1767. ספיח vel ספיחיה Job. XIV, 19. *eluvio.*

Et hoc nomen ad fundendi, effundendi, notionem refero, cum Schultensio, eluvionemque verto: praeiverunt ex veteribus, sine dubio Vulgata, *alluvione paulatim terra consumitur*, et forte LXX seu potius, ex quo suppleti ab Origene sunt, Theodotion, ὕδατα ὕπτια τοῦ χώματος, *aquae aggere altiores eique superfusae*, vertentes. Caeterum et de forma nominis, et de sententia dubitari possit.

1) Schultensius *eluvionem* eam intelligit, qua montium fundamenta absumuntur, ut ipsorum tandem montium labes consequatur: quo de phaenomeno alias Jobi liber loquitur, ut c. IX, 5. Non obstrepo: possint tamen et esse imbres humum vegetabilem auferentes ac nuda saxa relinquentes, de quibus sub סחף n. 1723. dixi. Lectores dispiciant, illis enim sententiam praeire non lexicographi est sed exegetae. Meam sententiam si habere velint, adeant notas ad versionem germanicam.

2) Secundum puncta תשטף ספיחיה est nomen ספיח cum suffixo generis feminini singularis numeri, quod quo pertineat, non satis adparet: Schultensius refert ad מים, ex Arabum libertate cum sing. fem. constructum. Non obstrepo, vide enim grammaticam meam Arabicam §. 70. num. 1: nulla tamen anomalia opus, si aliis punctis ספיחיה, *inundatio*, efferas, ut femininum sit formae בכיה.

1768. ספחת Levit. XIII, 2. XIV, 56. מספחת Levit. XIII, 6. 7. 8.

In primis leprae signis numeratur, non certis quidem, quae tamen suspectum faciunt eum, in quo oriuntur. *Scabiem* interpretari solent, sequuti Vulgatam, sed secum discordem: *scabiem* enim Lev. XIII, 6. habet, at v. 2. *pustulam*, et c. XIV, 56. *erumpentes papulas*. Fateor, scabiem ab effundendo dici potuisse, at est ea a lepra plerumque adspectu diversissima, maxime in leprae initio, licet aliquando a vesiculis oriatur. Malim ergo, cum et Mose teste, et recentioribus qui lepram adcuratius descripserunt, inter symptomata morbi sit defluvium pilorum, nec capitis solum, sed et aliorum membrorum morbo adfectorum, idque in omni prope leprae initio conspicuum, ex prima verbi ספח notione,

ne, de qua et ſub שׂאת plura invenies, *defluvium pilorum* interpretari, ſicque et in prima editione verſionis germanicae reddidi. In ſecunda tertiaque editione, deceptis cognato ſono auribus, et confundens Arabicum Sahapha, i. e. سحافة, de quo plura dedit Henslerus in libro de lepra p. 79. 80. *Wartze* verti: ſed abdico, atque profiteor errorem, poſtquam literis adcuratius inſpectis, intellexi.

Eſt et *effuſio ſanguinis* aliquando leprae ſymptoma, his verbis a Schillingio, αὐτόπτῃ, p. 137. commentationum de lepra deſcriptum: *veſiculae albae erumpunt — — hae veſiculae brevi etiam vertuntur in ulcera, apoſtemata et tubercula, quae omnia initio benignam ſpeciem habent, pus etiam laudabile ſubinde fundunt, elapſis vero aliquot diebus alia facies rerum oritur, praeſertim ſi medicamentis externis ſollicitentur. Tunc enim caro in iis luxuriat; ſanguis ad leviſſimum tactum effluit* &c. Quaeras ergo forte, cur non *effuſionem ſanguinis* verterim? Reſpondeo, quod hoc jam non dubium morbi ſignum, ספחת teſte Moſe incertum, atque aliquando innocens. Veſiculas autem, de quibus loquitur Schillingius, ſi *ſcabiem* vocare velit, poſſit ita conſvetae verſioni ſuccurrere.

Veteres quomodo interpretati ſint fortaſſis interroger, ac quidem jure, cum illi in Aegypto, Africa, Syria vixerint, quibus in terris lepra quam apud nos frequentior. Ita vero aut diſſident, aut latioribus nominibus utuntur, ut facile agnoſcas, his qui Levitici capita de lepra agentia interpretabantur, morbi hiſtoriam ac nomina plane fuiſſe ignota, nec id mirum cum leproſos fugere omnes ſoleant, nec eos his de vocabulis medicum morbi peritum conſuluiſſe: plus ergo illis nos ſcimus, licet patriae beneficio morbo carentes. Generali nomine utuntur LXX, σημασία, *ſignum*, Arabs Polyglottorum i. e. Saadias, عارضة *accidens*. Chaldaei עדיא quid ſit nondum liquet, nec hic vacat inquirere. Aquilae eſt, ἐξανάδοσις, Symmacho jam ἔκβρασμα, jam ἔκφυμα, alii ignoto, ἐκδεδωκὸς, utuntur, quae omnia, *eruptionem*, *tumorem*, ſignificant, a praecedente שְׂאֵת quomodo diverſum? de eo non liquet: Syrus, jam, ܡܩܠܦܢܘܬܐ *decorticatio* (XIII, 2.) jam ܣܘܪܬܐ *(furfur?)* ܡܚܘܬܐ *plaga*, v. 7. 8. Maurus بقعة incertum, utrum *foſſula*, infra cutem ſubſidens, oppoſita tumori (שאת) an *varietas coloris*. Id unum profecimus, ut intelligamus, ex his, morbi cujus nomina vertebant ignaris, parum profici poſſe.

1769. סֵפֶל Jud. V, 25. VI, 38.

Nomen, caeteris linguis Orientalibus plane ignotum, fatente, qui in Deborae Canticum obſervationes edidit, Lettio, mihique perquam ſuſpectum. Habent Syri ſub his literis, *ſapphirum*, mutato, ut credo, R in L, atque, ſi fides Ferrario, rhabarbarum: ſed haec nihil ad ספל libri Judicum. Simonis quae contulit, Arabicum, شغل *ſparſit*, aut زُغْلَة *hydria*, *paropſis grandior*, audaciusculae ſunt literarum, eodem in nomine, et permutationes et transpoſitiones, ش Arabes pro Hebraico ס ponere non ſolent. *Simpulum* latinorum ultro ſe legenti Hebraica offert, ſed et lectionem Hebraicam ſuſpectam facit: vocabulum enim Latinum in Judicum libro vix exſpectaveris, nec latinum ſimpulum ex Oriente acceptum dixeris.

Enoto tamen ante omnia, quomodo vertant veteres: LXX utrobique, λεκάνας, *(pelves)* ſicque et c. VI. Syrus Chaldaeusque, לְקנא; — Vulgata c. 5. *phialam*, c. 6. *concham*; — — Syrus c. 5. ܟܣܐ exque eo Arabs, كاس, *calicem*, Arabs c. 6. سطل, *ſitulam*.

Mihi, ut dixi, ſcriptio ſuſpecta: c. V, 25. non niſi vocales mutandae, habebimus notum Hebraeis pelvis nomen סף, hac ſignificatione Exod. XII, 22. 2 Sam. XVII, 28. 2 Reg. XII, 14. Jerem. LII, 19. Zachar. XII, 2. poſitum: בְּסַף אַדִּירִים *poculo magnatum.* Altero in loco סף olim ſcriptum fuiſſe ſuſpicor, ſed cum ſignificatione lebetis minus notum eſſet, (non enim niſi ſemel 2 Sam. XVII, 28. ita vertunt LXX, reliquis locis omnibus, jam januam, jam πρόθυρον, jam aliud quid) a librariis ex latino, *ſimpulum*, et mala interſtinctione praecedentis loci, in ספל mutatum. Mallem adeo, cum *pelvis* non ſit certa rei liquidae menſura, majorem enim minoremque habemus, hiſtoricum ſcripſiſſe, *expreſſit*, מלא הכף *quantum cava manus capere poterat*, *aquae*, idque in הסף, hoc in הספל mutatum fuiſſe: nullus tamen codex conjecturam firmat, niſi quod unicus, ſed recentior, Kennicotti 128, הכפל, medium utramque inter lectionam, a prima manu habet.

1770. ספן *contabulare.*

A radendo et exaſciando, quod سفن Arabibus ſignificat, indeque سَفَن *aſciam*, contabulare fluxiſſe puto. ספון בארז *tabulatum* ſeu *tabulas ex cedro* cum Jerem. XXII, 14. legis, aut tabulas intellige, quibus

extus

extus fenestrae clausae, aut quod potius praefero, *ligna interrasilia, fenestris obducta, prospectum et liberum aerem admittentia, ita ut qui prospiceret, videri ab aliis non posset:* uno dicam nomine Gallico, quod et nos in linguam Germanicam recepimus, *Jalousies.* Plura in antiquitatibus Hebraicis, quae brevi prostabunt, cum lectionibus in illas habitis. Syrus vertit, ܛܠܠ ܐܢܝܢ ܒܩܕܪܘܣ *obtegit illas cedro.*

Ab asciando aut contabulando et navis dicta, ספינה, nomen in codice Hebraico non nisi semel occurrens, Jon. I, 5. sed Arabibus, Syrisque perquam frequens, سَفِينَة, ܣܦܝܢܬܐ.

1771. ספק, שׂפק, *percutere, plaudere, adplaudere, explodere, plangere, complodere manus in pacto, evacuare, inanem esse, vomere, sufficere, abundare, impudentem esse.*

Vix licet separare haec verba, sono et significatione eadem, sola scriptione diversa, nisi bis idem dicendo lectoribus molestus fieri velim. Sunt autem multae ejus significationes, quarum plures eidem saepe loco aptantur, rectene? an secus? id vero non est lexicographi edicere, sed exegetae, concedatur ergo mihi, plures significationes, philologice veras, ad eundem aliquando locum indicare. Verisimilia sic subinde dicenda, ubi de certis et unice veris dubitari possit. Sunt autem notiones radicis, ejusque derivatorum, ad duas maxime classes referendae.

I) سفق Arabibus est, *plaudere, complodere*, manus, aliaque, ut in fabula Locmani 35, يسفق بجناحيه *plaudebat alis suis.* Ortum a *percutiendo*, unde سفق *percussit colaphis faciem.* Dicunt et ejus loco صفق, idque prope usitatius: Num. XXIV, 10. ויספק את כפיו Saadias vertit, صفق, Maurus سفّق كفيه, harmonice uterque. Domesticum etiam Chaldaeis; Syriaca lexica sub ܣܦܩ ipsam plaudendi, complodendi notionem non habent, sed tamen alias, de quibus infra dicam, ab ea ortas. Potest autem, plaudere, complodere, multiplex esse:

1) laetum, *adplaudentis, gratulantis.* Sic acceperim Jes. II, 6. ובילדי נכרים ישׂפיקו (seu, ut VII codices Kennicottiani habent, יספיקו) *et plaudunt i. e. laetantur de filiis peregrinorum* (*): potest tamen, fateor, reddi, *et abundant filiis peregrinorum.*

(*) Quodammodo ita praeiit, quem Graecum hic non habemus, sed ex sola Hieronymi versione in ejus commentario citatum, Symmachus: *et cum filiis alienis applauserunt.*

2) ex-

2) *explodentis*, et *irridentis*. Job. XXVII, 23. יִשְׂפֹּק, vel, ut XXXI Kennicottiani habent, יספק עלימו כפימו *plaudunt propter illos manibus suis*. Thren. II, 15. ספקו עליך כפים *complodunt super te manus omnes transeuntes in via*. Referri huc quoque possunt, atque ab haud paucis referuntur, Job. XXXIV, 26. סְפָקָם במקום ראים *explosit eos in loco videntium*, i. e. publice, (equidem aliter interpretor, sed veri non dissimilem sententiam recentiorum attuli; veteres perquam diversi: (*)) et ejusdem capitis v. 37. בינינו יספוק *inter nos irrisorem agit ac multa facit verba contra deum*, quod in versione germanica praetuli (**).

3) *plangentis ac dolentis*, ambas manus complodentis, vel etiam pectus aliave membra percutientis. Sic sine dubio ponitur Num XXIV, 10. *irascebatur Balacus*, ויספק את ידיו *complodebatque manus suas*: Jerem. XXXI, 19. ubi poenitentis et dolentis est, ספקתי על ירך *percussi femur meum*; Ezech. XXI, 17. (al. 12.) ספק על ירך, *percute femur*, vel, ut legerunt LXX, exque illis harmonice expressit Arabs, ספק על יָדְךָ, κρότησον ἐπὶ τὴν χεῖρά σου, صَفِّقْ بِيَدِكَ.

4) *manus jungentis*, *pactionemque aut foedus data manu facientis*. Camus, cujus verba ad Job. XX, 22. excerpsit Schultensius, أنّه سفقه بيمينه إذا بايعه واشترهما بسفقة واحده ببيعة *dedit*

(*) LXX omnes versus a vicesimo quinto ad tricesimum non legerunt: ex quo interpolati sunt, Theodotion ita interpretatus est, ut quid literis ספקם respondeat, aut num eas legerit, non adpareat, ספקם במקום ראים, ὁρατοὶ ἐγένοντο ἐναντίον τῶν ἐχθρῶν. *Percutiendi* notionem verbo aptavit Vulgata, satis opinabiliter, sed male תחת QUASI vertens: *quasi improbos percussit eos*. Pro nomine habuit Syrus, vertens, cum sequaci Arabe, *opera ipsorum* (ܥܒܕܝܗܘܢ, اعمالهم) quod quomodo ספק significare possit, non adsequor.

(**) Hic quoque ita diversi veteres, ut suspicari possis, aliter eos legisse. LXX ἀνομία ἐφ' ἡμῖν λογισθήσεται, *ut peccatum nobis imputabitur*, nec multum dissimiliter Syrus, ܣܟܠܘܬܐ ܒܝܢܝ ܡܬܚܫܒܐ, ex quo Arabs تُعْرَفُ *peccatum inter nos agnoscetur*. Suspicari possis, eos legisse יתחשב, sed nihil ejusmodi in codicibus repertum. Vulgata: *inter nos iterum constringetur*. Et hoc *constringere* quomodo ex ספק effici possit, vix conjicies.

dit ei complosionem dexterae suae, id est; pactus est cum eo, et contraxit quid. Item, emit, vendidit, una manuum complosione. Multo autem frequentior hic usus verbi per Tsad scripti, صفق, sub quo et Golius habet, *percussa utrimque manu asseruit emtionem,* تصافقا *stipulati sunt inter se, percussis utrimque manibus.* Nos quidem infra ad nomen ספק his opus habebimus: S. V. Doederlinus et verbum sic interpretatur Jes. II, 6. *nothisque liberis* (idololatris) *dexteras jungunt.*

5) A complosione vel concussione stomachi, et *evacuationem stomachi in vomitu* dixerunt, ܣܦܩ *vomuit,* ܣܦܩܐ *vomitus.* Huc sine dubio referendum Jerem. XLVIII, 26. *inebriate Moabum,* וספק בקיאו *ut evacuet se vomitu suo.* Mirum, de hac significatione verbi Syriaci, quam res ipsa poscit, interpretum veterum recentiorumque neminem cogitasse, praeter Syrum, cujus ܢܬܣܦܩ *turbetur, colicam patiatur,* illuc referri possit.

6) Generatim Syris, ab ea credo evacuatione, quae complosione et compressione fit, *evacuationis, exinanitionis* notionem accipit, (vide lex. Syr. p. 614.) unde et ܣܦܝܩܐ *inanis,* ܣܦܝܩܘܬܐ *inanitas.* Hac significatione verbum Hebraicum non reperi: Job. XXXIV, 37. si pro יספוק legeretur, יספיק, perquam aptam funderet sententiam, יספיק וירב אמריו לאל, *inania et multa facit verba sua contra deum:* sed nullus ita codicum hucusque consultorum. Nec tamen prorsus abdico, quod enim multi habent, יספק, nulla litera quiescente, in Hiphil יַסְפֵּק efferre possis. Sunt hujus commatis tres interpretationes philologiae calculo non reprobae, ut bonarum copia, non inopia laboremus. Ad filum orationis, ad logicam, ad aures, arbitrium referendum.

II) A praecedentibus diversa, ac sextae quam vixdum indicavi, contraria est, quam Aramaeam dicere ausim, notio, quod eam Syri, Chaldaei, Samaritani, communem habent, atque usitatissimam: *suffecit, abundavit,* et transitive, *sufficere fecit, id quod sufficeret dedit.* Exempla non addo, sed ad lexica remitto. Sic sine dubio accipiendum 1 Reg. XX, 10. אם ישפק (vel יספק) עפר שמרן *si suffecerit* (verbis Vulgatae utor) *pulvis Samariae pugillis omnis populi, qui sequitur me:* Chaldaeus et Syrus, ne dubita, eodem verbo usi. Huc et plerique, nec veri dissimiliter, retulerunt Jes. II, 6. *filiis peregrinorum abundant,* praeeuntibus LXX, *τέκνα πολλὰ ἀλλόφυλα ἐγενήθη αὐτοῖς.* Syrus in eandem prope sententiam,

ſed aliqua conſtructionis immutatione, ܣܓܝܐܐ ܕܒܢ̈ܝ ܢܘܟܪ̈ܝܐ ܪܒܝܘ *multos filiorum peregrinorum educarunt:* nempe ספק in conjugationibus tranſitivis et eſt Chaldaeis, *neceſſaria* (ſufficientia ad victum) *ſuppeditare*, hinc *enutrire:* idque Syrus in verſionem receptum, ܪܒܝܘ, *educarunt*, *nutriverunt*, vertit.

III) Eſt et سفق *durus fuit*, indeque *pudoris expers et perfrictae frontis*, hinc et adjectivum, سَفِيق: eandemque ſignificationem صفق ac صَفِيق habent. Poſſit hoc ſatis veriſimiliter transferri ad lectionem IX codicum, V editionum, et manuſcripti codicis Chaldaicae verſionis de Roſſiani, Jeſ. II, 6. וכילדי נכרים ישפיקו, *et ut filii alienigenarum impudentes ſunt, impudenter peccant.* Vide de Roſſii varias lectiones. Conjeceram olim, ita legendum eſſe, teſtesque a de Roſſio producti adſtipulantur. Dubius ſum, et conſveta lectione bonam explicationem, et vero duplicem, admittente.

Mirari poſſis, tres diverſiſſimas notiones eidem verbo ſubeſſe: ſed forte tria verba in hoc unum confuſa, 1) سفق et 2) صفق, quae Arabibus easdem ſignificationes habent, 3) شفق, quod inter alia eſt, *condoluit*, *paucus fuit*, cognata ſignificatione cum ea, quam ſub num. 3 et 6 poſuimus. Talis confuſio ſaepe et in vernaculis linguis admittitur, uſuque accedente jam deſinit vitium ſermonis eſſe. Addiderim hic obiter, et cum verbo ספח Hieronymum in commentario ad Jeſ. II, 6. (operum T. II. p. 24.) confudiſſe videri: *ſcriptum eſt in Hebraico* IESPHICU, *quod Hebraei interpretantur, ἐσφηνώθησαν, et nos vertimus adhaeſerunt, ut vitiorum in gente Judaica turpitudo monſtretur.* Nempe ספח *adhaerere*, *adjungi*, verti ſolet, poniturque de ſcortatione (pag. 1786.) de qua in ſequentibus loquitur Hieronymus. Allatum ab ipſo Judaeorum ἐσφηνώθησαν, quid ſit, non certo conſtat, forte et ipſum fornicari, in obſerato fornice cum meretrice verſari. Vide LXX Jud. VII, 23. 24. Nehem. VII, 3. ubi eſt, *obſerare fores*, *portas*. Jam et intelliges, quid ſpectans Hieronymus Job. XXXIV, 37. verterit, *inter nos iterum conſtringetur*, nempe magiſtri ſui σφηνωθῆναι, quod et eſſe poſſit, carcere concludi. Unde autem hanc claudendi, obſerandi, ſignificationem ſumſerint, haud expedio.

1772.

1772. ספק vel שׂפק Job. XX, 22. XXXIV, 26. XXXVI, 18. *emtio.*

Job. XX, 22. et XXXVI, 18. ab omnibus fere pro nomine habetur, quod et volunt puncta masorethica: priore loco ספק posteriore שׂפק scriptum, sed magna utrobique, ut ex Kennicotto disces, lectionis varietate.

c. XX, 22. *complosio manus in pacto vel emtione* esse videtur ex significatione verbi sub numero 4: במלאת ספקו *cum peracta fuerit complosio*, i. e. *cum emtio perfecta et manu data firmata fuerit*, sentiet, se damnose emisse: sed de re ipsa, sententiaque vide dicta in notis germanicis. Haec quidem mea sententia, alii aliter: Schultensius, *cum completa fuerit complosio* (exsultantis) i. e. cum in summo fuerit fortunae culmine, non improbabiliter; *mensuram* verterunt Syrus, ܟܝܠܗ, exque eo Arabs, itemque Chaldaeus, סאתיה, quod quomodo significare ספק possit, non adsequor. LXX et Vulgata in versione sua non clare expresserunt, videtur tamen Vulgata, vertens, *cum satiatus fuerit*, ספק de alimentis a sufficientia dictis accepisse.

Job. XXXVI, 18. duas inter significationes, quas etymologia offert, ambigo, *explosionis* atque *irrisionis* (n. I. 2.) et *obdurationis*, *impudentiae ac praefrictae frontis*, (n. III.) פן יסיתך בשׂפק *ne te pelliciat ad SEFEK*, erit, *ne te*, non puniendo et ignoscendo, *empaectam et irrisorem*, aut, si malis, *induratum*, *impudentem*, *protervum peccatorem faciat*. In veteribus parum hic praesidii, videnturque vocabulum non intellexisse, solus Hieronymus, in Vulgata vertens, *ne aliquem opprimas*, videtur in prima *percussionis* notione accepisse, percussionemque aliorum magis latine oppressionem reddere.

His duobus locis tertius addendus videtur, Job. XXXIV, 26. תחת רשׁעים ספקם. Quomodo ut verbum acceptum סְפָקָם verti possit, supra exposui, sed magis mihi adblanditur nomen ספק ex notione verbi II, *sufficientia, abundantia*, *multitudo*. Sermo fuerat de malis, a Deo justo judice deletis, jam pergit, *sed malorum* (qui deleti erant) *loco sufficientia ipsorum*, i. e. totidem iterum mali surgunt, quot deleti erant, iterum puniendi et exterminandi; nec unquam sceleratis carebit hic terrarum orbis. Vide versionem germanicam, atque ad filum orationis attende.

1773. ספר (*secare? incidere?*) *everrere*, *numerare*, *scribere*, *conscribere*.

ספר, *scribere*, *numerare*, hinc et *enumerare*, *narrare*, sine dubio cum Arabico per Sin conferendum, ut argumento est סֵפֶר *liber*, Arabice

 سفر

سفر. *Scribere* primam verbi significationem esse non posse, obvium: linguae diu jam erant, diu homines loquebantur antequam scribere inciperent: hoc ubi faciebant, aliquo jam antea usitato verbo *scriptionem* vocabant, aut ex ejus populi, a quo scribendi artificium discebant, verbum mutuabantur, ut nos, *schreiben*, a *scribere*.

Chaldaeis quidem, Syris, Samaritanis ספר est *radere*, *tondere*, Arabibus سفر *radere*, atque inde *everrere domum*, *pulverem*. Hac significatione occurrere videtur Pf. LIX, 13. sed mutatis punctis מאלה ומכחש יְסַפֵּרוּ, *a diris mendaciisque suis everrentur*, i. e. *poenas perjuriorum suorum luent*, *a diris tanquam everrentur*, *quas perjuri protulerant*: quod enim ex notiore verbi significatione plerique habent, *de diris et mendaciis narrant*, primo languidum, deinde non grammaticum. Nunquam מ ita ponitur, dicendumque, אלה וכחש יספרו: quamquam quid est, *diras narrare*?

Nec tamen paret, quomodo ab hac prima significatione manare, sive *scribere*, sive *numerare* potuerit, nisi conjecturae locum demus. Fuitne prima verbi notio, *secare*, *incidere*? Hinc et *radere* oriri potuerit, et scribere, nempe quod antiquissimum scripturae genus non atramento fiebat, sed *incisione in lapides*, *lateres*, *plumbum*, *cortices arborum*, serius etiam in *tabulas cera obductas*, quodque, ultimae forte antiquitatis, in hunc usque diem durat, *in folia palmarum*. Hanc conjecturam, perquam verisimilem, ac saepe etiam aliarum linguarum lexicographis etymologisque receptam, si sumas, possis inde explicare obscurius dictum Psalmi LXIX, 27. ואל מכאוב חלליך יספרו, *altiusque secant*, *ac recrudescere novis vulneribus faciunt*, *dolorifica confossorum tuorum vulnera*: quod enim plerique habent, *de dolore confossorum tuorum narrant*, et languidum est, et grammaticae contrarium, ספר enim, *narrare*, cum אל construi nec solet, nec potest (*). Pro, *narrare dolorem*, *narrare de dolore*, quis unquam dixerit, *narrare ad dolorem*? Nec tamen vel hic certi quid habeo, ausimve confidentius dicere. Primo enim incerta lectio, viderique possunt sine Resch, יֹסִפוּ *addiderunt*, legisse, LXX προσέθηκαν, Vulg. *addiderunt*, Syr. ܐܘܣܦܘ: deinde ipsum יספרו cum אל constructum duplicem aliam admittit, nec obsurdam nec languidam interpretationem,

1) *ad-*

(*) Alia plane ratio loci Pf. II, 6. ibi enim, si consvetam lectionem serves, ספר non est, *narrare*, sed, *scribere*, אספר אל חק *adscribam statutis*, aeterno fatorum libro.

1) *adnumerant ad dolorem*, i. e. novum dolorem addunt, quamquam haec, fateor, constructio meis quidem auribus parum probatur.

2) *ad dolorem confessorum tuorum mane exeunt*, i. e. festinant, collato سفر *proficisci*, peculiariter, *mane:* quamquam hoc potius ad Hebraicum שפר, referendum existimem.

Verba numerandi, מנה et maxime ספר, ac nomen inde derivatum מספר, *numeratio*, vel *descriptio*, inprimis ponuntur, de numeratione civium vel aliorum ad operas publicas, servitia, ministeria, militiam. Sic ponitur, de numeratione et conscriptione Levitarum ad ministeria sacra, 1 Paral. XXIII, 27. XXV, 1. מספרם אנשי מלאכה לעבדתם *numeratio virorum negotio aptorum, ad ministeria sua;* numeratione exterorum ad servitia publica, 2 Paral. II, 1. *numeravit Salomon* LXX *bajulatorum millia*, *et LXXX millia ligna caedentium*, ad militiam, 2 Paral. XXVI, 11. (Vide postea סופר). Ex hac notione et intellexerim, cum Davides numerari populum jubet, quod 2 Sam. XXIV, 1. verbo מנה, 1 Paral. XXI, 2. ספר exprimitur. Nempe erat non curiosi regis exploratio numeri subditorum, sed numeratio militaris, qua de re copiosius actum in *commentatione de censibus Hebraeorum* (*) §. III. Potest verbum, hoc militari sensu positum, alicubi et, *scribere*, verti, quo verbo plures populi de *conscriptione ad militiam* utuntur: Latini, Arabes, quibus كتيبة est, *exercitus*, a كتب *scripsit*, Graeci, ὑπογράφεσθαι. Huc et retulerim 1 Macc. X, 36. προγραφήτωσαν τῶν Ἰουδαίων εἰς τὰς δυνάμεις τοῦ βασιλέως εἰς τριάκοντα χιλιάδες et XIII, 40. καὶ εἴ τινες ἐπιτήδειοι ὑμῶν γραφῆναι εἰς τοὺς περὶ ἡμᾶς, ἐγγραφέσθωσαν, ubi vix dubito, quin προγράφειν, γράφειν, ἐγγράφειν, versio sit Hebraici ספר, in Hebraico libro positi. Hoc ipso, quo haec scribo, tempore, numeratio omnium in terris Austriacis, et vero magna ex parte militaris, vocabulo latino-germanico vocatur, *Conscription*.

1774. סוֹפֵר, sensu militari.

סוֹפֵר *scriba*, multiplici sensu poni potest, de quo superiores consuli velim lexicographos: unum addo, militarem, ex ea, quam vixdum explicui, verbi significatione ortum: *conscriptor*, *praefectus exercitum legens*

(*) Secunda *commentationum* mearum *per annos* 1758-1762 *in societate scientiarum Goettingensi praelectarum*.

gens atque conſcribens, Germanico vocabulo in verſione eum dixi, *Muſter-general.* Sic ſine dubio ſumitur, ac ſtatim explicatur, 1 Reg. XXV, 19. Jerem. LII, 25. הסופר שר הצבא המצבא את עם הארץ, *conſcriptor*, *dux exercitus*, *qui ad militiam adigebat populum terrae*, 2 Paral. XXVI, 11. *Uzziae exercitus erat*, *conſcriptus atque luſtratus*, ביד יעיאל הספר ומעשיהו השוטר, *per Jegielem ſcribam*, *et Maaſejam ſcribam*, ubi et duplicem vides diſtingui ſcribam, SOPHER, qui ex loco Jeremiae militaris eſt, et SCHOTER, tabulis genealogicis praefectum, de quo vide infra ſub שוטר.

Huc et סופר refero, ubi nomen eſt honoratiſſimi muneris in aulis regum, Davidis, Hiskiae aliorum, 2 Sam. VIII, 16. XX, 25. 2 Reg. XIX, 2. XXII, 3. quem alii *ſcribam*, *ſecretarium* ut nos dicimus, *regis* fecerunt, *cancellarium* Lutherus. Haec quoque Jeſaiae, XXXIII, 18. איה סופר ob filum orationis de *praefecto exercitus*, latius jam ſumto nomine, intelligenda puto: veriſimiliter ibi LXX, γραμματικοὶ, Vulg. *literatus*, quis enim in urbium aut oppugnatione aut defenſione, grammaticorum aut literatorum uſus?

Non de hoc ſummo munere, ſed tamen de ſimili nomen ספר ponitur Jud. V, 14. de eo, qui decimum, vel quinquageſimum, aut quotum quemque, militem legit: שבט סופר *baculus numerantis*, quo tangit eum decimator ad militiam. Is, qui ad miniſteria deſcribit legitque Levitas, 1 Paral. XXIV, 6. הסופר dicitur, ויכתבם שמעיה הסופר. 1 Macc. V, 42. οἱ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, ſine dubio ſunt *ſcribae militares*, *qui populum conſcripſerant*, adigunt enim populum, ad trajiciendum torrentem, eundumque in praelium, neutiquam *legis periti*, quorum hic nullus uſus, nec, ut nullo linguae uſu aut etymo vertit Lutherus, ſacerdotes. Graecum vocabulum adfero, ſed ejus loco in Hebraico libro סופרים lectum fuiſſe vix dubitem.

1775. סַפִּיר *Sapphirus.*

Sapphirum, Σάπφειρον eſſe, lapidem pretioſum, quem nos fere eodem nomine vocamus, forte ex Oriente accepto, vix dubitandum, licet ob Thren. IV, 7. dubitatum a quibusdam ſit. Haec dubia, variasque ſententias, atque etiam veram, copioſius ſi legere cupias, adibis Braunium de veſtitu ſacerdotum Hebraeorum libr. II. c. 12.

Caeterum duplex eſt ſapphirus,

1) *caerulea*, *aureis punctis notata*, *non pellucida*, quam et *regiam* veteres dixerunt. De hac Plinius, l. XXXVII. §. 39. *In ſapphiris aurum*

rum punctis collucet caeruleis. Sapphirorum, quae cum purpura, optimae apud Medos, nusquam tamen perlucidae. Praeterea inutiles sculpturae. Vide plura apud Braunium, capite citato §. 10. Noster esse videtur *lapis lazuli*, punctis, non aureis quidem, sed auricoloribus distinctus, de quo vide bibliothecam priorem Orientalem T. XXIII. p. 13–15. auctoresque ibi a viro, rei metallicae peritissimo, et naturae historico classico, citatos. Hac de sapphiro loquitur Jobus c. XXVIII, 6. ubi sapphiro עפרות זהב *pulverem auream* tribuit.

2) *perfecta gemma, caerulea ac pellucida, cui tertium ab adamante locum dant.* De hac intelligendus Moses, Exod. XXIV, 16. לבנת ספיר, *vitrum sapphiri*, memorans: si modo gemmam, non vitrum intellexit sapphiri colore, Plinius l. XXXVI, §. 67. *fit* (vitrum) *et album, et murrhinum, aut hyacinthos sapphirosque imitatum, et omnibus aliis coloribus.* Nempe vitrum sapphirino colore fit, admixta minera cobalti, quam *zafra* (زفرا) Arabico nomine dicimus. Haec posterior interpretatio si vera, sapphirum gemmam veteres, et biblia Hebraica, sub hoc nomine plane non habuerunt.

Sapphirus in pectorali sacerdotis Exod. XXVIII, 18. utra harum fuerit, ambigi potest. Braunio praeplacet, pellucida, perfecta gemma, quod ei nomen alicujus ex tribubus, Jissachari ut putant, insculptum fuerit: nempe sapphiros non pellucidas *scalpturae inutiles* esse, vix dum a Plinio accepimus. Falsum autem videtur, quod ille tradidit: ipsum nostrum museum Goettingense, ut docuit me ei praefectus Blumenbachius, exempla plura continet gemmarum hujus generis, lapidis lazuli sculpti. Jam ergo cum incertum sit, nostramne sapphirum hoc sub nomine veteres noverint, donec alia argumenta proferantur, in pectorali Aharonis lapidem lazuli praetulerim.

At quid jam faciemus Threnis, c. IV, 7. ubi Naziraeorum ספיר גזרתם *excisio* seu forma corporis *est sapphirus?* Braunio §. 7. גזרה venae sunt, (parum verisimiliter,) quae caeruleae instar sapphiri per candidam cutem transparent. Mihi quidem omnia videntur expedita, modo Naziraeos non nudos cogitaveris, sed vestibus indutos: compacti describitur et bene nutriti corporis forma, vestibus splendidis tecta, *hyacinthinis auro variegatis*, qualis erat vestis summi sacerdotis, Exod. XXVIII, 6. Ejusmodi vestis sapphiro regiae similis. Eodem modo et Cantic. V, 14. intellexerim, ubi venter ejus, quem laudat amasia, *artificium est eburneum obductum sapphiro.* Eburneum artificium facile intellexeris, sapphi-

phirus vestes sunt caeruleae auro distinctae: retexerat puella, non sane pudica, involucrum, et viderat, quid sub illo lateret, ebur sub lapide lazuli.

Nomen unde ortum, nec pro certo dixerim, ac prope ne conjicere quidem ausim. Gemmarum lapidumque nomina vix unquam ipsam substantiam, primis videntibus ignotam, exprimunt, jam ducta ab aliquo phaenomeno, quod primorum inventorum oculis se offerebat, jam a loco natali, ut in Germania, *Boehmische Steine*. Phoenicum primo fuisse proprium videtur, atque ab illis Graecis Latinisque acceptum: Orientales quidem linguae non ita in nomen gemmae consentiunt, aliis versiones nominibus utuntur, ipsumque, SAPPHIR, apud has, quae habent, licet in versionibus plerumque non ponant, immutatum. Arabibus quod proprium sit ac verum sapphiri nomen, ante finitam Teifaschi editionem ex solis bibliorum versionibus definire non ausim: صَفُّوم quod Golius p. 1364. sine teste et librorum exemplis habet, et ipso teste modo nomen vulgare, (*sapphirus vulgo*) ex Graeco sine dubio ortum. Syri, R in L mutato habent, ܣܦܝܠܐ, Chaldaei Mem Dagessatum in PM resolventes, faciunt סַמְפִּירִין, Rabbinique סַמְפִּירִינוֹן, quod posterius ita describunt, ut ipse adamas esse videatur. Vide Buxtorfii lex. Chald. Thalm. Nempe sapphiro pellucidae, verae gemmae, igne exustae, eximi color caerulaeus potest, tumque jam candida, adamantem, cui duritie proxima, simulat, ac pro ea ab impostoribus venditur. Aliquid hujus jam monuit Braunius, confirmantque recentiores gemmarum periti. Habent LXX aliquam, de qua mox dicemus, regionem Σώφειραν, huic et lapidem pretiosum tribuunt, Jes. XIII, 12. כתם אופיר vertentes, ὁ λίθος ὁ ἐν Σουφείρ. Haec quidem certo vero inveniendo non sufficiunt, forte tamen aliqua ad illud quaerenti vegistia monstrant.

1776. ספיר Σώφειρα.

Pro אופיר, nomine proprio regionis auro divitis, סופיר legisse videntur LXX, Σώφειρα, Σωφαρα, Σαφιρα, Σουφιρ, reddentes, Job. XXII, 24. XXVIII, 16. 3 Reg. IX, 28. X, 11. 1 Paral. XXIX, 4. 2 Paral. VIII, 18. IX, 9. et Jes. XIII, 12. ut modo dixi, ὁ λίθος ἐν Σωφείρ. India esse videtur, ab emporio nobilissimo, Aegyptiorum commerciis olim fervente, *Supara*, Abulfedae سُوفَارَة, sic dicta. Haec copiosius exposita

ſita in ſpicilegio geographiae Hebraeorum exterae T. II. p. 199–202. quo lectores ablego.

1777. סְפָר Geneſ. X, 30. *Thehama, litoralia et declivia Arabiae ad mare Erythraeum.*

Vide hanc ſententiam copioſius expoſitam in Spicilegio geogr. T. II. p. 216. 217. A ספר *raſit*, Syri ܣܦܪ *litus* dicunt, tanquam, *mari raſum*, quod hic nomen ſit proprium ejus Arabiae regionis, quam Arabes ipſi تِهَامَة i. e. *litoralia* dicunt. Vide et ibi totam Moſis ſententiam explicatam. Bochartus, literas ut ſolet ſatis pro lubitu literis mutans, *Dafaram*, *Tafaram*, طفار, intelligebat metropolim olim regionis Jachſeb, quod, ſolis nixum literarum permutationibus, cur nec ob geographicas rationes admitti poſſit, ibidem pag. 209. 210. diſputatum, aliaeque inſuper ſententiae indicatae, ut abſurda Zachuti, Medinam, elegantior Syri, Sippharaim, (ספרוים) intelligentis.

1778. סְפָרַד Obad. 20.

Nomen proprium regionis, in quam (ut videtur Obadiae jam tempore) exſules Hieroſolymitani deportati erant. Ἅπαξ λεγόμενον cum ſit, nec uspiam geographia ſimile nomen illis in terris, in quibus ספרד quaerere fas eſt, offerat, tutum ſane, ignorantiam profiteri: certi quidem nihil ſuppetit, eſt tamen alia explicatio alia veriſimilior, ſunt et, quas manifeſtis erroribus audacibusque conjecturis adnumerare, ac plane repudiare liceat. Variae lectionis, antequam ad ipſum nomen accedamus, mentio facienda. Unus codex, ſeculi ut creditur XIII medii, Kennicotti 80, neſcio quibus vocalibus, habet, בספרך: his literis ſi conſvetas vocales ſubſternas, בְּסְפָרַךְ, erunt recepta lectione non minus obſcurae, vel obſcuriores; בְּסִפְרֶךָ ſi ſcribas, facillimam fundent ſententiam: *exſules Hieroſolymae, qui ſunt in libro tuo*, quorum ſemper memor es. Unus tamen codex, nullo veterum interpretum conſenſu firmatus, vix ſuffecerit novae lectioni adſciſcendae, cum ך frequenti lapſu librariorum ex ד exſiſtere potuerit. LXX ἐφραθὰ habent, ac ſi אפרת legiſſent, bona et hi quidem ſententia: ἡ μετοικεσία Ἱερουσαλὴμ ἕως Ἐφραθὰ, *exſules Hieroſolymae usque ad Efratham*, i. e. exſules Judaei, Hieroſolymae viciniaeque Bethlehemum usque, quae alio nomine Efratha dicebatur: ſed nec his auſim ſolis, nullo ſuffragante codice Hebraico, adſtipulari, atque adeo ſuſpi-

cor, LXX Σεφραθα ſcripſiſſe, quod errore librariorum, ſed perantiquo atque jam ante Hieronymum, mirantem quid ſibi velit Graecorum EPHRATHA, in Ἐφραθὰ tranſire potuit: librarius in ſuo exemplo habens, ΕΩCCΕΦΡΑΘΑ, deſcribebat, notioris urbis nomine poſito, ΕΩCΕΦΡΑΘΑ prius Sigma aut oſcitantia non legens, aut vitioſum habens. Innumerae ejusmodi in Σ ab initio vocum, priore voce in eandem literam deſinente, aberrationes. Sic quidem non אפרת legerint LXX, ſed ספרת, (Thau pro Daleth) aeque ut ספרד obſcurum.

Jam ad ipſum ספרד accedamus.

1) *Hiſpaniam* et Chaldaeus interpretatus eſt, et Syrus, nec forte hic a recentioribus correctus, jam enim ita in eo Ephraemus legit, interpretaturque in commentario. Hinc et Judaeis lingua Rabbinica Hiſpanus ספרדי dicitur. Poſſit quidem Hiſpania hoc nomen habere ab, *Heſperia*, ductum, ipſique inde Hiſpaniae domini Arabes eam سفر vel صفر vocarunt, unde aera Hiſpanica, ab anno ante Chriſtum 38 incipiens, سنة السفر *annus Hiſpaniae.* (Biblioth. Or. Nova T. I. p. 58.) Nec ergo mirum, Judaeos Saracenorum tempore in Hiſpania habitantes, *Safaraddenos* ſe vocaſſe, vaticiniumque Obadiae ad ſuum in Palaeſtinam reditum retuliſſe. Nec tamen probem, aut veriſimilem habuerim interpretationem, licet et ſatis antiquam et literis bene concinentem: ſunt enim, quae ei magnopere obſtant. Primo, eſtne veriſimile Obadiae tempore Hebraeos Hiſpaniam latino nomine detruncato, Heſperiam vocaſſe, nec potius, ſi extero uti placuiſſet, Graece Iberiam? Deinde, quis ſibi hiſtoriae mediocriter peritus perſvadeat, Obadiae tempore in Hiſpaniam exſules Hieroſolymitanos deportatos fuiſſe? quo a victore? quo a rege? Sed fac loqui illum non de ſui temporis ſed de futuris exſulibus, de his tamen loquitur, qui, dum Eſavus adhuc populus eſt, atque a Judaeis vincitur, in patriam redeunt Palaeſtinam, non ultimo diu poſt Chriſtum tempore. Ergone, ſtante adhuc poſt reditum ex Babylone Hieroſolyma, cumque Edomitae populus eſſent a Judaeis diſcernendus, exſules Judaei ex Hiſpania redierunt, aut redire potuerunt? quis eos in hanc ultimam terrarum deportaverat Heſperiam?

2) Alia fuit, non illo quidem concentu ſe literarum commendans, ſed cui nec opponi quidquam ejusdem momenti poteſt, traditio Judaeorum tempore Hieronymi, ex qua ille *Boſphorum*, Cimmerium nempe,

pe, qui Chersonesum Tauricam ab Asia dirimit, vertit. Nec, ut suspicati sunt aliqui, ב in בספרד pro parte nominis habuit, sed in commentario sic versionis rationem, quamquam dubitans, reddit. *Ubi nos posuimus Bosphorum, in Hebraico habet SAPHARAD: quod nescio cur LXX Ephrata transferre voluerint, cum et Aquila, et Symmachus, et Theodotio cum Hebraica veritate concordent. Nos autem ab Hebraeo, qui nos in scripturis erudivit, didicimus Bosphorum ita vocari: et, quasi Judaeus, ista inquit est regio, ad quam Hadrianus captivos transtulit; quando ergo Christus noster venerit, tunc reversura est in Judaeam illa captivitas.* De Hadriano quae dicebat, Christoque Judaico, Judaeus, Obadiae orationi non apta, dudum enim interierat, confusus Judaeis, Idumaeorum populus, Hadriano Judaeos vincente: at ex alia traditione Judaica, jam Assyrii et Chaldaei Judaeos in Bosphorenen abduxerant. Hieronymus ad Zachar. X, 11. *narrant Hebraei, captivum populum Judaeorum non solum in Medos et Persas, sed et in Bosphorum quoque et septentrionalem plagam ab Assyriis et Chaldaeis esse translatum, et postea eos ex parte revocatos.* Id quidem vix negandum videtur, Hieronymi tempore Bosphorenen Judaeis notam, inque ea Judaeos fuisse, partim olim ab Assyriis, (namque et illi non Israelitarum modo tribus, sed et Judaeos captivos deportare potuerunt) partim recens ab Hadriano in hanc asperam regionem et longinquam deductos.

Nominis vestigium, ut dixi, nullum geographia regionis Bosparenorum offert, ne RAD quidem, quale aut fluminis aut regionis, aut maris nomen si haberemus, possemus ex ܣܦܪ *litus*, vel *terminus* ספר רד *litus Rad*, vel, *limes Rad* componere. Sed hic geographia plane nos deserit, a qua destituti nolimus statim narratis a Judaeis ejus aetatis contradicere, memores, quam illa sit nobis terra incognita. Paulo post, abdicata jam Judaei sententia Assyriam vult vocem esse, et vero adpellativam: *quia lingua Assyriorum terminus, qui Hebraice vocatur* GEBUL, *dicitur SEPHARAD, hunc sensum esse conjicio: transmigratio Jerusalem, quae in cunctis terminis regionibusque divisa est.* Hanc significationem si apud Assyrios ספרד habuit (quadriliterum forte, ex ܣܦܪ *limes*, et פרד *separavit, sejunxit*, compositum) conjectura Hieronymi opus non erat, sed quae a Judaeo accepta retulerat, egregie confirmabantur. Bosphorus Cimmerius, limes celeberrimus ac naturalis Asiae Europaeque, quo nomine adpellativo in proprium transeunte rectius vocari quam hoc ipso poterat: *Terminus, Limes?*

Ad 1 Macc. XII. conjeci, *Spartanos* ibi memoratos non Lacedaemonas esse, qui nullo cognationis gradu attingere Judaeos potuerunt, sed Sefaradenos, interpretis Graeci errore, ex quo librum legimus, in Spartanos mutatos qui error facilius etiam ei obrepere poterat, si, ut LXX in Obadia legisse videntur, in suo codice ספרת haberet. Vide haec copiosius exposita in notis Germanicis ad 1 Macc. XII, 15. Lexici Hebraici non sunt.

3) De *Sippharа* ad Euphratem qui cogitant, parum verisimilia adferunt. Hanc urbem si sacrae literae memorant, est potius, de qua mox agam, ספרוים; nec ratio reddi Daleth literae in ספרד ulla opinabilis potest, si Sippharae nomen.

1779. סְפַרְוַיִם 2 Reg. XVII, 24. 31. XVIII, 34. XIX, 13. Jes. XXXVI, 19. XXXVII, 13.

Nomen proprium urbis ab Assyriis captae, cujus cives exsules in Palaestinam deduxerunt, duorum idolorum Adrammelechi et Anammelechi, humanis placatorum sacrificiis, cultores: sexies quidem in codice Hebraico obvium, sed rem si spectes, non nisi bis, in historia coloniarum quas Samaria capta ejus in agros deduxerunt Assyrii, inque jactatoria Assyrii ducis, Rabsacae, oratione. Haec duas ob caussas enotanda duxi, primo, ne mirere, urbem esse in geographia non celebrem, sunt enim urbium tempora, quibus inclarescunt, nec antea nec post nomina late audiuntur: deinde ne quem transversum agant, quae de nomine (fateor) obscuriusculo, Simonis p. 473. onomastici, ex minus bono Hilleri onomastico (p. 936.) vix digna relatu excerpsit. Illi quidem *Sephar* (ספר) mons est Arabiae, hoc cum *Parvim* componitur, quod illi nomen auriferae Arabiae, utrumque ex conjectura temeraria atque indocta: hinc eidem ספרוים sunt *Sepharo-Parvaei.* Atqui, ut haec omnia ludicra et temeraria silentio praeteream, de urbe quaerimus, non de monte, et vero ab Assyriis capta, quorum arma in auriferam Arabiam nunquam penetrarunt: ne deorum quidem nomina situm urbi in Arabia, sed in Aramaea adserere videntur, nullos certe tales Deos Arabia novit. Haec quidem praefanda, ne verum quaerenti Hilleri obfunderentur tenebrae, oblivione dignae, nisi in meliorem librum Simonis recepisset.

A veteribus hic parum opis, iisdem enim literis nomen urbis exprimere solent, Chald. ספרוים, Syrus ܣܦܪܘܝܡ, (quod et pro ספר Genes. X, 38. posuit) Vulg. *Sepharvaim*, LXX. Σαφαρουείμ: in his quidem Jes. XXXVI, 19. XXXVII, 13. in quibusdam codicibus editionibusque legi-

gitur, πόλεως Ἐπφαρουείμ, sed manifesto librariorum vitio, duobus S concurrentibus, ΠΟΛΕΩΣΣΕΠΦΑΡΟΥΕΙΜ, alterum omittentium: Arabs certe ex Graecis reddidit, صفرينين. Hieronymus in commentario de Sepharvaim silet.

Recentiores satis verisimiliter, *Sippharam*, intellexerunt, urbem ad Euphratem, ubi in duos alveos scinditur, quae Graecis est Σίπφαρα, vel Σιππαρηνῶν πόλις. Non celebrem esse, atque a plerisque geographorum silentio praetermitti fateor, sed potuit ante expugnationem clademque Assyriam celebrior fuisse. Addo d'Anvillii observatum, p. 77. Euphratis et Tigridis, eam videri *Hipparenum* Plinii, non ignobilem urbem de qua ille l. VI. §. 30. (p. 332. l. 7.) *sunt etiamnum in Mesopotamia oppida, Hipparenum, Chaldaeorum doctrina clarum et hoc, sicut Babylonii, juxta fluvium Narragam. Muros Hipparenorum Persae diruerunt.* Nempe ex Sipparenis librariorum error fecerat, inauditos alias geographis, Hipparenos, ut paulo antea in Graeco Jesaia Επφαρουείμ.

1780. סקל *lapidavit, tumulum lapidum congessit.*

Verbum Hebraeis frequens, at hac lapidandi significatione Syris, Samaritanis, Arabibus ignotum. Est plerumque generaliter, *lapidare*, idem quod רגם: at ubi a רגם distinguitur, ut Jos. VII, 25. 26. est, observante patre meo in diss. de poenis capitalibus Hebraeorum §. 5. lapidatio post mortem, qua tumulus lapidum infamis super cinere ad necem lapidati posteaque combusti congerebatur.

Esse et, *elapidare, a lapidibus purgare*, recte ut mihi videtur lexicographi monuerunt, quod miror a S. R. Koppio ad Jes. V, 2. in dubium vocari: atqui vix aliter interpretari possis, quod diu ante me attulerunt Jes. LXII, 10. Caeterum Jes. V, 2. cum *elapidatione vinearum* et hoc conjunctum, *ut lapides in tumulos colligantur*, quod est cum prima quam diximus, *tumulos lapidum faciendi*, notione conjunctissimum. De ipsa vinearum elapidatione in notis germanicis actum.

At LXX et Syrus, quibus accedit Koppius, de muro ex lapidibus facto, vineaeque circumdato intellexerunt, (ἐχαράκωσα, ܣܝܓܐ ܐܚܕܬܗ̇) quae significatio nullo alio exemplo firmatur: aliud est, lapides jactare, aut congerere; aliud murum exstruere.

1781. סָרָב *obstinatus, rebellis*, Ezech. II, 6.

Recte lexicographi ex lingua Aramaea nomen ἅπαξ λεγόμενον illustrarunt, cui ita proprium et notum est, ut uterque interpres in vertendo

retinuerit: ܡܣܪܒ et מְסָרְבִין. Chaldaeis sine dubio est, *rebellare*, *renuere*, *refractarium esse* (vide Buxtorfium) sicque et Syris, e. g. Sirac. IV, 30. ܠܐ ܬܣܪܘܒ ܥܡ ܩܘܫܬܐ pro Graecis, *μὴ ἀντίλεγε τῇ ἀληθείᾳ.* Vide et omnino Bochartum P. II. hieroz. p. 550. qui docet, in Aegypto quoque *Sarabaitas* monachos, qui omnis disciplinae jugo excusso suo arbitratu vivebant, nomen inde accepisse.

LXX fortiore verbo usi verterunt, *παροιστρήσουσι*, *furunt*, sed forte in aliis exemplis mollius, *resistendi*, lectum, Arabs certe, Graeca in Ezechiele interpretari solitus, يقاومون *resistunt*, habet. Vulg. *increduli sunt*.

De his, qui pro vegetabili, spinae genere, urtica, habuerunt, vide Celsii Hierob. P. II. p. 222.

1782. סַרְבָּה *rebellio*, *rebelles* Jes. IX, 6.

Pro לְםַרְבֵּה Jes. IX, 6. tres Kennicotti codices, 17, 99, 154, quartusque adeo, 128, a prima manu, לסרבה habent: sic et Nisselii editio, ac si aliquod in margine Keri exspectandum esset, לְסַ֫רְבָּה. Egregia sententia: *in rebellionem erit dominatio*, *et paci nullus finis in solio Davidis imperioque ejus*, i. e. rebelles etiam sibi subjiciet, quod ubi factum, aeterna sub imperio ejus pax erit.

1783. סַרְגוֹן Jes. XX, 1.

Nomen proprium regis Assyrii, cujus jussu Azotus a Tharthane obsessa, quique deinde non Aegypto solum potitus, sed et Aethiopas vicisse ac captivos egisse videtur. Volunt aliqui Senacheribum esse, plane contra historiam, hic enim Aegyptum nunquam ingressus est: alii Salmanassarem, de quo certe historia nihil ejusmodi tradidit, nec verisimile est, eum in Aegyptum penetrasse. Multo verisimilius Kalinsky Assaradinum (אסר הדון) Senacheribi successorem (Jes. XXXVII, 38.) intelligit, qui et Thebas Aegyptias everterit, et magnis potitus victoriis sit in Aegypto. Haec copiosius ab eo disputata vide in libro lectu dignissimo, et quo historiae Assyriorum cupidus carere nemo potest, *vaticinia Habacuci*, *Nachumi*, *Isaiae*, *Michaeae et Ezechielis*, *observationibus historico-philologicis ex historia Diodori Siculi circa res Sardanapali illustrata*, libr. I. c. VI. VII. p. 75–106. Unum adhuc addo, perquam verisimiliter eundem

dem disputare Kalinskium, Assaradinum eundem esse, qui exteris Sardanapalus dicatur.

Haec cum ita sint, nondum hucusque potui adblandientem conjecturam aut suspicionem animo eximere, G litera in D mutata סרדן rescribendum, contractum ex אסרחדן nomen, a quo et Graecum, Sardanapalus, ortum. Sed nullus hucusque conjecturam testis firmavit. En omnia quae hucusque reperi varia: סריגן unus Kennicotti codex habet, in quo parum opis; alius a prima manu מרגן, manifestum vitium. Ἀρ-να in consvetis editionibus LXX habent, quod Hebraice foret, ארנה vel ארגן; S forte librariorum vitio, ut saepe, in initio vocis excidit, sed pro ג manifeste נ legerunt: hinc Arabs, ut est in Polyglottis editus, أرثا, manifesto punctorum diacriticorum vitio pro أرنا, idque pejus adhuc latine redditur, *Arethas*, quasi unquam aliquis inter Assyriae reges Arethas fuerit. Iidem in complutensi editione Ναρνᾶ habent. — — Lectionis varietatem video, sed nullam quae praeferri masorethicae possit: cuperem adcuratius adhuc codices inspici, maxime a de Rossio.

1784. סרח Exod. XXVI, 12. 13. Ezech. XVII, 6. Amos VI, 4.

1) سرح *fluendi* significationem in conj. 7. habet, haecque prima esse videtur, a qua et in prima est, de gregibus positum, *libere palare*, quasi, fluere, diffluere, et *libere pastum incedens grex*, سارح مُنسَرح huc illud *mobilis*. Syris quoque ܣܪܚ de *aqua erumpente* poni, et ܐܣܪܚ de episcopi *designatione*, ab *ungendo* seu *perfundendo*, in lexico Syriaco expositum. Ex hac notione ortum, quod Exod. XXVI, 12. 13. de cortina positum est, *redundare*, tanquam, *fluere*.

2) Ex eadem notione Amos VI, 4. *effundi* dici videntur, qui in lectis molliter cubant, quo sensu et latini verbo, *fundi*, *effundi*, utuntur. En filum orationis: *cubantes in lectis eburneis*, וסרחים על ערשותם *et fusi in stratis suis*. Praeivit Raschius, *qui extendunt se super lectis suis*. At veterum plerique, *lascivire*, verterunt, LXX κατασπαταλῶντες, Vulg. *lascivitis*, Syr. ܡܫܬܒܗܪܝܢ, quae si interpretatio est rei, non verbi, haud contradico: ipsum quidem סרח *lasciviendi* notione apud Orientales legere non memini, nisi huc referre quod statim sequitur velis. Nempe ut idem, quem vix dum memoravi, Raschius docet, Thalmudici de pro-

miſcuo cum alienis uxoribus concubitu interpretabantur: quod quidem verbum ſignificare poſſit, collato شرح 1) *explicuit* 2) explicuit puellam, i. e. eam *vitiavit*. Chaldaeus obſcuro verbo uſus, in quo ſudant interpretes, עמקין vertit: eſtne hoc, *profunde in lecto demerſi, ſtragulis tanquam inundati?*

3) גֶּפֶן סֹרַחַת Ezech. XVII, 6. proprie, *vitis fluens*, mihi eſſe videtur, *quae ſe late diffundit, humi quodammodo ſerpens, non habens, quibus ſe altius erigat, ſuſtentacula.* Sic ſtatim ab ipſo propheta explicatur, שִׁפְלַת קוֹמָה, *humilem ſtatura, cujus rami ad vineam ipſam inclinabantur, ejusque radices obumbrabant.* Ex veteribus ſola mihi conſentit Vulgata, paulo licet interpretata obſcurius, *vinea latior.* Mirum, quae hic in divergia abeant reliqui, LXX ἀσθενοῦσαν vertunt, plane contrario ſenſu Chald. תַּקִּיף *validam*, Syrus ܡܣܪܚܬܐ, quod quid ſit ignoratur, Caſtellus enim, quae in lexico habet, Gabrieli Sionitae credidit, Novarienſem magno deſcribentis lapſu citavit.

1785. סוֹרִיָּה *colocynthis* Jerem. II, 21.

Pro סוּרֵי הַגֶּפֶן נָכְרִיָּה, manifeſto vitio grammaticali, aliter diviſis in voces literis me legere, סוֹרִיָּה גֶּפֶן נָכְרִיָּה, pagina 345. inque bibliotheca Or. priore T. XV. p. 156. 157. jam monui. Hoc autem סוריה explico ex Arabico شَرْيٌ, شَرْيَةٌ *colocynthis*, cujus vocabuli, in lexicis ſine exemplo poſiti, exemplum habe ex Taabbatha Scharran carmine, p. 74. chreſtomathiae Arabicae, *duplex ei ſapor* أري وشري *mellis et colocynthidis*. Vide et ſupra ſub גֶּפֶן, et infra ſub שָׂרִי.

1786. סרך *implicuit*, Chaldaeusne Thren. III, 11.

דרכי סורר Thren. III, 11. in quo magnopere diſſident interpretes, Chaldaeus vertit ארחי סרך ac ſi סורך per Caph legiſſet, egregia ſane ſententia, *viam meam perplexam et intricatam facit*, (ab implicando et illigando, شرك). Hoc verbum Chaldaeis ſignificat. Nullus quidem ita codex Hebraicus hucusque conſultorum: ſuſpicari tamen poſſis, Vulgatam, *ſemitas meas ſubvertit*, eandem lectionem ſequutam eſſe, nam et Chaldaeis סרך *pervertit*. Inſpiciendi curioſius codices.

1787.

1787. סרן pluraliter סְרָנִים, סַרְנֵי 1) *axes*, 2) *principes*.

Nomen ex una lingua Syriaca explicandum, cui eſt, et *axis* et *rota*, unde et circulum coeleſtem ܣܪܢܐ ܕܫܡܝܐ vocant. Habet et lingua Thalmudica סרני דמיא *rotas* (molae) *quas aqua circumagit*.

Ergo סַרְנֵי 2 Reg. VII, 30. *axes* (aenei) vertendum, ut praeivit Vulgata, idemque vocabulum ܣܪܢܐ retinens Syrus, ex quo Arabs بكرة بكرة كبيرة *rotam magnam* habet: inepte hic quidem, currui enim quis *quatuor rotas*, et praeterea *rotam magnam* dederit? id tamen ex eo liquet, ܣܪܢܝ Syris rotam ſignificaſſe. — — Conſveta hujus loci interpretatio, *tabulas* vertens, ex fide implicita orta, Judaeis habita. Chaldaeus כְּסַרִין *tabulas* verterat, forte transpoſitionem literarum ſuſpicatus, praeſidiumque arripiens ignorantiae, hunc Raſchius ſequebatur, itemque in libro radicum Kimchius, expreſſe transpoſitionem literarum prae ſe ferens, edicensque, idem eſſe ac Thalmudicum כסרין, ex hoc (contra Vulgatam meliorem, quam ipſe adfert) in lexicon recepit Reuchlinus, ac poſt eum fere omnes. Ortum, natales, argumenta verſionis oſtendiſſe, hoc eſt, eam refutaſſe, lexicis porro indignam.

Quinque Philiſtaeorum ſummi magiſtratus, ſeu reguli, סרני פלשתים vocantur, Joſ. XIII, 3. Jud. III, 3. Hoc mihi proprie, *axes Philiſtaeorum* vertendum videtur, axibus populi pro primariis ejus viris poſitis, circa quos, ut Arabibus eſt in proverbio, tota rota volvitur. Vide Arabicum قُطْب 1) *axis*, *polus* 2) *dominus et princeps populi, ut circa quem, ceu verticem negotia vertuntur, imperator exercitus:* et Samuelis Judaei carmen, chreſtomathiae noſtrae Arabicae p. 90. *Dajjanitae axis ſunt populo noſtro, circa quem rota ejus itque reditque.* — — Syrus Chaldaeusque aliquo utcunque eundem ſonum habente vocabulo, טוּרְנֵי, ܛܘܪܢܐ exprimere ſolent, de quo vide lexicon Syriacum: ſatrapas alicubi LXX et Vulgata vertunt, nomine Perſico, multo et recentiore et majore, ad parvi populi magiſtratus translato; quinque regulos Vulgata in libro Joſuae vertit. Poſt Davidis tempora ipſis, ut videtur, Philiſtaeis obſolevit, nec niſi in hiſtoria ab egreſſu Iſraelitarum ex Aegypto ad Davidem usque legitur.

1788. סרני *Arcticus, polaris* Ezech. XXXII, 30. ex varia lectione.

Pro וכל צידני, quod Ezech. XXXII, 30. legitur, impeditissima sane sententia, cum Aquilonaribus haud jungi Sidonii possint, unicus de Rossii codex, 24, סרני habet, expeditissima, modo recte interpreteris, sententia ac lucidissima. De Rossius quidem *satrapas Assyriorum* vertit, quod per grammaticam licet, modo cum sequente אשר mutatis vocalibus construas, סַרְנֵי אַשֻּׁר, ut fecisse videntur LXX eandem forte lectionem habentes sed alio vocabulo exprimentes, πάντες στρατηγοὶ Ἀσσούρ. Bona vel sic sententia, in qua id solum molestum, quod סרנים nuspiam alias nisi de ducibus Philistaeorum ponitur, Ezechielisque tempore vel inter ipsos obsoleverat. Illustrantur autem omnia, si ad סֶרֶן *polus, axis*, relatum, סַרְנִי efferas, interpreterisque, *polo septentrionali subjectum*, sub ipsa certe ursa majore habitantem, ut plus sit, quam praecedens צְפוֹנִי: *ibi sunt principes septentrionis omnes, ibi omnes sub ipso polo habitantes*. Pluribus vellem in codicibus lectionem tam elegantem reperiri.

1789. סָרִיס *aulicus, eunuchus, castratus*.

Utraque significatio certa atque indubia: sed volunt, *castrati*, primam esse ab Arabico سَرِسَ *impotens fuit ad Venerem*, inde aulicos generatim dictos, quod eunuchi praecipue aulae muneribus fungerentur; idque mihi dubium. Primus, de quo nomen in ipsa linguae Hebraicae aetate prima ponitur, Potiphar est, Genes. XXXVII, 36. XXXIV, 1. dux praetorianorum militum, ac maritus, quem eunuchum fuisse non suspicaberis: illone ergo jam primo tempore eo valuerant mores, ut aulici omnes eunuchi dicerentur? Suspicor, nomen exoticum esse, forte Aegyptium, in aula enim Pharaonis frequens (Genes. XL, 2. 7.) primo dignitatis et aulici muneris, deinde ad eunuchos translatum. Sic Arabicum verbum denominativum erit. Nihil definio, linguae Copticae aliarumque Africanarum peritos consulo.

1790. מְסָרֵף *combustor mortui*, Amos VI, 10.

מְסָרְפוֹ, nulla Rabbinorum reverentia verto, *combustor ejus, qui mortui funus curat, corpusque comburit*, ut idem sit cum מְשָׂרְפוֹ, quod habent XXIII codices Kennicottiani, multique praeterea, ut testatur de Rossius, quos ipse possidet aut consuluit. Suspicor adeo, lectionem per

ס

ס ex ſuperſtitione ortam Judaica. Eidem tribuendum ſuperſtitioni, quod lexica noſtra habent, ut Cocceji: *procurator funeris, cujus eſt, honoris cauſſa thymiamata accendere in funere.* Nempe ſtatuerunt Thalmudici *combuſtionem mortuorum* eſſe idololatriae genus aut ritum, עבדה זרה, unde omnia loca, in quibus combuſtionis mortuorum mentio fit, ad ſolum thymiamatum ſuffitum detorquent Judaei, illisque nimis creduli chriſtiani. Vide haec copioſius diſputata, in *commentatione de combuſtione et humatione mortuorum apud Hebraeos*, nona earum, quae in parte prima *ſyntagmatis commentationum* 1759 Goettingae prodierunt. Nempe olim humabant Hebraei, a Saulo inde, ut apud Romanos a Sulla, comburere corpora mortuorum coeperunt, quod ſenſim invaluit, ſed ſub dominatione Perſarum vetitum, Thalmudicis viſum eſt idololatricum. Ipſa ſcriptio per ס eo, ut dixi, pertinere videtur, ut de alia interpretatione lectorem admoneret, ſive a Chald. שְׂרַף et סְרַף *aroma*, ſive a Samaritano סרף, *unxit.*

Vide quam hic, in facili textu, veteres jam adhaeſerint. Chaldaeus per שׂ legens, alias vocales ſubjecit, מְשָׂרְפוֹ, vertitque, *propinquus ejus auferet illum ab incendio.* Syrus vertit, ܐܘ ܩܪܝܒܗ ܕܡܩܪܒ ܠܗ, *aut proximus ejus cognatus*, ſicque et aliqui Judaeorum, ſed nullo linguarum uſu praeſidiove: LXX *παραβιῶνται τοῦ ἐξενέγκαι τὰ ὀστέα*, Hieronymo interprete, *conabuntur, ut efferant oſſa:* quod qua arte ex מסּפרו effici potuerit, haud conjicio. Solus a Judaica ſuperſtitione immunis Hieronymus, in Vulgata poſuit, *et comburet illum*, inque commentario, *ut propinquus ſive vicinus comburat cadavera mortuorum.*

1791. סרפד Jeſ. LV, 13.

Plane ablego lectores ad Celſium, T. II. hierobotanici, p. 218. qui faſſus eſt, nihil ſe ſcire, varias ſententias referens: bene agent lectores, ſi nihil ſe illo plus certi habere ſentient, donec aliquid novae lucis adfulgeat.

Quod pro *urtica* Doederlinus nuper novum attulit, eſſe a סיר *ſpina*, et فار *uſſit*, parum probabile. Urticam in *ſpinis* quis numeraverit? ſine Hamza ſcriptum a Doederlino, eſt vel in lexicis, ex quibus ſumitur, فأر, quod Hebraice פאר, totumque nomen סירפאר ſcribendum fuiſſet. Nullum ſimile nomen habent reliquae linguae Orientales,

 ergo

ergo fas est sapienti, Celsio quoque, fas sit et mihi, aliquid ignorare. Ignorantiae professio via ad inveniendum verum, si quis in Oriente quaesierit.

1792. סוֹרֵר, סרר.

Verbum סרר plerumque vertunt, *refractarius fuit*, indeque בֵּן סוֹרֵר Deut. XXI, 18. 20. *filius refractarius*. Est sane non improbabilis conjectura ex filo orationis a veteribus jam interpretibus ducta: ipsas tamen linguas si consulas, erit potius, *malus*, *maleficus fuit*, quod Arabicum شَرَّ significat. Ad radicem סור *recedere*, referre nolim, participium enim Piel מְסוֹרֵר scribendum fuisset. Hinc,

1793. סָרָה *malum*, *maleficium*,

ut Jes. I, 5. &c. idem quod Arabicum شَرّ. Hoc ipso, quem ut exemplum posui, loco, veteres sententiam exprimunt: LXX ἀνομίαν, Vulgata *praevaricationem*, Chald. מחטי *peccare*. Alii ad aliam radicem retulerunt, ut Symmachus, *declinationem* vertens, ad סור, quae explicatio apud recentiores percrebuit, et Syrus, ܡܬܪܕܝܢ *castigari*, ad יָסַר.

1794. סְתָו Cant. II, 11. *hiems*.

Ἅπαξ λεγόμενον, sed significationis indubiae: habent enim, non Chaldaei solum, sed et Syri ܣܬܘܐ, Arabes شَتْوَة *hiems*, شَتَوِيّ *pluvia hiemalis*, menses enim hiemales a Decembri ad Februarium in Palaestina pluvii. Vide bibliothecam Or. novam T. I. p. 202. 184. 185. Multi codices, ut ex Kennicotti bibliis disces, סְתָיו scribunt, quod et in aliis nominibus in ָו desinentibus frequens, confusione scriptionis cum suffixo tertiae personae ָיו.

1795. סָתָה *hiemalis fuit*.

Denominativum praecedentis verbi, quale Arabicum شَتَا et Syriacum ܐܣܬܝ *hibernavit*, أشتى *hiemem ingressus est*. In codicis Hebraici editionibus non occurrit, at eo referre possis duorum codicum Kennicottianorum lectionem Job. XXX, 13. his substratis vocalibus, בְּסָתוֹ נְתִיבָתִי, egregia sententia, ac faciliore quam receptae lectionis, *hiemales*

les ſunt calles mei, i. e. imbribus et lacunis impediti. Vide et verbum שׁתה.

1796. סתר Jeſ. XXIX, 14.

Ex nota, *occultandi*, *latendique* notione acceptum non ſatis aut lucet aut placet hoc Jeſaiae, ובינת נבוניו תסתתר *et prudentia prudentum ejus abſcondetur*, maxime poſt illa, quae praeceſſerunt, *peribit ſapientia ſapientum ejus:* praeiverunt tamen LXX. Chald. Vulg. ſequutique ſunt recentiores. Confererendumne hic potius Syriacum ܣܬܪ *deſtruxit*, ܐܣܬܬܪ *deſtructus eſt*, *periit*, *vitiatus*, *inutilis factus eſt*, *ut cum quis morbo uſum pedum manuumve amittit?*

וישׁתרו 1 Sam. V, 9. pro quo perpauci habent ויסתרו, quaere ſub litera שׁ.

Ver-

Verzeichniſs der Praenumeranten nach den Städten.

	Exemplarien Schreib-pap.	Druck-pap.
Ihre Majeſtät der König von Dännemarck	—	50
Altengamm (jetzt Amſterdam), Herr Paſtor Jeniſch	1	15
Bebenhauſen, Herr Prof. Schelling	—	21
Bremen, Herr D. Büſing	4	32
— Herr Subrector Bredencamp	—	7
Caſſel, Herr Paſtor Sartorius	1	3
Coppenhagen, Herr Profeſſor Hwiid	—	16
da Herr Pr. Hwiid geſtorben iſt, hat Herr Pr. Adler die Güte, die Exemplarien in Empfang zu nehmen, und ſtatt ſeiner den Praenumeranten zu vertheilen.		
Danneberg, Herr Superintendent Lüder	—	2
Dantzig, Herr Prof. Trendlenburg	—	10
Göttingen, Herr Prof. Schleuſsner	—	11
— — Herr Prof. Vollborth	2	59
— — Vandenhök-Ruprechtiſche Handlung	4	128
Gröningen, ſiehe Leer.		
Halberſtadt, Herr Domprediger Streithorſt	—	10
Hamburg, ſiehe Altengamm.		
Igendorf bey Nürnberg, Herr Paſtor Scheuber	—	15½
Leer in Oſtfriesland, Herr Prediger Beet	—	5
(Leipzig, Schleuſsner, ſiehe Göttingen.)		
London, Biſchoff von Oxford, jetzt Hereford	40	
— Herr Woide	10	
(Königsberg, jetzt Tilſit.)		
(Niska, jetzt Wahrenbrück.)		
Schafhauſen, Herr Prof. Altorfer junior	—	8
Saltzburg, Herr Prof. Schelle	—	10
Stade, Herr Prof. Geerke	—	7
Tilſit, Herr Paſtor Lauwitz	—	10
Utrecht, Herr Prof. D. Ravius	—	14
Wahrenbrück bey Cosdorf, Herr Mag. Stemler	—	10
Wittenberg, Herr D. Reinhardt	—	20
— — Herr Hofr. Schrökh	—	9

Nachricht. Vielleicht thue ich meinen Leſern einen Gefallen, wenn ich ihnen ſage, daſs *Caſtelli* Hebräiſches Lexicon, (das beſte unter allen, das ich kenne, und aus dem ich am meiſten gelernt habe) aus ſeinem *lexico heptaglotto* von Herrn Roſenbuſch abgedruckt, und am Rande auf die Numer dieſer Supplemente verwieſen, wo von demſelben, oder den dort mangelnden Wörtern nachgeleſen werden kann, der erſte Theil auf der Michaelismeſſe 1790, und der zweite, das iſt der Beſchluſs, zugleich mit dem Beſchluſs meiner Supplemente, auf der Oſtermeſſe 1791 zu haben ſeyn wird.